
HG VW

110
Dreser
B. L. lat. pag. 310.



Ex Electorali Bibliotheca
Serenis^rum Vtriusq; Bauariæ
Ducum.

Digitized by Google

1228

<36630055070017

<36630055070017

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Go

Rhetorica
INVENTIO-
NIS ET DISPOSITIO-
NIS, ILLVSTRATA ET LOCV-
pletata quàm plurimis exemplis, ſa-
cris & philoſophicis:

*Quorum Catalogum proximæ aliquot à præ-
fatione pagellæ ſubijciunt.*

Edita denuò correcta, & penè tota alia à priori editione
facta in Academia Erphordienſi

A

MATTHAEO DRESSERO.

Habes hîc lector, non ſolùm ſcribendi dicendique modum per præcepta expreſſum: ſed inſuper ipſam etiam formam, quam ceu Theſei filum ſequaris: propoſitis omnium ferè argumentorum quæ incidere poſſunt exemplis, quæ & omnium inſtituto conuenire queant, & meritò ad capeſſendum ſcribendi laborem inuitare diſcentes debeant.

24. K.

ANNO

M. D. LXXV.

Sũ Ioh. Georgij à Werdenſtein, 1575.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

PRÆSTANTI DIGNITATE, NOBILITATE GENERIS, *virtute & humanitate, Domino Friderico à Vuangenheim Seniori, & nobili generoſoq́ue adoleſcenti Iohanni Friderico à Vuangenheim, ſuis dominis obſeruandis & caris*

S. P. D.

VSITATA eſt hoc ſeculo & nemini inaudita querela de nouorum librorum inconſiderata editione & copia, quam nec ego iniquam prorſus eſſe affirmare poſſum. Partim enim per ſe odioſa eſt ſciolorũ et leuiter tinctorum literis temeraria ſcriptorũ diuulgatio, partim cõmunibus etiã ſtudijs nocet nouorum librorum multitudo, quæ ſcilicet à veterũ monumentis accurata ſapientia & eruditione refertis complures abſtrahit. Vnde haud ſcio an illud nobis vſuuenire dixerim, vt autorũ veterum mira incipiat eſſe penuria. Si quis verò quærat, cur meũ etiam hoc præſens extare velim ſcriptũ, nulla neq; maturitate iudicij elaboratum, neq; vbertate vſus cum veteribus conferendum? huic ita reſpondeo: Duæ ſunt cauſæ, quæ me, vt denuò hanc Rhetoricæ particulã ederem, impulerunt. Primùm enim miſeram

ad Oporinum, ſuaſu amici cuiuſdam, ante annos nouem exemplar dictatorum meorum de inuentione & diſpoſitione Rhetorica, non certè conſilio alio, niſi vt, ſi quid boni fortè ineſſet, quo iuuari diſcentes poſſent, id commune multis per typographum fieret. Scribebat non multo poſt ad me Oporinus, probari Ariſtarchis vehementer lucubrationes meas, propter copiam præſertim & varietatem exemplorū, quæ ſtudioſis literarum in ſcribendo multùm prodeſſe poſſent: eaq́ de cauſa præfationem à me efflagitabat. Hāc verò ego diu recuſans pœnitere me facti non obſcurè ſignificabam. Verùm is cum ſedulò inſtaret, & miſſis ex ſingulis Francofordianis mercatibus ad me libris, inuitaret amantiſsimè, ceſsi tandem vix poſt annos quinque æquiſsimæ illius voluntati, & præfationem deſideratam miſi. Ita ergo ante annos tres typis eius deſcripta Rhetorica mea diuulgata eſt, me quidem nolente, ſed non acriter tamen repugnante, ne animum forte Oporini, cuius amicitiam plurimi non immeritò faciebam, offenderem & à me alienarem. Fuit autem editio hæc plena erratis & mendis partim autoris, partim etiam typographi.

Digitized by Google

phi. Ego enim præproperè miſeram, nec poſtea recognoſcendi copia vlla concedebatur. Typographus verò propter operarum multitudinem quibus circumfluebat, multa etiam inter excudendum negligere coactus erat. Quæ res ſanè fecit vt ſæpè optarim, & nunc etiam optem, nullum planè editionis illius exemplar eſſe reliquum. Magnaq́ mihi deprecatione apud omnes doctos eſt opus, vt veniam in hac parte mihi dent, & peccatum hoc pro ſua ἐπιεικείᾳ condonent. Huic igitur errori vt præſens aliquod inuenirem remedium, faciendum mihi omnino fuit, vt, cum typographi Operiniani propter inopiam exemplarium de noua editione conſilium meum exquirerent, prioris editionis vitia corrigerem atq; ſanarem. Deinde cum intelligerem aliquid vtilitatis ex vitioſa & incondita editione ad ſtudioſam iuuentutem dimanaſſe, cœpi cogitare multò plus inde ad adoleſcentium ſtudia commodi peruenturũ, ſi integrior & politior aliquando efficeretur. Quare hæc altera eſt cauſa, cur nũc denuò paſſus ſim edi hanc Rhetoricæ artis partẽ, vt videlicet iuniores, qui dicendi artificiũ diſcunt, & in Ciceronis aliorumq́ ſcriptorum lectione vti-

liter verſari cupiunt, tandemq; & ipſi tolerabilē loquendi & ſcribendi facultatē ſibi parare ſtudent, hac tanq̄ iſagoge ſeu manuductione nonnihil adiuuentur. Verum quidē eſt, præcepta huius artis à multis præſtantiſſimis artificibus præclarè & ſolidè tradita eſſe, indeq; tanquam ex fontib. rectiſſimè peti debere: attamē ſi ad vſum ſcribendi et loquendi ea transferri iuſſeris, videbis plerosq; ſudare adeò, vt neq; principiū, neq; continuationē ſuæ orationis reperiant. Et ſanè experiuntur omnes, aut certè aliquando experti ſunt, quàm difficilis & ſæpè etiā moleſtus ſit labor exercendi ſtyli. Plerique enim diſcere ferè malunt, quàm ſcribere: audire, quàm loqui, & audita perceptaq; reddere. Hoc cū ita ſit, inuitandi ſtudioſi ſunt omnibus modis ad ſtyli exercitiū (ſine quo omnis opera quæ in doctrinarū ſtudio ponitur, ferè perit) capeſſendū, & ſedulò colendum. Id aūt commodius fieri nequaq̄ poſſe manifeſtum eſt, quàm præceptorū huius artis breui & perſpicua expoſitione, & illuſtriū exemplorū adiectione, et mediocri multitudine: vt habeant diſcentes in conſpectu non modò partes, & ſingulos locos ſeu mēbra, ex quib. oratiunculā componere debeant:

Digitized by Google

beant: ſed inſuper ipſam etiã formam, quã in ſcribendo tanq̃ Theſei filũ ſequantur. Hãc igitur ob cauſam præſens Rhetoricæ particula, & ſcribendi modũ per præcepta proponit, & mediocrẽ exẽplorum aceruũ adiungit, vt omniũ ferè argumentorũ quæ incidere poſſunt, copiam & exẽplar ſtudioſi habeant. Et exempla quidem ipſa eiuſmodi ſunt, vt omniũ penè ſenſib. & inſtituto cõuenire poſſint, & meritò ad capeſſendũ ſcribendi laborẽ inuitare diſcẽtes debeãt. De quib. tamen omnib. cãdidè et dextrè iudicari volumus, cũ non ãbitione, non vlla ingenij oſtentatione, aut φιλονεικεία cũ quoq̃ vlla de re hîc certemus, ſed exẽpla ſolũmodo ad docendũ apta nũc ex phyſica, nũc ex morali doctrina, interdũ etiã ex cõmunib. Chriſtianæ noſtræ religionis capitib. atq; initijs deprõpta rudiorib. exhibeamus. Et ſanè oportet illũ nimis eſſe petulantẽ & proteruũ, quiq́; oẽs verecũdiæ fines egregiè tranſierit, qui eiuſmodi modeſtorum hominũ pio & ſimplici ſtudio iuuandæ vtcunq; rei literariæ cauſa ſuſceptos labores, ſuis calũnijs deformat, et inſtar ſerpẽtis aut ſcorpionis erecto aculeo hinc atq; illinc quæritat, quod reprehẽdat, & vel ex triuio (quod aiũt) cõuiciũ

capere non veretur. Quin potius ita quiſq; exiſtimet, etiãſi quid aſperè dictũ, aut ſuis affectibus incõueniens alicubi reperiat, non propterea tamen omnia bona, quæ paruis malis fortè aſperſa ſunt, vituperari debere. Notũ eſt, quod Zeno cuidam iactitanti, multa ſibi in Antiſthene improbari, reſpondit. Cũ enim interrogaſſet eum, num qua etiam bona in illo eſſe putaret? isq́; hoc ſe ignorare dixiſſet, mox obiurgans eum Zeno, inquit: Tu impudens, audes ea quæ mala ſunt in Antiſthene odioſè venditare: quæ verò bona ſunt, ea ne ſcire quidem deſideras? Ita ſi non omnia omnibus in hoc Opuſculo fortè placuerint, illi dent pro ſua æquanimitate & candore veniã, bonis viris dignam: nec ſtatim cauillandi occaſionem ſe adeptos arbitrentur: ſed ſatis eſſe putent, ſi aliquid modò boni inſit, quod prodeſſe diſcentibus poſsit. Quid multis? Publicæ vtilitati conſulendum eſt, ſiue placeat paucis, ſiue multis. Ideo etiam libellum hunc bonis auſpicijs in manus ſtudioſorum exire voluimus, & vt eo feliciter ad diuini nominis gloriam, Eccleſiæ vtilitatem, & ſcholarum communisq́; ſocietatis inter homines ſalutẽ, fruantur, optamus ex animo. Quòd

verò

Digitized by Google

verò nominis veſtri, venerande ſenex, & generoſe adoleſcens, mentione atq; auſpicio laborem hunc in lucem emitto, cauſa, meo quidem iudicio, non reprehendenda eſt. Neceſſarium enim eſt omnino hominibus literatis, ad viros magnos, & eruditæ veræq; doctrinæ amantes, perfugium, in quorum patrocinio delitescant, & laborum ſuorum releuationē aliquam inueniant. Quòd certè inprimis tum conſequi eos exiſtimo, cum approbatione & fauore illorum ſuos conatus dignos iudicari vident. id quod ego de vobis omnino mihi perſuadeo, vtpote quorum animos vero erga literatos amore flagrantes iampridem perſpexi, nihilq; cupientes ardentius, quàm vt Chriſtianæ pariter religionis & artium literarumq; doctrina in orbe Chriſtiano prouehatur & propagetur in dies ſingulos, quò & Eccleſiæ ſtatus ſit florentior, & Reſpublicæ etiam minus propter literarum inſcitiam atq; barbariem conquaſſentur. Hæc de vobis, nihil dubitans, affirmo, veramq; hanc meā aſſeuerationem eſſe certò ſcio, maiora vobis tributurus præconia, ſi quicquam in viris nobilibus & generoſis poſſet eſſe præſtantius. Cætera ve-

ſtra ornamenta, quibus eſtis conſpicui, celebrent alij, mihi ſat eſt, pietatis religioſæ & literarum honeſtarum amorem in vobis prædicaſſe: quem in eo abundè declaratis, quòd Eccleſiæ alumnos complures ſtipendijs veſtris paſſim in ſcholis & Academijs liberaliter fouetis. Tales igitur cum ſitis, neq; debui ego dubitare, quin hoc literarium donum fauoris veſtri beneuolentia complexuri eſſetis: neq; veſtra etiam virtus atq; pietas aliam mercedē poſtulat, præter hanc laudis & gloriæ, voce & literis ad omnem poſteritatem propagandæ. Dignius vtiq; eſtis memoria vitaq́; longiore, quàm hac mortali, ſpacio breui anguſtoq́; comprehenſa. Sed deſino, Deumq; æternum, patrem Domini noſtri IESV Chriſti, quem verè agnoſcitis, inuocatis & colitis, oro, vt vos diu florentes conſeruet, & per vos aliquid opis & emolumenti ſuæ Eccleſiæ & ſcholis impertiat. Valete. Datæ Erphordiæ, Calend. Martij anno 1570.

Matthæus Dreſſerus.

Digitized by Google

INDEX PRAECIPVARVM MAteriarum, quæ exemplorum loco in priori libro citatæ proponuntur.

Exemplum petendi ſumtus ad ſtudia. Pag. 34
Exemplum exhortationis ad faciendum officium. 35
Oratio Baſilij: Attende tibijpſi. ibidem
Euangelium dominicæ primæ aduentus Matth. 21. 36
Epiſtola dominicæ 22. poſt Trinitatis Philip. 1. 37
Epiſtola de perfidia. 43
Oratio Ciceronis pro Archia. 46
Oratio Ciceronis pro lege Manilia. ibidem
Orationes Demoſthenis Olynthiacæ & Philippicæ. 49
Variæ, ſecundum ſex locos exordiorũ, formæ. 50
Exordium orationis Ciceronis pro Roſcio. 54
Exordiũ orationis pro Marcello. 55
Epiſtola de gratitudine ex 1. Ciceronis familiariũ 1. 56
Duæ epiſtolæ Ciceronis lib. 4. 67
Exordium orationis Ciceronis pro Deiotaro. Ibid.
Exordium orationis Ciceronis ad Quirites, &c. 68
Exordium orationis Ciceronis pro Murena ibid.
Exordium orationis pro Milone. ibidem
Exordiũ pro P. Seſtio. ibid.
Epiſtola 11. lib. 5. familiariũ. 74
Exordium pro Milone. 75
Exordium tertiæ olynth. Demoſthenis ibid.
Epiſtola Pauli ad Philemonem. 76
Narratio Terentij act. 1. ſcena prima Andriæ. 78
Epiſtola 1. lib 1. familiar: 79
Epiſt: 12. lib. 4. familiar: ib.
Liber 2. Virg. Æneid. 80
Narratio de comite bigamo 81

Oratio

Oratio Iunonis ad Æolum Æneid.1. 83
Propoſitiones epiſtolæ ad Rom. 86
Propoſitiones lib.5. de Tuſcul. quæſt. 87
Propoſitiones trium librorum de N.D. Ibidem
Propoſitiones 5.lib.de finibus Ibidem
Tres de officijs libri 88
Dialogus de ſenectute. Ibi.
Propoſitionum cumulus in Euangelio de ingreſſu Chriſti Matth.21. ibid.
Epiſtola prima dominica aduentus Rom.13. 92
Principalis ſyllogiſmus oranis pro lege Manilia. 95
Oratio prima in Catilinam. 96
Olynthiaca 2 Demoſth.ibid.
Lycurgi oratio contra Leocratem. 97
Gratiarum actio in die natali. 98
Partes libelli Iuriſtarũ. 99
An ſit Deus. 104
An ſit prouidentia. 107
An ſint manes. 112
De gratia. 119
Libri tres Ciceronis de officijs. 122
Dialogus de amicitia. 124
Epiſtola ad Rom. qua methodo ſcripta ſit. 126
De ſtella quæ magis præluxit. 128
Prima Tuſculana Ciceronis, Quòd mors non ſit mala. 131
De uoluptate. 132
An mundus ſit æternus. 137
Duæ epiſtolæ Ciceronis lib. 5. familiarium. 143
Pro Roſcio, An occiderit patrem. 144
Pro Celio, an uenenum Clodiæ pararit. 146
Accuſatio mariti de cæde uxoris. 150
Accuſatio Philologi, quòd noctu pulſarit. 157
Pro Milone, quòd liceat hominem interficere inſidias ſtruentem, et quòd Clodius ſit inſidiatus. 162

Depre-

Deprecationis exemplum pro Ligario. 165
Accuſatio Leocratis ob perfidiam erga patriam. 166
Oratio Æſchinis contra Cteſiphontem. Ibidem
Demoſthenis de corona. 167
An liceat hominis incommodo ſuum augere commodum. ibidem
Diſputatio de cæde matris cum adultero, ex Electra Sophoclis. 168
An liceat dolis aliquando uti. Ibidem
An rectè Agamemnon recuſarit reddere ſacerdoti filiam, Iliad. α. ibid.
An iuſtè Agamemnon eripuerit Achilli Briſeidem. ibidem
An iuſtè Anaxilaus Byzantium hoſti tradiderit. 169
An Iulius Cæſar iuſtè ſit interfectus. 170
De bello Abrahami contra quatuor reges. 176
An Moſes iuſtè occiderit Ægyptium. 177
De Naboth denegante uineam ſuam regi Achab. 179
An iuſtum ſit cenſum dare Cæſari. 180
An litigatio forenſis ſit conceſſa. 184
An Conſtantinus magnus donarit pontifici primatum Eccleſiæ, &c. 184
An Aſtrologia ſit conceſſa. 186
An bona opera ſint neceſſaria ad ſalutem. 187
Si uis ingredi in uitam, ſerua mandata. 191
Non cognouit eam donec peperit, &c. 192
Fruſtra ſeruat Euangelium qui non ſeruat canones. Ibidem
Pauli dictum: Exuite ueterem hominem et induite nouum. 194
Vtrum iuris potior, quàm æquitatis ratio ſit habenda. Exemplum de eman-

emancipata adoptiua filia. 195
Aliud eiuſdem generis de nuptijs filiæ furioſi. 196. 179
An uſura ſit licita. 197
De fructu ſine uſu legato. 197. 198
An licuerit Antigonæ humare fratrem contra edictum regis. 198
Tempus ſapientiſſimum & rudiſſimum. 199
De ſabbato Chriſtianorum. 200
Quòd liceat occidere inſidiatorem. 201
Dictum Euangelij: Hunc audite. ibidem
Duo exempla translationis. 202. 203
Epiſtola hortans ut ſtatim ab initio ætatis doctrinæ ſtudijs nos dedamus. 206
Adhortatio ad bellum Turcicum. 208
Epiſtola adhortatoria ad ſcribendum. 214
Epiſtola Cic. 17. lib. 5. famil. 218
Oratio Granuellani hortatoria ad Concordiam. 220
Epiſtola ſuaſoria Ciceronis, ex 4. famil. 222
Oratio Aiacis de modeſtia, ex Sophocle. 225
Oratio Cyri ad filios de Concordia, ex 7. παιδείας Xenophon. ibid.
Petitio amicitiæ alicuius. 226
Petitio uictus à parentibus. 230
Epiſtola Ciceronis 5. lib. 2. familiarium. 236
Oratio Ariſtagoræ ex 5. Herodoti. 237
Precatio ſtudioſorum. 239
Oratio Ioannis Friderici ducis Saxoniæ in cuſtodia. 240
Oratio Annibalis petentis pacem à Scipione. 242
Pſalmus 6. 246
Pſalmus 13. 247
Pſalmus 25. ibid.

Epiſto-

Epiſtola Ciceronis 5.lib.4. familiarium. 257
Epiſtola 1.lib.6. 259
Epiſtola 16. lib.5. familiarium. 260
Conſolatio amici mœrentis obitum parentum. 262
Alia conſolatio in obitu alicuius. 268
Conſolatio aduerſus calamitates. 277
Conſolatio contra contemtum literarum. 282
Conſolatio Theologica in obitu amici aut cognati. 300
Conſolatio Theologica in ærūnis ſcholaſticis. 305
Conſolatio Theologica in afflictionibus. 315
Pſalmus 42. 326
Deſcriptio Chriſti ſecundum Euangeliſtas & præſertim iuxta Lucam. 341
Laudatio Iacobi Patriarchæ. 342.343
Laudatio Antonini Philoſophi. 550
Epiſtola cōmendatitia Cic. 5. ex lib.7. 357
Epiſtola Ciceronis 16.lib.11. Ibidem
Commendatio ſtudioſi 358
Vituperatio Iuliani apoſtatæ. 360
Vituperatio negligentiæ. 372
Epithalamium. 382
Pſalmus 128. 286
Deſcriptio cygni. 387
Columbæ. 397
Ciconiæ. 398
Phœnicis. 399
Pardalis. Ibidem
Africæ. Ibidem
Inferni. 400
Domus Priami. ibid.
Erphordiæ. 401
Fontis. 423
Horti Alcinoi. ibid.
Amaranti purpurei. 424
Vitis uiniferæ. 426
Ficus. 437
Sycomori. 438
Sinapi. 439
Myrrhæ. ibidem
Auri. 440

Amianti

Amianti lapidis. 441
Margaritæ. 442
Pſalmus 1. 444
Pſalmus 133. 445
Explicatio dicti Baſilij: Tam opus eſt docentibus concordia, &c. Ibidem
Oratio Ciceronis pro M. Marcello. 447
Oratio de tranſitu populi Iſrael per Iordanem. 449
Oratio Ciceronis ad Quirites poſt reditum. 466
Epiſtola Ciceronis 11.lib.15. familiarium. 467
Pſalmus 34. Ibidem
Pſalmus 103. 469
Epithalamia duo. 472.476

FINIS.

Digitized by Google

MATTHÆI DRESSERI ERPHORDENSIS προλεγόμενα Rhetoricæ.

SVMMA ars eſt, & decus eximium, poſſe ſapienter & uerè de rebus iudicare: eaſdemq; diſertè, ornatè & perſpicuè explicare: adeò quidem, ut beatus ille non immeritò cenſeatur, cui uel in ultima ſenectute contigerit, ut ſapientiam uerasq; opiniones conſequi poßit, & eadem alijs tradere & communicare appoſitè ualeat. Hæc enim facultas ſupra modum hominem exornat, & uerè eſt donum diuinitùs humano generi conceſſum atq; tributum, ut grauißimè à Platone traditur in Epinomide: ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἂν διδάξειεν, εἰ μὴ θεὸς ὑφηγοῖτο. id eſt: Nemo autem docebit, niſi Deus dictet. Quòd ſi tantum ornamentum hæc iudicandi & dicendi uis homini adfert: nemini ſanè dubium eſſe debet, quin multum operæ, atq; adeò uniuerſum uitæ ſtudium ad eam adipiſcendam ſit conferendum. Etſi autē aditus ad hanc facultatem difficilis eſt, & in hac effœta & delira mundi ſenecta, in quam fato ætas noſtra incidit, aut nunquam, aut raro alicui contingat, ut hoc excellens donum aſſequatur: tamen opera danda eſt, & dum in uita ſumus, totis uiribus connitendum, ut & mediocri cognitione rerum, & tolerabili orationis facultate nos inſtruamus. Eſt enim huic uitæ utroq; hoc adiumento

Cōmendatio facultatis intelligendi & dicendi.

mento opus, cùm rerum bonarum, utilium & neceſſariarum inquiſitione & cognitione, tum earundem concinna & erudita expoſitione. Ideo, etiamſi ad ſummam illam & ſuis numeris abſolutam eloquentiam ingeniorum noſtrorum imbecillitas aſpirare nequeat: tamen pro uiribus unuſquiſq; elaborare debet, in idq; ſumma animi contentione incumbere, ut propter communem utilitatem et neceßitatem qualicunq; doctrina animum imbuat, & dextrè res animo conceptas et cõprehenſas explicare diſcat: quò & Deo grata dicere poßit, Eccleſiæ inſeruiat, & aliquid opis et adiumenti ad uitam humanam adferat. Cum igitur in his duobus tota ſtudiorum noſtrorũ ratio tanquam in cardine uerſetur & conſiſtat, omnino curæ nobis eſſe debet, ut ad ea nos ſtudioſè præparemus: & uias quæramus, per quas quàm commodißimè, & ſine ambagibus ad finem deſtinatum peruenire poßimus. Vt enim peregrè proficiſcens, minus moleſtiæ & difficultatis capit, ſi ſemitas rectà ad id quò intendit ducentes nouerit: ita qui ſapientiæ & eloquentiæ poſſeßionẽ expetunt, faciliùs & minori cũ negocio & labore uoti ſui compotes fient, ſi modum & rationem propoſitã habeant, in quam ſemper oculos defigant, et mentem intendant, proſpicientes quaſi metã, ad quam omnes cogitationes totumq; ſtudium dirigere debeant.

Finis et media ad finẽ ducẽtia in omni re eligenda.

Cum autẽ in conſilijs & actionibus omnibus non tam finem ipſum, quàm media ad adſequendum illum neceſſaria ſpectare neceſſe ſit: certè conueniet etiam in artibus diſcendis eam adhibere curam, ut & finis proſpi-

proſpiciatur, & media etiam, per quæ eundum eſt, teneantur. Nihil enim uel Cicerone teſte ſtudia proſunt perueniendi aliquò, niſi illud, quod eò, quò intendas, ferat deducatq́;, cognoris.

Finis ſtudiorum.

Eſt autem finis literarum ſtudioſis propoſitus, ſapienter ſentiendi, ornateq́; dicendi ſcientia, quam σύνεσιν ἢ γνῶσιν καὶ ἑρμηνείαν τῶν δεόντων, id eſt, intelligentiam ſiue cognitionem & explicationem eorum, quæ opus eſt ſcire & dicere, Thucidides lib. 2. appellat. Etſi uerò eadem doctrina & rectè ſentiendi & bene dicendi magiſtra eſſe uideatur, neq; in magno uiro ſapientia ab eloquentia ſciungi poßit: tamen aliæ ſunt artes, dißimilisq́; ratio diſcendi rerum optimarum cognitionem, & parandi eum dicendi modum, facultatemq́;, qua id quod ſentimus politè efferre poſſimus. Sunt igitur de utraq; facultate paranda ſeparatim præcepta danda, & oſtendendus modus ſiue media, quæ & ad intelligendi & dicendi diſciplinam, ſiue rerum & uerborum doctrinam deducant. Ac in his quidem rerum cura prior eſt, uerborum poſterior. Oportet enim prius de rerum atq; artium ſcientia ſollicitos eſſe, quàm ad ſcribendū dicendumúe animum appellere. Id quod uerbis admodum uenuſtis & aptis extulit Cicero, cum in 1. de Oratore inquit: Ex rerum cognitione efflореſcat & redundet oportet oratio, quæ niſi ſubeſt res ab oratore percepta & cognita, inanem quandam habet elocutionem, & penè puerilem. Sine doctrina igitur ſiue cognitione rerum, omnis ſermo futilitas quædam eſt,

Cura rerū prior quā uerborum.

& dat prorſus ſine mente ſonum. Ex quo Cicero *fundamentũ eloquentiæ ſapientiam ſtatuit, efficiendumq́; eſſe monet in oratione, ut dubium ſit, utrum res oratione, an uerba ſententijs illuſtrentur: id quod* Thucydidem *ſumma laude præſtitiſſe affirmat. Nec minus approbatione digna eſt* Ariſtotelis *ſententia, quæ calamum in mente potius, quàm in atramento tingendum eſſe pronunciat.*

Fontes ſapientiæ & cognitionis rerum.

Porrò fontes ſiue genera præcipua artium, ex quibus ſapientiam doctrinæq́; eruditionem ſumi oportet, ſex ſunt. Primus eſt, Cœleſtis *doctrina: ſecundus,* Ethica: *tertius,* Phyſica: *quartus,* Mathematica: *quintus,* Hiſtoria: *ſextus,* Poeſis.

I. *Primus fons eſt* Theologia, *ſiue ſcriptura cœleſtis, quæ in ſcriptis propheticis et apoſtolicis cõprehenſa, auguſtiſsimus fons eſt ueræ, diuinæ & æternæ ſapientiæ, unde & nos ipſos erudire, & alios uiciſsim docere de multis & grauiſsimis, maximeq́; neceſſarijs rebus poſſumus. Eſt enim partim* διδασκαλία, *id eſt, doctrina de rebus ad ſalutem neceſſarijs, unde &* Deum *& nos ipſos cognoſcimus, & alijs uiciſsim de* Dei *erga nos uoluntate et noſtra ipſorum immundicie & corruptione cõcionari poſſumus: partim* παραμυθία, *id eſt, cõſolatio, qua noſmet ipſos et alios ſuſtentamus in omnibus tẽtationibus, terrorib. & calamitatibus, certa ſpe auxilij, liberationis & ſalutis in* Chriſto *mediatore fixa & locata: partim* παραίνεσις, *id eſt, præceptio de agendo, ſiue hortatio ad iuſta & honeſta opera utriuſq;* Decalogi *tabulæ de uero* Dei *cultu & officijs omnibus erga proximum in*

hac

hac ciuili uita neceſſarijs. Secundus fons eſt doctri- II.
na Ethica, cum qua coniuncta eſt etiam Politica, & quæ hinc nata eſt Iuriſprudentia, quæ totius uitæ ciuilis, priuatæ & publicæ uſum cultumq; complectuntur & explicant. Ethica enim præcepta de uita & moribus honeſtè inſtituendis atq; regendis tradit. Politica de cõſtituenda & gubernanda Repub. tractat, ut Dei cultus, diſciplina & pax retineatur & floreat. Iuriſprudentia, quid iuſtum, quid iniuſtum, quid æquum, quid iniquum ſit, oſtendit. inde lites & controuerſiæ omnes cognoſci & dijudicari poſſunt. Huius ſcientia ad dicendum omnino eſt neceſſaria. Tertius fons eſt III.
Phyſiologia, hoc eſt, naturæ & rerum naturalium ſcientia: ex hac multi nerui, et quædam orationis ſublimitas oritur. Huius ſoboles eſt medicina, quæ quoq; rerum omnium ad ſanitatis curam atq; cuſtodiam neceſſariarum, tum etiam morborum ſingulorum cognitionem complectitur. inde orationis materies ampliſſima, & quaſi quædam ſeges naſcitur. Quartus fons IIII.
eſt Mathematica, quæ doctrinam numerorum, figurarum, locorum & motuum effectionumq; cœleſtium corporum tradit. Quintus eſt Hiſtoria, quæ omnis V.
uetuſtatis memoriam conſeruat, & dicta factáq; memorabilia recitat, adeóq; uiuis exemplis uitam omnium hominum inſtruit, à uitijs metu regularium pœnarum auocans, & ad uirtutis amorem cultumq; præmiorum omnibus ſeculis comprobata certitudine inuitans. Hac non amplificanda ſolùm, ſed illuſtranda etiã eſt omnis oratio. Sextus Poeſis, quæ multas partes doctrinæ VI.

Ethicæ, Phyſicæ & hiſtoriarum admirabili ſuauitate & uenuſtate uelut pictura tradit & explicat. Hac oratio non ſolùm uberior efficitur, ſed quaſi quodam ſale etiam perſpergitur & conditur. Ex his fontibus ſapientiam haurire neceſſe eſt, complereq́; pectus doctrina utili & ſolida, ut oratio noſtra neruoſa ſit, ac quadam uarietate rerum & copia abundet. Per hæc doctrinarum genera, ſiue facilia, ſiue difficilia ſint, eundum eſt his qui rerum ſcientiam uenantur & deſiderant. Etſi autem ſolidè à nullo cognoſci omnia illa poßint: tamen aliqua ex his noſſe, cætera deguſtaſſe, ſatis fortè fuerit. Atq; hactenus eloquentiæ fundamenta oſtendimus.

Eloquëtiæ parandæ media.

Ipſa uerò eloquentia, qua uelut inſtrumento comprehenſam animo rerum optimarum doctrinam enunciare, explicare, & ad uſus neceſſarios transferre poſſimus, alijs medijs paratur, quæ in dicendi artibus monſtrantur. In primis tamen Rhetorica huic artificio orationis inſeruit & deſtinata eſt.

Duo docet Rhetorica.

Docet enim hæc duo potißimùm hæc ars, primùm quomodo in aliorum ſcriptis atq; inuentis initium, progreſſum atq; finem cum omnibus partibus atq; ornamentis perſpicere atq; cognoſcere debeamus, ut & ſummam rei ſenſu atq; animo complectamur, & adminicula intermedia decoraq́; omnia intelligere poßimus.

II.

Secundò, quo pacto ipſi, cum ſcribendum dicendúmue aliquid fuerit, oratione perſpicua & ornata noſtrorũ animorũ ſenſa explicare et exprimere debeamus, ut & intelligi quæ uolumus ab alijs rectè poßint: &

& mentes allicere, uoluntatesq; impellere cohortando, perſuadendo, obiurgando & conſolando, ubi et quoties neceſſe eſt, ualeamus. Hæc facultas tam admirabilis & magnifica quo modo, quibuſúe medijs et adminuculis paranda ſit, omnino neceſſarium eſt diſcentibus monſtrare. Sunt autem media ſiue adminicula in hoc genere duo præcipua: præcepta Rhetoricæ, & exempla. Præcepta enim artificium orationis, hoc eſt, componendi ſeu coagmentandi rationem præſcribunt. Exempla uerò id quod in præceptis eſt, uſu ipſo demonſtrant & perficiunt. Duo media, præcepta & exempla.

De præceptis Rhetoricæ.

Primum præcepta tenere oportet, quæ animos noſtros in ſcribendo & loquendo gubernent, & duces ſint ſcribendi operis, monſtrantes uiam, qua incipiendum & pergendum ſit, ut certo ordine & ratione ſtilus in quocunq; genere cauſæ procedat. Oportet .n. orationem in unum quaſi corpus redigi, membris omnibus aptè & ordine diſtinctis, ut media & extrema ſibi inuicem, & toti conueniant. Quocirca diſcenda ſunt præcepta hæc, quæ de dicendi & ſcribendi ratione traduntur, ut eorum adminiculo atq; ductu & inuenire quæ dicenda ſunt, & ea ordine uiaq; recta & uſitata proferre poßimus. Sunt .n. σύνεργα, id eſt præparantes cauſæ, ſiue inſtrumentum dicendi facultatis. Præceptorum uſus.

Naturæ quoq; in dicendo magna eſt uis, quæ ſi cũ his præceptis coniungatur & uſu confirmetur, mirificè eloquendi facultatem augebit & ornabit. Pindarus Oda 9. Olymp. uel hanc ſolam prædicat: τὸ ἢ φυᾷ Natura.

κράτιστον ἅπαν. πολλοὶ δὲ διδακταῖς ἀνθρώπων ἀρεταῖς κλέος ὤρουσαν ἑλέσθαι. ἄνευ δὲ θεοῦ σεσιγαμένον γ' οὐ σκαιότερον χρῆμ' ἕκαστον. Quòd *natura ineſt, plurimum poteſt uniuerſum: multi uerò per inſtitutionem & doctrinam magni euadere conati ſunt. Sed quia inuito* Deo, *ſilentio ſepulti ſunt.* Ciceronis *ſententia nota eſt in oratione* pro Archia: *Cũ ad naturam eximiam atq; illuſtrem acceſſerit ratio quædam, confirmatioq; doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare ſolet exiſtere.* Tametſi *uerò dubium non eſt, in omnibus præſtantibus oratoribus naturæ uires & diuinum aliquem animi motum cum doctrina fuiſſe coniunctum, ſicut de* Iſocrate *ſcribit in* Oratore Cicero ex Platonis Phædro: *tamen ne quis ob ingenij inopiam,* καὶ τὴν φύσιν καταδεεστέραν, *aditum ſibi omnem ad parandam dicendi facultatem intercluſum eſſe putet, addenda eſt correctio, qua* Plutarchus *conſolatur eos, quibus naturæ uires exiguæ ſunt conceſſæ atq; tributæ.* Non *tam enim quantum natura ualeat curandum, quàm quid cura & ſtudio nauare & efficere debeamus & poßimus, uidendum eſſe monet.* Etſi *igitur ingenium non ita eſt magnum, nihilominus tamen annitendũ eſt, ut facultatem qualẽcunq; exponendi cogitationes ſenſaq; noſtra comparemus: & ſi in primis locis non datur, in ſecundis tamen uel tertijs conſiſtamus.* Nec *nimus certè opera iſta* Deo *grata eſt, & alijs ſalutaris eſſe poteſt, quæ præſtatur pro uiribus, etiamſi ad ſumma propter imbecilliorem ingenij aciem conniti nequeamus.* Modò *ipſi nobis*

Digitized by Google

nobis non deſimus, ſed diſcendi exercendiq; curã ſedulam adhibeamus, tunc proculdubio fiet, ut natura ipſa ſtudio mollita cultum ingenij admittat, & ſicut ferrũ ferro, ſic ipſa diſcendo conãdoq; acuatur et augeatur. Demoſthenẽ impedimenta naturæ diligẽtia ſuperaſſe, ſcribit Cicero 1. de Oratore.

Cauſæ quæ nos impellere debent ad loquendi ſcribendiq; ſtudium.

Prima, Neceßitas. Nam ſine dicendi facultate omnis ſtudiorum, quæ quidem in artibus diſcendis ponuntur, ratio manca eſt. Quis enim ſapientiæ doctrinæq; uſus eſſe poteſt, niſi oratione perſpicua et apta ad uſum aliorũ conuertatur? Deinde neque Eccleſia, neq; Reſpub. neq; ſcholæ uſu ſermonis carere poſſunt. Proinde neceſſariò omnibus ſtudioſis expetenda & acquirenda eſt hæc dicendi ſcientia, niſi uelit fructu ſtudiorum ſuorum Eccleſiam & Rempub. nefariè defraudare. I. Neceßitas.

Secunda, Honeſtas. Diuinum enim & honore ſummo dignum eſt donum Dei, eloquendi uis, quæ cœtus hominum tenere dicendo poßit, imperitos docere, languentes & afflictos conſolari, geſtientes comprimere, & cupiditates iracundiasq; reſtinguere, deniq; quò et unde uelit mentes uoluntatesq; deducere. Cicero in 1. de Orat. Quid enim eſt aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere unum, qui id quod omnibus natura ſit datum, uel ſolus, uel cum paucis facere poßit? Hæc quanta ſit dignitas, etiam ex II. Honeſtas.

Digitized by Google

Homerici oratoris deſcriptione conſpici poteſt, quæ extat Odyſſ. θ.

ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει, οἱ δέ τ' ἐς αὐτὸν
τερπόμενοι λεύσσουσιν, ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύει
αἰδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισι.

Quem Deus eloquio ornauit, ſpectare ſolemus,
Attentique audire omnes, cùm dulcia fundit
Verba verecundè, ciues verisque gubernat
Conſilijs, longè quos inter hic emicet vnus
In dubijs rebus, cum concio magna coacta eſt.

III. Vtilitas. *Tertia, Vtilitas. Tota ratio benè dicendi eſt illuſtris & copioſa explicatio octaui præcepti Decalogi. Non enim aliud eſt eloquentia, quàm ueritatis, hoc eſt rerum uerarum illuſtratio, & falſarum ſiue mendaciorum refutatio. Eſt igitur ampliſsimus huius artis uſus in omni explicatione & propugnatione ueritatis, & confutatione Sophiſticæ, calumniarum, ſimulationum, malorum prætextuum ad faciendam iniuriam & decipiendum alios comparatorum. Hinc quanta commoda ad omnes uitæ partes in omnibus officiorum muneribus promanent, haud facilè dicendo exprimi poteſt. Primùm, in Eccleſia cœleſtium dogmatum explicatio omnino hāc eloquendi uim requirit, quæ apertè, diſtinctè & copioſè conciones propheticas & apoſtolicas interpretetur, & excitare afflictos, dare ſalutem perterrefactis, liberare metu, & retinere in uera obedientia erga Deum, cultuq; proximi poßit: tum quæ ſecus ſentientes ueritatemq; oppugnantes redarguat, ut uicti de ſententia cedant, & ueritati aſſentiantur.*

antur. Homerus Iliad. γ. bellè comparat concionatorem cicadis:

———ἀλλ' ἀγορηταὶ
ἐσθλοὶ τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵ τε καθ' ὕλην
Δενδρέῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι:

Concionatores boni cicadis ſimiles, quæ in ſylua arbori inſidentes uocem delectabilem emittunt. Huc reſpiciens Salomon, fontem uitæ os pij oratoris apellauit, Prouerb. 10. Secundò, in ſcholis eloquentiæ beneficio 2
non artes ſolùm & linguæ enarrantur, ſed cupiditates etiam reſtinguuntur, & ad modeſtiam obedientiamq; diſcentes flectuntur. Tertiò, ad omnes partes Reipub. 3
forum, iudicia, conſultationes & actiones penè omnes uti neceſſe eſt eloquendi facultate. Hæc enim omnia adminiſtrantur oratione bona, ſapientibus ſententijs & rebus grauibus conſtante. Ariſtotel in Rhetor. ad Alexandrum: Quemadmodum Imperator ſui eſt ſeruator exercitus, ita eloquentia cum ſapientia coniuncta humanæ uitæ gubernatrix eſt. Quartò, cum inter 4
nos ipſi colloquimur, uel in epiſtolis, uſum quoq; non minimum habet facultas iſta, qua exprimere dicendo ſenſa poſſumus. Has utilitates animo colligentes & meditantes, iurè amabimus hoc dicendi ſtudium, ſummeq; in eo elaborandum eſſe putabimus, ut uocem aliquando in Eccleſia, Schola uel Reipub. aliqua parte cū quadam authoritate & utilitate edere poßimus, & in epiſtolis etiam ſcribendis eruditis uiris placeamus, & priuatis deniq; colloquijs planè, ornatè et aptè congruenterq; ad id quodcunq; agetur, dicamus.

Quarta:

IIII. Suauitas.

Quarta: Inuitare ad colendum dicendi ſtudium nos debet ſuauitas, de qua Cic. 2. orat. inquit: Tanta oblectatio eſt in dicendi facultate, ut nihil hominum aut auribus, aut mentibus iucundius percipi poßit. Propter has cauſas in ſtudium eloquentiæ incumbendum eſt, ut & Eccleſiæ & Reipub. emolumento eſſe, nobis ipſis & alijs honori & utilitati eſſe poßimus. Proprium oratoris, inquit Cic. eſt apertè, diſtinctè et ornatè loqui.

Finis.

Finis ſecundum Platonem in Phædro eſt, κεχαρισμένα τῷ θεῷ λέγειν, grata Deo dicere. Inquit enim: In ſtudio aſſequendi artem dicendi non ideo inſudabit uir prudens, ut dicere & agere ad homines poßit: ſed ut ea potius & loqui & agere, quæ Deo grata ſunt, ualeat. Ex quo ſanè intelligitur, non quemlibet ſermonem de rebus quibuſuis eſſe eloquentiam: ſed eam tantùm orationem, quæ Deo grata, id eſt, ἀληθῆ, σεμνὰ, δίκαια, ἅγια, προσφιλῆ καὶ εὔφημα, hoc eſt, uera, honeſta, iuſta, pura, accommoda, et laudabilia dicit. Vnde & Ariſtoteles 1. Rhetor. ait, Rhetoricam docere uera & iuſta perſuadere, & horum contraria fugere.

Effectus.

De ui & effectu eloquentiæ admirabili, paßim multa præclara Cicero prodidit in 2. de Orat. inquit: Tantam uim habet illa, quæ rectè à bono Poëta dicta eſt flexanima, atq; omnium regina rerum oratio, ut non modò inclinantem erigere, aut ſtantem inclinare: ſed etiam aduerſantem & repugnantem, ut imperator bonus & fortis, capere poßit. In Socratis oratione tanta

Digitized by Google

tanta uis fuiſſe perhibetur, ut in eorum mentibus, qui audiſſent, quaſi aculeos quoſdam reliquerit. Cicero 3. Orat. Cum Cicero Ligarij cauſam acturus eſſet, dixerat Cæſar ad amicos, ſe iam tum quidem in animo ſuo Ligarium condemnaſſe, non nocere tamen Ciceronianæ eloquentiæ flumen audire. Cumq; eum perorantem audiſſet, mutata animi ſententia, abſoluendum omnino Ligarium exiſtimauit, permotus ui et diuino eloquentiæ impetu. Cæterùm Ariſtoteles lib. 1. Rhetor. ad Theodecten, cap. 1. diſertè inquit, Opus Rhetoricæ non eſſe perſuadere, ſed poſſe, quæ in ſingulis credibilia ſunt, perſpicere: uelut etiam in cæteris artibus omnibus, & in medicina non eſt ſanitatem inducere, ſed bene curare.

Adiuncta orationi.

1. Cum oratione coniungi debet ἦθος, id eſt, mores honeſti & inculpati, ſiue uita benè & laudabiliter acta. Nihil enim eſt, quod tam commendet orationem, quàm mores dicentis, ut in Menandri dicto eſt: ἦθος πείθει, οὐ λόγος: mores perſuadent, non oratio. Et Cicero inquit: Malè mecum agitur, ſi me oratio potius quàm uita mea purgat. Et Nazianzeni nota eſt ſententia: Qui non uiuit ut docet, altera manu deſtruit, quod altera docuit. Danda eſt igitur opera, ut quæ alijs ſuademus, nos ipſi facere uideamur ne orationem uita redarguat. Demoſthenes in epiſtola ad ſenatum populumq;: Adhortor alios ad deponenda odia, cùm quidem ſimili humanitate multi erga me non ſint uſi, qui me iniuſtè & ſeditioſè inimicis propinarunt. Sed

indico non explendam eſſe uindictæ cupiditatem cum pernicie publica, nec priuata odia miſcenda eſſe negocijs publicis: ſed me primùm hanc moderationem, ad quam alios adhortor, præſtare debere. Et de exemplis *ſapienter* Lactantius *inquit:* Homines *malunt exempla, quã uerba: quia loqui facile eſt, præſtare difficile. Vtinam quidem tam multi benefacerent, quàm multi loquuntur: ſed qui præcipiunt, nec faciunt, abeſt ab eis fides. Quare meminerimus regulæ, quæ præcipit,* ὅσια λέγειν καὶ πράττειν, *ſancta dicere & agere.*

II. *Affectus, ut ſeriò & uerè ita ſentiamus, ſicut loquimur: & oratio noſtra non in labris, ſed in mente & intimo pectoris ſinu nata eſſe uideatur.* Eſt *enim oratio animi index, planè & diſertè cogitationes & ſenſa eius exprimens.* Creon *apud* Sopho. *in* Odip. Tyr. ἃ μὴ φρονῶ, οὐ φιλῶ λέγειν μάτην: *quæ non ſentio, non ſoleo dicere fruſtra. Quocirca cauendum eſt accuratè, ne quid ſimulatè dicamus: ſed ſeriò ita ipſi ſentiamus, ſicut alijs perſuadere uolumus, quaſi ipſi prius id in nobis ipſis uſu probauerimus. In* Actis *apoſtolicis cap.18. deſcribitur* Apollos *tanquam orator in* Eccleſia *tribus* προσκειμένοις, *ſiue adiunctis & ornamentis.* Primò: *quòd ſit* λόγιος, *id eſt, eloquentia præditus, quæ inſtrumentum eſt docendi de* Deo. Secundò. δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, *potens in* Scripturis. Tertiò: ζέων τῷ πνεύματι, *feruens* Spiritu.

III. Ἀφέλεια, *id eſt, ſimplicitas ueritatis pediſſequa: & modeſtia continens ſe intra metas rei quæ agitur.*

tur. Eurip. ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ, ſimplex eſt ueritatis oratio: in Phœniſſis. Vnde monet Ariſtoteles, πεφυκότως λέγειν, καὶ μὴ πεπλασμένως: id eſt, ita dicere, ut ipſa natura requirit, & non nimis comptè, & in omni ſermone ualeat illud Ariſtotelis: οἱ λόγοι ὥσπερ τὰ πράγματα: ut res ſunt, ita oratio. His enim limitibus oratio omnis incluſa eſt, ut rei, de qua habetur, ſit conſona & apta, eamq; neq; excedat, neq; minuat. Intra hanc metam coercitus ſermo plurimum utilitatis et gratiæ habet. Pindarus Nemeo Ode 7. ἀπομνύω μὴ τέρμα προβὰς, ἄκονθ᾽ ὥς τε χαλκοπάραον, ὄρσαι θοὰν γλῶσσαν: Iuro me non progreſſum eſſe ultra metam, nec mouere celerem linguam ſeu acutam ſagittam de te. Heſiod.

γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος,
φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης:
Non alia eſt melior res, quàm cuſtodia linguæ,
Gratia quā decorat moderatæ ſumma loquelæ.

In Eccleſia etiam genus ſermonis firmiſſimè retinendū eſt, & uerba inuſitata tanquam ſcopuli uitanda, ne mutatis uerbis, rerum etiam mutatio ſequatur. Monet igitur Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 23. quaſi ex religione eſſe loquendum de Eccleſiæ dogmatibus, & non niſi certo præſcriptoq; uerborum genere eſſe utendum. Nobis autem ad certam regulam, inquit, loqui fas eſt, ne uerborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.

IIII. Oratio debet eſſe tempeſtiua. Aeſchylus: ἔπτα

ἕπῖα ἐπὶ θηβαῖς: φιλεῖ δὲ σιγᾶν, ἢ λέγειν τὰ καίρια: *Solet autem tacere, aut loquitur tempeſtiuè. Sermo enim importunus, etiamſi alioqui ſit bonus, gratiam nullam inuenit. Sophocles* Oedi. Tyran. πάντα καιρῷ καλὰ, *omnia tempeſtiua pulchra.*

V. *Conſtantia: ut quæ uera, iuſta & neceſſaria ſunt, animo magno dicamus & defendamus, nec metu offenſionis quorundam orationem inflectamus: quod adulatoris magis eſt, quàm oratoris.*

VI. *Integritas ſine* πλεονεξίᾳ καὶ κενοδοξίᾳ, *id eſt, auaritia & gloriæ captatione.* Non *enim, ubi hæc obſtant, rectè dici neq; geri quicquam poterit.* Pericles *orator apud* Thucyd. *lib.* 2. *gloriatur, ſe eſſe* κρείσσονα τῶν χρημάτων, *id eſt, ea præditum integritate, ut pecunia expugnari ſe nõ patiatur. Qui aũt pecunia corrumpi poteſt, omnia uenalia habet.*

VII. Ἐπιείκεια, *id eſt, modeſtia comes ueritatis: hac in oratione in primis eſt opus.* Non *enim uſqueadeò amare noſtra debemus, ut nihil niſi quod ipſi dicimus, rectum putemus: ſed meliora ſentientibus modeſtè locum relinquere, & de ſententia, ſicubi neceſſe eſt, cedere, præſertim ubi inuiolata religione & integro officio id fieri poterit.* Plutarchus *de* Educandis *liberis:* Nihil *eſt quod odio tanto ſit dignum, ut mores difficiles, & in diſceptationibus* παντελῶς ἀπαραχώρητον εἶναι, *omnino pertinacem eſſe.* Cyrus *apud* Xenophontem *lib.* 4. παιδείας *in fine orationis addit:* ἐγὼ μὲν οὖν οὕτω γιγνώσκω, εἰ δὲ ἄλλος τὶς ὁρᾷ ἄμεινον, λεγέτω: Ego *quidem ſic ſentio, ſi*

quis

quis uerò alius eſt qui meliora nouit, dicat. Agamemnon apud Homerum optat, ut quamprimùm exiſtat

ὅσις τῆσδε ἀμείνονα μῆτω ἐνίσποι,

ἢ νέος ἠὲ παλαιὸς, ἐμοὶ δέ κεν ἀσμενον εἴη:

Quicunq; melius conſilium dicat, ſiue iuuenis, ſiue ſenex, mihi quidem gratum erit.

VIII. Varietas, quæ mirificam gratiam orationi conciliare ſolet, illudq́; efficere, ut τὰ κοινὰ καινῶς, καὶ τὰ καινὰ κοινῶς, communia nouo more, & noua communi more dici uideantur.

IX. Decorum, τὰ σκληρὰ μαλθακῶς λέγων, dura molliter enuncians.

X. Lepos, χαριεντισμὸς, uenuſtas & urbanitas ſermonis, qualis in labris Periclis inhabitaſſe dicitur. Cicero.3. orat.

XI. Commendat quoq; orationem pronunciatio tardiuſcula, quæ propter quatuor cauſas amanda eſt. Primùm enim efficit, ut res, de quibus uerba facimus, altius & penitius apud animũ cogitatas, ſignatius & commodius efferamus. Celeritas enim præcipitantiam parit: qua fit, ut ſæpe inconſideratè & temerè aliquid effutiamus: & reuera, qui celeri pronunciationi ſtudent, non ex animo, ſed caſu uerba effundere uidentur, & ſonos in labris naſcentes proferre. Quare amemus tardiuſculam pronunciationem, quæ cogitationem, ſeu meditationem mirum in modum adiuuat: & uitemus omnem celeritatem loquendi, ne præcipitantia uicti, edamus uoces per iugulũ redituras, ut Poeta inquit. Deinde tardior pronunciatio fa- 2

Digitized by Google

cit etiam,ut ſermo fiat neruoſior, & uehementius mo-ueat, & quaſi feriat animos auditorum. Nam qui tardè pronunciat,is relinquit aculeos in mentibus audito-rum, & orationem ſuam inſcribere illis & imprimere uidetur. Celeritas uerò etiam bonam orationem de-format: quia quicquid celeriter pronunciatur, id eti-am leuiter mouet, & plerunq; ceu folium à uento agi-
3 tatum prætcruolat. Tertiò, tardiuſcula pronunciatio magno ornamento eſt orationi, eiq; pluis ponderis & autoritatis conciliat. Talis eſt oratio plerunq; ſenum & ſapientum, quorum iudicia matura ſunt, & ex-
4 politæ ac condocefactæ linguæ. Vltimò, ad tardiuſcu-lam pronunciationem nos adhortetur autoritas Euri-pidis, qui inquit: Conſiſte,nam celeritas propenſa eſt ad iniuſticiam: tardiuſcula uerò pronunciatio maxi-mè ornat ſapientem. Scribit Seneca, Ciceronem quoq; ſolitum eſſe tardiuſculè pronunciare.

XII. Verecundia ſiue pudor, qui non modò non obeſt orationi, ſed etiam probitatis commendatione prodeſt. Cicero 1. de Orat. Vt quiſq; optimè dicit,ita maximè dicendi difficultatem, uarioſq; euentus ora-tionis hominumq; pertimeſcit. Aeſchines hoc nomine Solonem laudat, quòd inter dicendum ne manus qui-dem extra pallium protulerit.

XIII. Addit Ariſtoteles ad Theodecten lib.3.bene dicere, quod eſt oratoris proprium, nec in longo, nec in breui eſſe,ſed in mediocri. Quocirca non tam co-pia, quàm modus in dicendo quærendus eſt.

Contraria Eloquentiæ.

Infantia.

Infantia, quæ tribuitur illi qui rem quidem nouit, ſed explicare eam dicendo non poteſt. De qua Thucydides lib. 2. in oratione Periclis: Qui intelligit quid ſit utile, nec tamen dicendo exprimere alijs poteſt, ſimilis eſt non intelligenti. I.

Secundò: Inſcitia, ſiue loquax ſtultitia, cum res deſunt & ſuppetunt uerba. hæc inanis eſt garrulitas & futilitas, uel oratio ſine re: quæ ut inanis eſt, ita odioſa & irridenda. Demoſthenes Olynth. I. ἅπας ὁ λόγος, ἂν ἀπῇ τὰ ἔργα μάταιόν τι καὶ κενὸν φαίνεται: Omnis ſermo, cui nulla res ſubeſt, inanis & irridendus uidetur. Et Græcus extat uerſus, quo hoc uitium notatur: λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν: ad garriendum idoneus, ad dicendum minimè accommodus. Ex quo intelligimus, λαλεῖν de loquacitate, λέγειν uerò de oratione prudente uſurpari. II.

Tertiò: Impudentia, θράσος, audacia comes inſcitiæ. de qua Thucydides: ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὀκνὸν φέρει: Inſcitia audaciam, prudentia cunctationem adfert. Cicero I. de Orat. Quẽ uerò non pudet (id quod in pleriſq; uideo) hunc ego non reprehenſione ſolùm, ſed etiam pœna dignum puto. Hippias, ut eſt apud Ciceronem 3. de Orat. gloriatus eſt in quinquennali ludorum celebritate, cuncta penè audiente Græcia, nihil eſſe ulla in arte rerum omnium, quod ipſe neſciret. Et Gorgias apud Platonem in Gorgia profeſſus eſt, ſe de omni re, quæcunq; in diſceptationẽ quæſtionemq; uocaretur, copioſiſſimè dicturum eſſe. III.

IIII. *Quartò* : *Abuſus uarius,de quo* Cicero.3.*Officiorum* : Inhumanum eſt, *eloquentiam ad hominum ſalutem & conſeruationem datam, ad bonorum peſtem perniciemq; conuertere.* Et Plato *in* Gorgia *grauiſsimè uituperat eos oratores, qui in id ſtudent, ut quicquid libuerit, quocunq; tandem id fiat modo,audientibus perſuadeant, abſq; delectu, ſiue bonum id ſit, ſiue malum : cuiuſmodi fuerunt,*Lyſias Thebanus,& Gorgias Leontinus.

V. *Quintò* : *Calumnia,quam neq; dicere,neq; audire ſanctum eſt.* Thucidides *lib.*6. διαβολὰς μὲν οὐ σώφρον, οὔτε λέγειν τινὰς ἐς ἀλλήλους, οὔτε τοὺς ἀκούοντας ἀποδέχεσθαι: *id eſt,calumnias boni uiri nec ipſi dicere, nec dictas ab alijs audire debent.*

VI. *Sextò*: αἰσχρολογία, *id eſt obſcœnitas: quæ ideo potiſsimùm oratori fugienda eſt, quòd rei uehiculum eſt, auctore* Chryſoſtomo : οἱ γὰρ λόγοι, τῶν πραγμάτων εἰσὶν ὁδοί : *nā oratio eſt uia ducens ad rē.* Idem Plato *docet in* Phædone: τὸ μὴ καλῶς λέγειν, οὐ μόνον εἰς αὐτὸ τοῦτο πλημμελές, ἀλλὰ καὶ κακόν τι ἐμποιεῖ ταῖς ψυχαῖς: *perperam loqui, non ſolùm hoc ipſo facto abſurdum eſt,ſed mali inſerit etiam ipſis aliquid animus.*

VII. *Septimò*: Pertinacia, αὐθάδεια, *quæ etiam conuicta de errore aut turpitudine deſiſtere non uult.* Adeò *enim pertinax ſuis delectatur opinionibus, ut etiam ueris aliorum ſententijs nolit aſſentiri. hæc ſi mente careat, non eſt laudanda, teſte* Sophocle *in* Oedip. *Tyran.*

Octauò : πλεονεξία καὶ κενοδοξία, id eſt auaritia & ambitio, quæ orationem, quantumuis per ſe bonam, deformant & planè eneruant. Demoſthenes cum in concione acriter Athenienſibus diſſuaſiſſet, ne auxilium Mileſijs ferrent, poſtridie multa lana circumuoluto collo ſimulauit ſe anginam pati : ſed hunc dolum ſentiens è populo quiſpiam, dixit, non συνάγχην, id eſt anginam, ſed ἀργυράγχην, id eſt, argentanginã Demoſthenem pati, qui nimirum pecuniæ ſumma magna à legatis Mileſiorum eſſet corruptus, ne contra ipſos diceret. Plutarchus in uita Demoſthenis. VIII.

Nonò: Fucus & ſophiſtica, aliud loquens, aliud ſentiens, doctiſq; dolis lucem hominibus eripiens, & quaſi noctem quandam offundens. Aeſchylus in Prometheo : ξυνέθαλπε μύθοις ψεύδεσι, νόσημα γὰρ αἴσχιστον εἶναί φημι συνθέτους λόγους : id eſt, fouebat homines falſis ſermonibus, affirmo enim morbum turpiſsimum eſſe fucatam orationem. hæc quia in ſe ipſa laborat & languida eſt, φαρμάκων δεῖται σοφῶν, ſapientibus eget pharmacis. Contra hoc uicium Ariſtoteles lib.3. Polit. Euripideam citat ſententiam : μὴ μοὶ τὰ κόμψα λέγε, ἀλλ᾽ ὧν πόλει δεῖ: ne mihi plauſibilia dicas, ſed quibus opus habet ciuitas. IX.

Decimò : Intemperantia linguæ, ſiue uerborum immoderatio, quæ ſibi & alijs interdum exitium accerſit. Euripides in Oreſte de Tantalo : ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἴσχίστην νόσον : Intemperantem habuit linguam, turpiſsimum morbum. Item Plinius: Sæpe uox temerè emiſſa redit per iugulum. γλῶσσα X.

Digitized by Google

ποῖ πορεύῃ; πόλιν ὀρθώσουσα καὶ πόλιν ἀναστρέψουσα: *lingua quo nam pergis? urbem ut condam, & urbem ut eruam.*

XI. *Vndecimò* : Adulatio, *quæ non ex uſu, ſed ad gratiam concionatur. Quòd uerò in* Platonis Gorgia κολακευτικῆς μόριον, *id eſt, adulationis particula appellatur* Rhetorica, *falſum eſt, niſi de eo* Rhetorices *fine atq; officio intelligatur, quod ſecundum* Ariſtotelē *eſt* θεωρεῖν τὸ πιθανὸν καθ' ἕκαστον, *uidere quid in quaque re ad perſuadendum ſit aptum. Quanquam non* τὰ πιθανὰ *ſolùm, id eſt, popularia argumenta & quocunq; modo ad perſuadendum accommodata: ſed* ἀποδείξεις *etiam ſiue* πίστεις, *id eſt certas & euidentes probationes habeant* Rhetores, *quibus auditor conuincatur.*

De exemplis, altero medio ſiue adminiculo parandæ dicendi facultatis.

Hactenus *quantum præcepta* Rhetoricæ *ad dicendum conferant, expoſui: quæ mihi eo prædicenda fuerunt, ut cognita & perſpecta utilitate, auidius à ſtudioſis cognoſcerentur. Sequitur igitur, ut alterū mediū comparandæ eloquentiæ perſequar, quod poſitum eſt in exemplis, hoc eſt, diligenti lectione orationum & ſtili exercitio.* Hæc *enim duo ſi ad præcepta artis acceſſerint, dubium non eſt, facultatem dicendi utilem & laude dignā poſſe comparari. Sint ergo duo quaſi partes exemplorum, quarum prior lectionem diſertorum ſcriptorum, poſterior imitationem ſiue ſtili exercitium contineat.*

Digitized by Google

Quæ ſcripta legenda ſint, & quomodo.

Immenſi & penè infiniti eſt operis, omnia omniũ autorum ſcripta euoluere: quin, ut ab illa diſcedam infinitate, ne Ciceronis quidem omnes libri à ſtudioſis ſatis poſſunt legi. Hic igitur excitanda eſt animaduerſio & diligentia, ut prudenter & cũ quodam delectu pauci & optimi autores legantur, ex quibus ea quam quærimus, dicendi facultas peti poßit, quæ uidelicet ad uſum hoc rerum temporumq́; ſtatu accommodata maximeq́; neceſſaria ſit. Non enim prorſus eadẽ hodie eſt ratio fori, iudiciorum & negotiorum, quæ uel Athenis aliquando uel Romæ fuit, ut iuſtis orationibus cauſæ agantur, & grauißima negotia explicentur: ſed uſus ferè omnis eloquentiæ conſumitur hodie partim ſacris concionibus habendis in Eccleſia, partim in explicatione doctrinæ uirtutum, artium & literarum in ſcholis, partim in ciuilium negotiorum tractatione, partim in epiſtolis ſcribendis, & diſputationibus: raroq́; ſolent longæ & perpetuæ orationes haberi cum in iudicijs, tum in alijs uitæ partibus. Ad hunc igitur uſum præparare ſeſe commodißimè poterunt ſtudioſi legendis hiſce Ciceronis ſcriptis. Primùm, ex duobus Epiſtolarum uoluminibus ſeligant ſeptem libros Epiſtolarum familiarium, & unum atq; alterũ ad Atticum. Secundò, ex ſcriptis illius philoſophicis ad legendum excerpantur tres libri de Officijs: Dialogi duo, alter de Amicitia, alter de Senectute: Somniũ Scipionis: prima Tuſculana de animæ immortalitate, & quinta de uirtute ad bene uiuendum ſe ipſa con-

 tenta:

tenta: *tres de* Natura Deorum, *duo de* Diuinatione, & *quinq; de* Finibus: *uel, ſi id operoſum nimis uidea-tur, quintus ſaltem, qui finem ſiue extremum bonorum uirtutẽ perſequitur.* Tertiò, *ex libris oratorijs legan-tur* Partitiones, & *tres de* Oratore, *qui admirabili uerborum uarietate, copia & uenuſtate abundant.* Ex *orationibus eligendæ ſunt, quæ his temporibus & ne-gocijs maximè congruunt.* Vt *in genere* Deliberatiuo *oratio prima in* Catilinam, *ut urbe excedat*: & *quar-ta, ut puniantur coniurati, in cuſtodia poſiti*: *pro le-ge* Manilia, *ut bellum* Mithridaticum Pompeio *de-mandetur.* In *genere* Demonſtratiuo, *oratio pro* M. Marcello *reſtituto gratiarum actio*: *ſecunda in* Cati-linã, *quæ gratulatur* Reipub. *ob* Catilinæ *ex urbe diſ-ceſſum*: & *tertia, quæ commemorationem habet pa-tefactæ coniurationis & profligatæ.* In *genere* Iudi-*ciali, oratio pro* Archia *poëta, pro* Milone, *pro* Mure-*na, pro* Roſcio Amerino, *pro* Sylla, *pro* Celio, *pro* Li-*gario, pro* Deiotaro, Philippicæ, & *ſi quæ poſſunt aliæ.* His *ſelectis ex* Cicerone *libris adiungenda ſunt aliorum quorundam autorum ſcripta, ex quibus non tam rerum maximarum cognitione compleri pectus, quàm puri dilucidiq; ſermonis copia peti poßit.* Quo *quidem ex genere ſunt* Terentius, Cæſar, Liuius, Sa-*luſtius*: & *ex* Græcis, *quos cum* Latinis *coniungi uti-lißimum eſt,* Iſocrates, Demoſthenes, Plutarchus, Xe-*nophon.* Item *poëtæ*: Virgilius, Ouidius, Homerus, Euripides, Sophocles, Heſiodus. Atq; *in his, perinde ut in* Cicerone, *ſelectæ quædã orationes atq; partes ſub-*

inde

inde relegendæ ſunt, cætera deguſtandæ. Ex Græcis *item patribus, ſiue* Eccleſiæ Græce *doctoribus proderit legere* Nazianzenum, *Baſilium, Chryſoſtomum, quorum & ſana eſt oratio & dilucida, & grauitate pari coniuncta ſuauitate referta.* Atq; *hæc ſi cui nimis uidentur latè patere, & altiora eſſe, quàm ut ſui ingenij acie aſſequi poßit, is apprehendat ex his, quæ ſuo captui conuenire arbitrabitur, nec dubitet interim etiam ex paucioribus ſcriptis, quàm recenſuimus, tolerabilem dicendi facultatem poſſe comparari.*

De modo legendi autorum ſcripta.

Modus legendi optimus eſt ſecundum doctrinæ dicendi partes, inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, &c. Primùm *enim cauſæ genus inueſtigandum eſt, & cognoſcendus ſtatus ſeu propoſitio cum principali ſyllogiſmo, in quo præcipuè uerſatur controuerſia.* Secundò *conſiderandus eſt ordo partium, & uniuerſa orationis ſeries animo complectenda, ut ubi uel incipiatur, uel narretur, uel proponatur, uel confirmetur, uel confutetur, uel concludatur, perſpicias.* Tertiò *uidendum, ex quibus locis uel exordium, uel argumenta ad confirmandum aut refutandum adhibita ducantur.* Hæc *cura, ſiue analyſis ad inuentionem & diſpoſitionem pertinet: quia retexit orationem ſiue ſcriptum in ſuas partes, & partium ſingularum argumenta cum locis, ex quibus ducta ſunt, examinat.* Quartò *ornamenta omnia, figuræ, amplificationes, affectus, ſimilitudines, exempla & ſententiæ notari obſeruatione debent.* Quintò *illuſtria & lecta uerba et*

phraſes excerpantur, & ſingulorum ſignificationes, & pondera expendantur. Sextò periodi, cola, commata, eorumq; concinna compoſitio obſeruetur. Atq; *horum poſteriorum cura elocutionis ſeu uerborum analyſis uocari poteſt.*

De ratione interpretandi autorum ſcripta.

In autorum uerò interpretatione tria ſunt, quæ
I. *præſtare conuenit.* Primùm : Grammatica *enarratio*
II. *ſermonis, phraſeos & figurarum.* Secundò: Indicatio *ſummæ argumenti membrorum & ornamentorum ſe-*
III. *cundum* Dialecticam *&* Rhetoricam. Tertiò: Explicatio *& confirmatio rerum ſiue ſententiarum, aptaq; earum ad uſum accommodatio.*

De exercitio ſtili & modo ſcribendi.

Ideò aliorum ſcripta potiſſimùm legimus, ut ipſi quoq; ad eorum imitationem, quoad licet, loqui & ſcribere diſcamus. Eſt *igitur cum lectione coniungendus frequens ſcriptionis uſus, ut quæ diſcimus atq; tenemus, loquendo & ſcribendo exprimere poſſimus.* Qui *fructus unicus & penè ſolus eſt omnis curæ & operæ, quam in ſtudijs literarum & artium ponimus. Sunt autem duo in hac parte tenenda.* Primùm, *in quibus exercitijs ſcribendi elaborare oporteat.* Secundò, *quo modo illa inſtituenda ſint & perficienda.* Materiæ *in quibus præcipuè elaborare debent ſtudioſi, ſunt epiſtolæ, declamationes ſiue orationes, & aliæ explicationes methodicæ, quarum in præſenti* Eccleſiæ

&

& Reipub. ſtatu uſus eſt præcipuus & maximè neceſſarius. Modus uerò tractandi talia ſtili exercitia, in ſingulis cauſarum generibus exponitur. Oportet enim propoſitum argumentū ſecundum locos, eius generis ad quod pertinet proprios, deducere & explicare.

Quia uerò difficilis diſcentibus plerunq; uidetur materiæ, de qua ſcribant, electio ſeu copia, hæc illis ſubminiſtranda ſunt uelut ſubſidia. Primùm meminerint, non procul eſſe quærendas materias, ſed ex præſentibus lectionibus anſulam quamcunq; ſcribendi arripiant. Ita non ferè ulla erit Ciceronis epiſtola, neq; lectio alia, quæ non occaſionem materiæ, de qua ſcribi poßit, præbeat. Verbi cauſa, libri primi Epiſtolarū familiarium, epiſtola prima, ſtatim initiò ſuppeditare huiuſmodi occaſionem poterit, ubi Cicero beneficia à Lentulo in ſe collata prædicat, et grati animi memoriā remunerationemq; pollicetur. Hinc argumentum naſcitur de gratitudine pro acceptis beneficijs. Exordiū, à cauſa legendi Ciceronis & aliorum autorum ſcripta: Exiſtimo nobis non aliam ob cauſam optimorum autorū ſcripta proponi, quàm ut utilia uitæ actionūq; moderandarum conſilia inde petamus. Quæcunq; n. iam olim iuſta honeſtaq; ſapientes uiri duxerunt, eadē quoq; nobis omnibus temporibus recta uideri debent. Vt igitur magno uiro Ciceroni magnæ fuit curæ, ut officio & pietate ſatisfaceret his, à quibus beneficijs affectus eſſet: ita nobis quoq; nihil debet eſſe pietate in referenda gratia prius & iucundius. Quæ cum ita ſint, fateor me quoq; pro tuis amplißimis erga me

Subſidia eligendi materias ſcribendi.

Digitized by Google

meritis, gratiam ſempiternam tibi tuisq; debere. Tantum enim ſemper tuum fuit in me ornando ſtudium, ut nullum officij erga me munus aut tempus prætermiſeris. Quare de me uiciſsim ſic tibi perſuadeas, uitam mihi acerbam eſſe futuram, niſi effecero, ut gratū meum in te animum experiaris. Ex clauſula item, quæ in fine eiuſdem epiſtolæ extat: Si eſſet in ijs fides, &c. ſcribendi materia non incommodè poterit ſumi: Non mirum uideri nobis debet, hoc exulceratiſsimo ſeculo magnam eſſe hominum plerorumq; perfidiam, cum uideamus ſeculis florentoribus uiros doctos & ſapientes de perfidia eſſe queſtos. Nam ut alia prætermittā, non'ne grauis tibi uidetur querela iſta Ciceronis? cum inquit: Si in ijs eſſet fides, in quibus ſumma eſſe debebat, non laboraremus. Neq; certè queritur de hoſtibus aut inimicis, ſed de intimis, maximeq; neceſſarijs, quos præ cæteris omnibus fideles eſſe oportebat. Quocirca neq; tu amicorum tuorum infidelitatem magnopere debes mirari, cùm omnibus ſeculis ſummis uiris perfidia nocuerit. Etſi autem à perfidia tutus eſſe nemo poſsit: tamen cauendum eſt, quantum humana patitur induſtria, ut à culpa abſimus. Ita enim fiet, ut etiamſi ſecus acciderit, nos tamen rectè beneq; ſenſiſſe recordemur: in quo, ſecundū Ciceronem, conſolatio permagna eſt. Ipſi uero perfidi pœnis tandem ſuæ perfidiæ iuſtas dabunt. In hoc enim uno iuſtiſsima eſt perfidia, ut nemini plus noceat, quàm perfido, quamuis alioqui ſit iniquiſsima. Talia exempla in omnibus penè lectionibus occurrent ſcribere cupientibus.

A temporum circūſtantia & collatione.

Exemplum Ciceronis.

Amplificatio de intimorū perfidia.

Accommodatio & propoſitio.

Modus uitandi perfidiam.

Pœna perfidorum.

Secundò:

Digitized by Google

Secundò: Quia initium & progreſſum in oratio- II.
ne difficile uidetur inuenire, teneant diſcentes eum modum, quem monſtrant præcepta, ut initiò ſententiã quamcunq; ponant, eiq; rationem addant, & ita progrediantur, ut infrà in diſpoſitione exordiorum contexendorum dicetur.

Tertiò: Conentur etiam incipientes eodem modò III.
periodos contexere, quo autores, quorum ueſtigia ſequuntur, compoſuerunt, ut quaſi manu eorum ducti in ſcribendi itinere regantur. Dent igitur hanc operam in hoc genere diſcentes, ut cum aliquid ſunt ſcripturi, exquirant in Cicerone ſimilis argumenti tractationẽ, ad quam ſuum ſtilum accommodare poßint, donec animo confirmatiore ſcribere aliquid ipſi proprio marte aſſueſcant.

Quartò: Etſi laudetur non immeritò σκέψις ſiue IIII.
meditatio & diligentia in ſcribendo, tamen uitandam ſciant ſtudioſi eſſe περιεργίαν, id eſt, ſcrupuloſam diligentiam & ſolicitudinem in ſcribendo, qualis in Secundo fuit, qui Quintiliano auctore triduum inueniendo exordio conſumſit. Laudatur à Luciano oratio εὐπόριστος, id eſt, natiua quadam facilitate & æquabilitate, ſine nimia ſollicitudine & labore defluens.

Quintò: Caueant diſcentes, ne implicatè, ſed ex- V.
plicatè ſcribant: quod tum fiet maximè, ſi certas & breues periodos contexere ſtudeant uerbis uſitatis & proprijs, non affectatis & procul petitis. Quis enim (niſi uanus) non malit loqui & ſcribere, ut intelligatur, quàm ut propter obſcuritatem inanem irrideatur?

tur? Verè ille iuuenis apud Poëtam inquit: Nobis id ætatis ſufficit breuis oratio. Nam omnis πολυλογία καὶ ἀμετρία, *id eſt copia ſermonis & immodeſtia in iunioribus ingrata eſt & moleſta.*

VI. *Sextò: Non deterreantur neq; difficultate ſcribendi, neq; ſucceſſu parum felici: ſed cogitent potius, ſæpe & multum ſcribendo fieri, ut bene ſcribatur: & illud* Græcum *dictum in ore habeant,* ἐκ τοῦ λέγειν τὸ λέγειν ποιεῖται: *hoc eſt, ut* Cicero 1. de Orat. *extulit:* Dicendo *homines, ut dicant, efficiunt.* Non *igitur pigeat ſæpius unum ſcriptum, in quo mens orationeq; defixa eſt, relegere, retexere, corrigere, & ſi neceſſe ſit, totum aliud facere.*

VII. *Septimò: Vtile eſt etiam uertendi è lingua* Græca *in* Latinam, *uel è* Germanica *in* Latinam, *uel contrà, exercitium.* At *cum è* Germanico *in* Latinum *aliquid transfundere uolueris, danda erit opera, ut uerba quidem, quoad fieri poteſt, propriè reddas in conuerſione: in phraſibus tamen eam curam adhibeas, ut facta collatione utriuſq; linguæ uideas, quid* ἰδίωμα *ferat aut requirat: ne dum* Latinè *loqui ſtudes,* Germano *more loqui uidearis, & contrà.* Qui *uerò* Græca *uertere* Latinè *uolet, is primùm quidem proprietatem & uim uerborum accuratè exprimendam atq; reddendã eſſet putet. tum, ſi paululum in hoc exercitio progreſſus fuerit, ſententiam phraſi* Latina *explicare ſtudeat, ita ut non uerbũ pro uerbo reddere neceſſe eſſe exiſtimet, ſed ſecundum* Ciceronem *efficiat, ut ſententiæ ſententijs reſpondeant. Satis enim fortaſſe in hoc genere*

Digitized by Google

nere fuerit, omiſsis ſyllabarum dimenſionibus, ſententias ipſas bona fide appendiſſe atq; annumeraſſe.

Octauò: Scriptorum quoq; recitatione uel diſputando ſeſe exerceant ſtudioſi neceſſe eſt, ut pronunciare expeditè, clarè & aptè diſcant, cum decenti uocis, uultus & geſtus moderatione. VIII. Vltimò: De memoria habeant duo uelut ſubſidia. Prius, ut ordine eo, qui ſuperius eſt traditus, ediſcant ad uerbum quamplurima: alterum, ut ſæpius eadem repetant & inculcent. Duo memoriæ ſubſidia. Hæc diſcentibus παχυλῶς propoſui: quæ ſi cui non ſatisfaciunt, is Quintiliani conſiliũ ſequatur, quod lib. 10. cap. 3. 4. & 5. de modo & materijs exercendi ſtili extat. Et ſunt in medio elementa Rhetoricæ Ioachimi Camerarij, et libellus Chytræi de diſcendi ratione nemini ignotus, in quibus plenius & ſolidius hæc omnia explicantur. Cæterùm exempla harum commonefactionum ſiue præceptiuncularum per totam Rhetoricam, ex his præſertim ſcriptis, quæ legenda eſſe præcipuè ſtudioſis ſuprà eſt dictum, ſubijcientur.

Cui orationis formæ aſſueſcere ſtudioſus debeat.

Cum innumerabiles ſint quaſi formæ figuræq; dicendi, totidẽq; penè reperiantur dicendi genera, quot ſcriptores: breuiter monendi ſunt diſcentes de cauſis huius diſsimilitudinis ſcriptorum, & quid potiſsimum debeant ſequi. Cauſæ igitur duæ ſunt, quæ hanc diuerſitatem ſermonis pariunt: ingeniorum ſcilicet & argumentorum diuerſitas. Duæ cauſæ diuerſitatis ſermonis. Nam alium aliò ſua natura fert, & alia materia alium orationis habitum, et quaſi

colorem

colorem poſtulat. Familiares epiſtolæ, diſputationes, declamationes et enarrationes autorũ in ſcholis requirũt orationis genus ſimplex, propriũ, et minimè tumidũ: obiurgationes, inuectiuæ, accuſationes et diſceptationes forenſes ſublimiorem et pleniorẽ ſtilũ poſtulant. Reuocantur autẽ hæc genera omnia ad tria: quorum unum ſummiſſum eſt, ſecundum ſublime, tertium mediocre.

Summiſſũ. Summiſſum, Græcè ἰσχνὸν, humile & tenue eſt, uerbisq́; conſtat quotidianis, uſitatis, proprijs, ac uitat ornatum: figuris utitur parcè: periodis uerò gaudet breuioribus, ut in ſermone quotidiano ſolet fieri, excluſa tamen ieiunitate & obſcuritate. Hoc uſus eſt præ cæteris Terentius, et alicubi Cicero in quibuſdam philoſophicis diſputationibus.

Sublime. Sublime, ἁδρὸν, grande & plenum eſt, copioſè figuris ornatum, ſicut in Liuio & multis orationibus Ciceronis, item Homero, Thucydide, Virgilij Aeneide. Hoc potiſſimùm in grauiorum negotiorum tractatione utendum eſt, ut oratio rei magnitudini par eſſe poſſit. Odit tamen tumorem, & affectatam grandiloquentiam.

Medium. Mediocre, μέσον καὶ ἀνθηρὸν, altius eſt humili, & grandi inferius: fuſum eſt & copioſum, ſed perſpicuitatem & ſuauitatem retinet. Huius generis eſt uſus in epiſtolis & orationibus. Et Ciceronis pleræq́; diſputationes philoſophicæ, æquabili & temperato dicendi genere conſcriptæ ſunt. Exemplum ex Homero Iliad. α. de Neſtore:

Neſtoreæ orationis ſuauitas.

τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή:
Cuius & ab ore melle dulcior fluebat ſermo.

Hoc

Hoc temperatum eſt genus, cum ſuauitate & perſpicuitate mira coniunctum. De Vlyßis ſublimi & magnifico ſtilo Iliad. γ.

ἀλλ᾽ ὅτε δὴ ῥ᾽ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει,
καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν:

Sed quando uocem magnam ex pectore mittebat, & uerba niuibus ſimilia hyemalibus.

Vlyſſea ſublimitas et maieſtas.

De ſubtili & tenui oratione Menelai ibidem:

παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος: *Pauca quidem, ſed planè argutè, quia non multiloquus erat.*

Menelai ſubtilitas.

Iam ex his ſciant ſtudioſi eligendum eſſe id genus, quod ingenij ſui uiribus aſſequi quiſq; maximè poßit. Incipientes tamen, ut antea etiam admonui, primùm ſtudeant ſimpliciter, propriè, perſpicuè & breuiter ſcribere, donec paulatim orationem uberiorem gignere aſſueſcant.

De tribus partibus, quæ orationem maximè luminoſam, neruoſam & actuoſam efficiunt.

1. *Prima:* Theſis & Hypotheſis. *Theſis eſt quæſtio infinita, uel generis uniuerſi, ſine tempore & ſine perſona: ſeu locus communis, qui plerunq; ex doctrina Ethica ſumitur: ut cùm modeſtia, caſtitas, ars, libertas in genere laudatur, aut bellum ſuadetur tanquam res ad politiam neceſſaria. pertinetq; in oratione ad maiorem ſyllogiſmi.* Hypotheſis, *hoc eſt, ipſa controuerſia, eſt quæſtio ſpecialis ſeu finita perſonis & temporibus accõmodata: ut cum laudatur modeſtia Cyri,*

qua in dandis conſilijs eſt uſus,ut alijs etiam locum di=cendi ſententiam concederet. Aut *in caſu aliquo ne=ceßitatis exhortamur aliquem,ut de libertate,perinde ut de uita ipſa dimicandum ſibi putet.* Monet autem Ariſtoteles φέρειν εἰς τὸ καθόλου, *id eſt, traducere quæſtionem à proprijs perſonis & temporibus ad uni=uerſi generis orationem: id quod uocant transferre hypotheſin ad theſin,unde admirabilis dicēdi copia et uarietas naſcitur.* Ita *enim fit, ut perinde ac in ſyllo=giſmo cùm in ſpecie, tum in genere fuſè de una re di=catur.* Nam *theſis loco maioris eſt, hypotheſis uerò minoris.* Vt *ſtudioſus petiturus ad ſtudia ſumtus,pri=mùm uelut in genere dicet de artium & literarum diſcendarum dignitate,utilitate & neceßitate, & pa=rentum officio.* Deinde *in ſpecie iſta ad ſe accommo=dabit & ad cauſam ſuam, petens et cōmonefaciens ſu=os quoq; parentes,ut ſubſidia ſtudiorum mittant, quo incumbere in literas poßit,& parentibus, patriæ, ſibi & alijs hominibus emolumento eſſe.*

Exemplum petendi ſumtus ad ſtudia.

II. *Secunda pars eſt* αὔξησις, *incrementum ſeu am=plificatio & exaggeratio,quæ cùm toto orationis cor=pore æquabiliter fuſa eſſe debet, tum uel præcipuè in minoris confirmatione excellit : ut cum exaggeratur neceßitas ſcientiæ literarum,quæ tanta eſt,ut neq; aë=re neq; igne ægrius careamus:aut immanitas* Turcarū *in exhortatione ad bellum* Turcis *inferendum.*

III. *Tertia eſt* ἠθοποιΐα *ſeu* παθοποιΐα,*id eſt, ratio mouendorum affectuum, quibus inflammandi & im=pellendi ſunt auditores,ut in ſententiam noſtram trahi*

uel

uel rapi uideantur. Eſt enim orationis munus, non docere ſolùm ſiue probare, ſed motum etiam animis afferre.

Vehementer etiam ad copiam orationis facit generis ſeu uniuerſi in ſuas ſpecies diductio: ut cū primùm aliquid in genere proponitur, & poſtea per ſpecies uel per partes explicatur, quo modo ſæpe integra ſcripta contexi poſſe uidemus. Qui hortaturus eſt amicū ad diſcendum ſeu officium faciendum, primùm proponit hoc modo: Hortor te, ut in ſtudia literarum, in quibus es, magno animi impetu incumbas. Deinde, quo pacto diſcere eū, aut uerſari in ſtudijs uelit, ordine explanabit: nempe, ut præceptorum lectiones certatim audiat, auditas repetat, exercitia ſtili non negligat, examina amet, Dei opem imploret, & ſæpius ſcribat, quo ſui profectus ſpecimen aliquod det, & ſui periculum faciat. Baſilius enarraturus dictum Pauli, Attende tibi ipſi, ordine colligit & diſtribuit res. quæ curam et attentionem deſiderant. 1, Sunt laquei & periculorum multitudo. 2, Vocatio. 3, Iudicium, ne aliorum uitia cernentes, obliuiſcamur propriorum. 4, Fortuna proſpera et aduerſa. 5. Affectus, ne rationem præcurrant. 6, Doctrina de D[eo], ut uidelicet ſapientiam creatoris ex nobis ipſis diſcamus.

Diſtributio generis in ſpecies.

Exemplum exhortationis ad faciendum officium.

Non parum deniq; adiumenti ad orationem adferunt circumſtantiæ, quas περιστάσεις Græci, hoc eſt, attributa rerum ac perſonarum uocant. Sunt autem ſeptem. Quis, ad perſonam pertinet: Quid, ad factum ſeu rem ipſam, de qua agitur: Vbi, ad locum: Quibus

Circumſtantiæ.

Digitized by Google

auxilijs, ad media, ad miniſtros & ſocios: Cur, ad cauſam finalem, hoc eſt, commodum uel incommodum: Quomodo, ad actum ipſum: Quando, ad tempus. Ex his uel omnibus uel aliquibus, orationis magna copia naſcitur, & multa negotia per eas cõmodiſſimè explicantur, præſertim narrationes & hiſtoriæ, item probationes & controuerſiæ, ut infrà in genere Iudiciali, ſtatu Coniecturali oſtendetur.

EXEMPLA.

Euangelium Dominicæ I. Aduentus Matth. 21. de hiſtoria ingreſſus Chriſti in urbem Hieroſolymam, or-
I. dine has circumſtantias explicat. Primùm: Perſonã Chriſti ueri Meſſiæ, promiſſi iam olim patribus, &
II. nunc uerè nati & exhibiti. Secundò: Factum ipſum, hoc eſt eius ingreſſum et triumphum ſingularem, quo
III. ſe regem & uictorem declarauit. Tertiò: Locum, uidelicet à monte Oliueto in urbem Hieroſolymam, & templum, domum ſuam, & ſedem ſui regni propriam.
IIII. Quartò: Miniſtros & ſatellites habuit diſcipulos & turbam: uſus eſt etiam ad eam rem miniſterio aſinæ
V. cum pullo. Quintò: Cauſa finalis huius ingreſſus eſt:
1. primùm, ut eſſet teſtimonium perſpicuum & infalli-
2. bile aduentus Chriſti in carnem. Secundò, ut implere-
3. tur prophetia Zachariæ de aduentu Meſſiæ. Tertiò,
4. ut ſuum regnum hoc modo inchoaret. Quartò, ut diſcrimen illuſtre conſpiceretur inter regnum Chriſti
5. & mundi. Quintò, ut oſtenderet ſe eſſe regem ſaluatoremq; ſuæ Eccleſiæ, atq; uictorẽ mortis, inferni, dia-
6. boli & hoſtium cæterorum. Sexto, ut certò ſciamus,

eum

Digitized by Google

tum nobis, hoc eſt, noſtræ ſalutis cauſa ueniſſe: id quod uerba illa perſpicuè indicant, Tuus, Tibi, &c. Sexto: VI.
Modum quo hæc geſta ſunt, ſeu pompam ipſam, in qua hæc tria conſiderari debent. Primùm habitus & for- 1.
ma Chriſti: 1, inſidet aſinæ commodato ſumptæ cum pullo, ut utrunq; populum, Iudæos & gentes, copulet, & in ſuum regnum introducat. 2, uenit pauper ſiue humilis, quo patientiam ſuam in cruce pro nobis ſuſtinenda oſtenderet, & nos egenos & pauperes æternæ
ſocietatis uinculo ſibi copularet. Secundò: Cultus, 2.
quibus Eccleſia eum proſecuta eſt. Subſtrauit illi ueſtes, in teſtimonium ſuæ erga eum ſubiectionis & reuerentiæ: ſparſit frondes palmarum & oleæ, ut ſignificaret eum eſſe autorem pacis, & uerum mortis &
peccati & diaboli uictorem. Tertiò: Cecinit turba 3.
ἐπινίκιον triumphale carmen, & gratulationem læto pectore addidit: Hoſanna filio Dauid, benedictus qui uenit, &c. precans huic regi ſalutem & proſperum ſucceſſum, tribuensq; illi titulum, laudem & officium Meſſiæ promiſſi iam olim Abrahamo, & à Dauide in pſalmo 118. prædicti.

DISPOSITIO EPISTOLÆ Dominicæ 22. poſt Trinitatis, Philip. I.

Epiſtola tota eſt pathetica, gratiarum actionem et precationem cõplectens. Propoſitio eſt: Gratias ago Deo, qui indies Euangelij lucem in uobis accendit: eumq; oro, ut eam ſubinde confirmet, & fructibus iuſticiæ ad gloriã laudemq; ſuam augeat. Eſt igitur mixtũ

genus in hac Epiſtola ex Demonſtratiuo & Deliberatiuo. Exordium ex ipſis uiſceribus cauſæ, hoc eſt, ex re quæ agitur, ſumitur, uidelicet à gratiarum actione,
1 quæ per circumſtantias explicanda eſt. Prima circum
2 ſtantia eſt perſona eius, qui gratias agit. Secunda eo-
3 rum, pro quibus aguntur gratiæ. Tertia illius, cui gra-
4. 5 tiæ aguntur. Quarta, quoties agat gratias. Quinta,
6. 7. quo affectu cordis. Sexta, qua fiducia. Septima, eſt res ſeu cauſa gratiarum actionis.

De prima circumſtantia.

Qui gratias agit, eſt Paulus Apoſtolus & ſeruus Ieſu Chriſti, ſelectus ad propagandum Euangelium. Ex quo primùm admonemur de officio mutuæ inter Chriſtianos læticiæ & gratiarum actionis, ob profectum Euangelij, lucem fidei, & alia Dei dona. Secundò de ardenti deſiderio et ſolicitudine doctorum erga Eccleſiam, cuius ſalute et profectu nihil debet illis eſſe prius aut antiquius. id quod ſuo exemplo docet Paulus, cum inquit, ſe Philippenſes habere in corde ſuo, id eſt, uero amore complecti: item in uinculis, defenſione & confirmatione Euangelij, id eſt, ideo ſe perferre carcerem, & tantas ſuſtinere dimicationes, ut doctrinã Euangelij ipſis traditam aſſerat, & conſtanter tueatur: adhibetq́; teſtem Deum, ſe in uiſceribus ſuis, hoc eſt, ueris & ardentibus affectibus, accenſis per Spiritum ſanctum à filiò Dei Ieſu Chriſto, ipſos deſiderare.

De ſecunda.

Hi uerò, pro quibus agit gratias, ſunt Philippenſes, hoc

hoc eſt, Eccleſia *in urbe* Philippis, *in prima* Macedo-*niæ parte,qui conuerſi ad* Euangelium, *ueram lucem agnitionis & fidei in* Chriſtum *acceperant: ideo eos uocat conſortes gratiæ,quòd ad fidei,ueræ iuſticiæ,uitæq́; conſortium uocati & recepti ſunt.* In genere de tota Eccleſia *& omnibus* Chriſtianis *hæc gratiarum actio intelligenda eſt. Quare ad nos ſingulos eam accommodare debemus, & ad ſalutis noſtræ fideiq́; profectum & confirmationem transferre.*

De tertia.

Is cui aguntur gratiæ, Deus *eſt, pater* Domini *noſtri* Ieſu Chriſti,*cui omnis debetur laus,honor,gratiarum actio et prædicatio ab omnibus creaturis,ſicut in* Pſalmis *ſæpe dicitur.* Pſalm. 103. Benedic *anima mea domino.* Nec *quicquam eſſe poteſt, quod adeò* Deum *exhilaret,ut gratiarum actio.*

De quarta.

Semper,inquit Paulus,*gratias ago* Deo *meo in omni precatione mea. Cum inquit Semper,ſignificat ſine intermiſſione: ut alibi inquit,ſe gratias agere, & nobis quoq; idem faciendum eſſe. Cum enim bonitas & miſericordia* Dei *erga nos omnibus diebus & momentis exuberet & conſpiciatur, decet etiam omni tempore eam agnoſcere, prædicare & grato animo celebrare.*

De quinta.

Quo cordis affectu gratias agere Deo *conueniat, indicat* Paulus,*cum inquit, ſe cum gaudio precationẽ facere.* Accenditur *enim læticia in corde ex agnitione*

Digitized by Google

& conſideratione beneficiorum Dei, *unde grati pectoris motus non obſcurè apparent et erumpunt.* Eſtq; *fundamentum gratiarũ actionis* Conſideratio *accepti beneficij, unde adducitur cor, ut in celebrationem iuſtam erumpat.*

De ſexta.

Oportet *orationem omnem certa fiducia fieri, non noſtrorum meritorum, ſed miſericordiæ* Dei *per* Ieſum Chriſtum, *ſicut inquit:* Perſuaſum *habens, quòd is qui cœpit in uobis, &c.*

De ſeptima.

Res *ſeu cauſa gratiarum actionis eſt, communio ſiue conſortium* Euangelij*: hoc eſt, uera agnitio* Dei, *& filij ipſius* Ieſu Chriſti, *per prædicationem* Euangelij *auditam, acceptam & conſeruatam.* Hoc *enim ſummum & maximum eſt bonum, quod quidem munere & conceſſu* Dei *contingere nobis poßit, uidelicet* Euangelij *lux, qua corda noſtra accenduntur uera* Dei *agnitione, mundantur à peccato, & certa fiducia* Ieſu Chriſti *incipiunt* Deo *obedire, operibus ipſi placentibus & proximo neceſſarijs.*

¶ *Altera pars* Epiſtolæ *eſt petitio, in qua cauſæ ordine expendantur.* Efficiens προηγουμένη *eſt natiua uoluntas* Dei *patris propter* Chriſtũ *filium omnia promittentis:* προκαταρκτικὴ *eſt neceßitas quotidiana, impellens ad orandũ, nempe aſſultus diaboli, noſtra infirmitas, & negociorum periculorumq; moles.* Cauſa *materialis, ſeu res quæ petitur, ſunt incrementa fidei ſiue charitatis, ut* Deus *augeat & confirmet, pro-*

bcq;

beq; ſtabiliat Eccleſiam & ſingulos pios in agnitione uerbi et opere bono. Precatur enim, ut charitas ipſorũ magis ac magis exuberet in agnitione & omni intelligentia: quod eſt, ut per agnitionem & fidem Chriſti indies augeatur charitas. Formalis eſt, uotum cordis & uerborum formula. Finales cauſæ ſunt. Prima, ut probetis quæ ſunt præſtantia: id eſt, ſciatis quæ ſunt uera & æterna bona, eaq; iudicio & uoluntate conſtanti ſectemini. Secunda, ut ſitis ſinceri, & nemini offendiculo in diem Chriſti: id eſt, iuſtè & integrè tueamini profeſsionem. Tertia, ut referatis omnem iuſticiæ fructum ad gloriam & laudem Dei.

Vel Epiſtola tota eſt oratio ardens & pathetica pro Eccleſia, quæ in genere didaſcalico ſic explicatur:
I. Primò per definitionem. Secundò per partes, quæ ſunt
II. ἐυχαριςία καὶ δέησις. Tertiò per cauſas: ceu ſunt
III. impulſiua, ſcilicet mandatum Dei, promiſsio, neceſsitas: finalis, ut gratia Dei, bonaq; neceſſaria, item pœnarum uitatio. Quartò per effectus, qui ſunt potiri re IIII.
bus deſideratis corporalibus & ſpiritualibus. Quintò V.
per pugnantia ſeu contraria: ceu ſunt ſecuritas, idololatria, hypocriſis, battologia. Et addatur in ſingulis locis idonea ad nos ipſos & alios accommodatio.

NVNC TANDEM PRAEcepta Rhetoricæ aggredior.

Ρητορική ἐςὶ μέθοδος τοῦ εὖ λέγειν: Rhetorica eſt doctrina ſeu ratio bene dicendi. Partes uerò huius doctrinæ di-

 cendi.

cendi quinq; ſunt: Inuentio δύναμις εὑρετικὴ διά-θεσις, λέξις, μνήμη, ὑπόκρισις. Primùm enim re-periendum eſt quid dicatur. Secundò inuentum ordi-ne, momento et iudicio diſpenſandum atq; diſponendũ. Tertiò oratione ueſtiendum atq; ornandum. Quartò memoria ſepiendum. Vltimò pronunciandum cum di-gnitate & uenuſtate.

DE INVENTIONE.

Inuentionis hæc ſunt officia, excogitare uel repe-rire id, de quo uelis ſcribere: & qua ratione illud ipſum alijs apud animum perſuaſurus ſis, reputare. Prima igitur deliberatio & cura debet eſſe de cauſæ genere, unde cauſarum genera noſſe neceſſe eſt.

DE DISPOSITIONE.

Diſpoſitio eſt τάξις καὶ οἰκονομία, id eſt, inuen-tarum rerum ordo artificioſus et collocatio concinna. Hac igitur opus eſt ad diſpenſationem orationis, ut to-tius corporis, ſingularumq; partium atq; membrorum iuſtus ſit ordo, apta collocatio, & congruentia. Pro-deſt itaq; diſpoſitio ad hæc duo: primùm ut partes to-tius orationis uelut corporis membra ordinet: deinde ut in ſingularum partium expoſitione ſigillatim mon-ſtret, quo ordine ſit progrediendum, ne temerè pror-ſus, quò pedes ferunt, ut dici ſolet, eamus. Neq; tamen unus idemq; ordo ſtrictè ubique, ſicut lex in æs inciſa, ſeruari in diſpoſitione poteſt: quia ſecundum Ariſto-telem capite 5. Metaphyſic. nec naturæ ordo, qui eſt à ſimplicioribus & communioribus, in ſcientijs tra-dendis pepetuò ſeruatur: ſed neceſſe eſt interdum or-

dinem

Digitized by Google

dinem noſtri adhibere, qui eſt à facilioribus, id eſt, ijs quæ facilius cognoſci & doceri poſſunt. De his deinceps per totam hanc Rhetoricæ tractationem agetur, aſperſis támen multis interim etiam elocutionis documentis & exemplis.

DE METHODO TRADENdæ Rhetoricæ.

Primò, finem orationis, ut in methodo Analytica fieri ſolet, nobis proponimus, uidelicet ut aptè ad perſuadendum dicamus. Secundò, perſpecto hoc fine, neceſſaria ad eum conſequendum inquirimus: cuiuſmodi ſunt Rhetoricæ partes, Inuentio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio. Tertiò ſingulas partes iterũ reſoluere oportet, Inuentionem in genera cauſarum, & eadem rurſus in ſtatus; & in ſingulis ſtatibus proprios quærere locos, & ſic deinceps progrediendum eſt per partes reliquas.

I.
II.
III.

QVOT IN QVOVIS SCRIpto ſunt obſeruanda.

In quouis ſcripto, ſiue noſtro, ſiue alterius, quinq; ſunt obſeruando notanda. 1, Genus cauſæ. 2, Status. 3, Principalis ſyllogiſmus. 4, κρινόμενον in ſyllogiſmo. 5, Partes orationis.

Sunt igitur in Rhetorica cum primis genera cauſarum & orationis partes exponendæ, tum ratio etiam contexendi partes ſingulas monſtranda.

DE GENERIBVS CAVSARVM: γένη τῶν λόγων ῥητορικῶν.

Quem

Vſus.
1. Complectuntur omnes materias, de quibus eſt ſcribendum.
2. Diſtribuunt materias in claſſes, & locos tractandi exhibent.
* 3. Cōtinēt animū ſcribētis intra metas.
†Modus operādi uel utendi generib. cauſarum.

QVemadmodum in Dialectica excogitata ſunt ſumma genera, quæ Prædicamenta uocantur, ſub quorum domicilio omnia uocabula continentur: ita in Rhetorica inuenta ſunt genera cauſarum, quæ omnes materias ſub ſe complectuntur. Vt igitur in Dialectica prædicamenta diſcernunt uocabula, & quælibet in ſuum locum & domicilium diſtribuunt: ſic in Rhetorica, genera cauſarum diſcernunt materiarum ſeu negociorum uarietatem, & unicuiq; proprium locū attribuunt.* Eſt igitur hæc ratio generis cauſæ ualde utilis: deducit enim cogitationē ſcribentium ab immenſa quaſi fluctuatione ad portum, monſtrans ingreſſum, & metam. Nam inuento genere cauſæ, ſtatim, & quidem ultrò ſe offerunt loci, qui ad probandum & improbandum adhibendi ſunt. † Qui igitur ſcripturi ſunt, hi ſic ſe gerant. Primùm cogitent, quánam de re dicturi ſint. In qua cogitatione ſciendū eſt, omne quod ſcribi poteſt, eſſe aut cōmendationem, aut uituperationem, aut narrationem uel deſcriptionem: & pertinere ad genus Demonſtratiuum. Aut eſſe adhortationem, aut dehortationem: et referri ad genus Deliberatiuum. Aut continere diſceptationem de facto aliquo, de quo ambigitur, an ita ſit, nécne, num iure an iniuria ſit commiſſum, aut etiam quid illud ſit: & ſpectare ad genus Iudiciale. Ad horum generum unum ſuum argumentū accommodent: quo facto, locos iſtius generis conſulant: & qui ad propoſitam materiam congruunt, eligant. & ita fiet, ut pleno gradu iter ingreſſi, ad optatam metam perueniant, ducentibus locis, & comitante

ſtilo.

Digitized by Google

ſtilo. Ex hoc intelligitur, propter duas cauſas Genera cauſarum præcipuè eſſe inuenta. Primùm, ut monſtrēt ſtatum ſeu propoſitionē uniuſcuiuſq; ſcripti. Nam qui genus cauſæ nouit, is etiam ſtatum eius ſcripti intelligit. Deinde etiam ſuppeditant locos, quos in ſcribendo ceu Theſei filum ſequi debemus.

Concluſio, colligēs utilitates generū cauſarum.

DE NVMERO GENERVM cauſarum.

Etſi genus διδασκαλικὸν ad Dialecticam maximè pertineat, utpote cuius proprium eſt munus docere methodicè: ac materiæ huius generis, quatenus rhetoricè tractantur, ſatis commodè partim ad genus Demonſtratiuum, partim etiam ad ſtatum generis Iudicialis finitiuum referri queant: nec etiam Ariſtoteles, Quintilianus et Cicero plura recenſeant genera quàm tria: tamen more ſcholarum retinebimus cauſarum quadripartitam diuiſionem, idq; propter has duas cauſas. I. Primùm, propter ampliſſimum uſum, quem pariter in Eccleſia & in aliarum rerū explicatione hoc genus Didaſcalicum habet. Etenim ſatis conſtat, methodum, quam hoc genus tradit & ſequitur, magnam lucem addere dogmatibus Eccleſiæ & Philoſophiæ. Ac etiamſi hæc methodus breuis uideatur, & preſſa: tamen poteſt ea dicendo mediocriter ornari, et amplificari. II. Secundò, quia loci huius generis multum conducunt ad cognitionem locorum aliorum generum, et ſunt quaſi præparatio ad cætera cauſarum genera omnia. Sunt igitur quatuor genera cauſarum: Didaſcalicon, Iudiciale, Deliberatiuum, & Demonſtratiuū.

Digitized by Google

ADMONITIO DE GENE-ribus cauſarum.

Genera cauſarum interdum commiſcentur, ita ut unum ab altero locos mutuetur. Exemplo *ſit oratio pro* Archia, *cuius principalis propoſitio eſt :* Archiā *optimo iure eſſe ciuem* Romanum. *Pertinet igitur ad genus* Iudiciale. *Etſi aūt locis huius ſtatus ſatis comprobat* Cicero, *Archiam non eſſe ſegregandum, cum ſit ciuis, à numero ciuium : tamen ut maior ſit orationis dignitas & ſplendor, excurrit in locos generis* Demonſtratiui, *& multa addit de laude* Archiæ, *& incredibili ipſius ingenio, & diuina facultate condendi carmen. Plura exemplà petantur ex* Olynthiacis *et* Philippicis *Demoſthenis. In his enim omnibus principaliter quidem id agitur & ſuadetur, ut bellum aduerſus* Philippum *ſuſcipiatur, & ſtrenuè adminiſtretur.* Atq; *ita iſtæ orationes principaliter pertinent ad genus* Deliberatiuum:*ſed tamen multi paßim inſeruntur alij loci, ex genere* Demonſtratiuo *præcipuè ſumpti, in quibus aut* Philippum *hoſtē uituperat, ut ipſius authoritatē & copias extenuet : aut ipſius res geſtas aut conſilia deſcribit.* Talis *eſt quoq; oratio pro lege* Manilia *Ciceronis.* Propoſitio *generis* Deliberatiui *eſt. ſuadet enim, bellum aduerſus* Mithridatem *eſſe ſuſcipiendum : & adduntur argumenta à neceſſario, honeſto, &c. nihilominus tamen poſtea multa ex genere* Demonſtratiuo *quaſi mutuò ſumuntur, cùm ſplendida amplaq; Pompeij commendatio inſtituitur. Sic multi Pſalmi continent locos diuerſi generis.*

PAR-

Digitized by Google

PARTES ORATIONIS.

QVia ad omnium generum cauſarum tractatio-nem neceſſaria eſt partium orationis cogni-tio, res cogit hoc loco earum explicationem inſerere. Cæterùm de numero partium orationis uariant quidē authores, ſed ita, ut controuerſia omnis non magno ne-gotio tolli poßit. Ariſtoteles libro tertio Rhetorico-rum duas recenſet: Propoſitionem, & Fidem ſeu Con-firmationem, πίςιν. Cicero quatuor ponit libro pri-mo Partitionum: Exordium, Narrationem, Confirma-tionem & Perorationem. De Ariſtotele primùm re-ſpondeo. Duas ille partes numerat, ſcilicet neceſſarias & proprias, hoc eſt, principales: nam rem, de qua agi-tur, exponere, eamq́; argumentis confirmare, præci-puum eſt orationis munus. At cōmunes quatuor ipſe-met recitat: Procemium, Propoſitionem, Perſuaſionē ſiue confirmationem, & Epilogum. Ex quo intelligi facile eſt, Propoſitionis nomine narrationem, Confir-mationis uerò etiam refutationem comprehendi. De-inde de Ciceronis diuiſione quadripartita reſponden-dum eſt, propoſitionem nequaquam à partium oratio-nis numero excludi, quippe quæ quaſi totius orationis eſt anima. Nam contentio illa ἀπόδειξις Græcis nominata, & Confirmatio Latinis, non ſolùm confir-mationem & refutationem, ſed propoſitionem etiam atq; partitionem ſiue diuiſionem complectitur. Sunt igitur partes ſex: Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Confutatio, & Concluſio. Primò enim, ut ait Cicero libro primo de Oratore, conciliandi eo-rum ſunt animi qui audiunt. Deinde res demonſtran-

da. 3. Con-

da. 3, Controuerſia conſtituenda. 4, Id quod nos intendimus, confirmandum. 5, Quæ contrà dicuntur, refellenda. Proſtremò repetitio cum affectibus, propoſitæ rei conuenientibus addenda.

EXORDIVM ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

In exordiorum doctrina hæc ſunt tenenda.

I. *Exordia debent eſſe uenuſtate & elegantia quaſi quodam ſale perſperſa, ut Cicero de perfecto oratore inquit: Veſtibula honeſta, aditusq́; ad cauſam faciendi ſunt illuſtres. Et Pindarus in Olym. oda ſexta:* ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές. *i. incoati operis faciem, oportet ſpecioſam & illuſtrem eſſe.*

II. *Exordia in dicendo non extrinſecus alicunde quærenda, ſed ex ipſis uiſceribus cauſæ ſumenda ſunt. Danda eſt igitur opera, ut non longè petita, ſed ex ea cauſa, quæ agitur, effloruiſſe uideantur.*

III. *Principia ſint uerecunda & ſummiſſa non tumida & grandia, ne exiſtimationi dicentis & cauſæ officiant. Nemo enim ferè eſt, qui arrogantiam &* φιλαυτίαν *non oderit. Sint igitur in conſpectu cauſæ, quæ confidentiam ingenij diſſuadent, et ad modeſtiā in dicendo inuitent: quarum prima ducitur è rerum natura. Vt enim nihil eſt in natura rerum omnium, quod ſe uniuerſum profundat, & quod totum repentè*

Cauſæ ad modeſtiam in dicendo flectentes.

1 *euolet: ſic quæ aguntur oratione, leuioribus principijs*
2 *pertexenda ſunt. Secunda eſt Ciceronis autoritas, qui affirmat, eum etiam qui optimè dicit, quiq́; id facilimè atq́; ornatiſſimè facere poſſit, tamen niſi timidè ad*

dicendum

dicendum accedat, & in exordienda oratione pertur-
betur, penè impudentem uideri. Tertia, exempla ora- 3.
torum optimorum & Ciceronis. Sic enim inquit Ci-
cero primo de Oratore: Equidē & in nobis animad-
uertere ſoleo, et me ipſo ſæpiſsime experior, ut erube-
ſcam in principijs dicendi, et tota mente atq; omnibus
artubus contremiſcam. Adoleſcentulus uerò ſic in ini-
tio accuſationis exanimatus ſum, ut hoc ſummum bene
ficium Q. Maximo debuerim, quòd continuò conſiliū
dimiſerit, ſimul ac me fractum, & debilitatum metu
uiderit. His igitur naturæ & ſummorum uirorum
præceptis atq; exemplis commonefacti, uitanda nobis
omnia eſſe ſtatuamus tumida exordia, utpote quæ &
natura ipſa deteſtatur, & quæ bonos omnes offendūt.
Exemplum tumidi exordij eſt, cum quis ambitioſe aut
arroganter uel ingenium ſuum, uel eruditionem, uel
autoritatem oſtentat, aut magna pollicetur, uel dictum
citat autoris magni, ut ſublimium amator, humilium
contemtor eſſe uideatur.

IIII. Exordium omne aut ἐυμάθειαν continere
debet, id eſt, docilitatem, ut audiamur intelligenter: ꝗ
fit, cum, quibus de rebus dicturi ſimus, diſertè & per-
ſpicuè exponimus. aut προσοχὴν, id eſt, attentionē, ut
audiamur attentè: quod fit, cum hortamur ad audien-
dum nos de re neceſſaria uel magna dicentes. Cicero
pro Cluentio: Quæſo ut me attentè benigneq; audia-
tis. Item: Attendite animos ad ea quæ auditis. Exem-
plum eſt in oratione Demoſthenis de pace: item in
prima Olynthiaca, ubi inquit, omnibus alijs rebus an-

teſerendum eſſe conſilium utile, de negocio quod tunc agebatur. Paulus in exordio ad Romanos ait, ſe concionari de re omniũ maxima, Euangelio, quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Aut ἔυνοιαν ſiue ἐυμένειαν, id eſt, beneuolentiam: quæ tum conciliatur, cum uel à noſtra, uel auditorum, uel aduerſariorũ perſona ordimur. Exempla poſtea in exordiorum formulis ſubijcientur. Verecundi uerò principij exemplũ erit, ſi quis initiò modeſtè ſe extenuat, oſtendens rem, de qua agitur, altiorem eſſe, quàm ut ingenij ſui acie imbecilli eam cõprehendere, aut uerbis explicare poſſit: uel alio quocunq; modo, ut poſtea in loco exordiorum è perſonis dicetur.

V. Non ſemper exordio uti neceſſe eſt, præſertim in epiſtolis, ſed ſæpe à re ipſa incipere cõmodius eſt. Inde Athenis in Areopago uoce præconis interdicebatur dicturis, ne præfatione uel affectibus uterẽtur. hoc eſt, ne quid extra cauſam dicerẽt, quod fit potiſſimùm animorum permotionibus. Eſt ergo uidendum, in qua cauſa & ad quas perſonas exordio conueniat uti. Etenim Rhetores cum Græci tum Latini in orationibus uſurpant exordia, ubi res & cauſa præfari quædam expoſtulat.

I. Exordij locus.

VI. Loci ex quibus ducuntur exordia, ſunt. Primus ἐκ τοῦ πράγματος, id eſt, ex re ipſa, cum ſine ambagibus ſtatim à re, de qua dicturi ſumus, ſiue propoſitione incipimus.

Exemplum.

Excuſaturus ſcribendi negligentiam, ita è re ipſa

principium

principium ducet, petens ſtatim ſe excuſatum haberi: Peto abs te, ne putes me uel obliuione tui, uel faſtu aliquo rarius ad te ſcribere quàm ſolebã. Non enim tuæ amicitiæ uſu cultuq́; quicquam mihi eſt iucundius & antiquius. Nec alius eſt factus meus animus, quàm fuit in te ab eo uſq; tempore, quo notitia prima inter nos cœpit, & amicitiæ noſtræ fundamenta ſunt iacta. Quòd ſi uerò diutius tibi tacuiſſe uidear, quàm ueræ amicitiæ uſus aut ratio poſtulat, alia ſunt quæ me excuſant. Partim enim per ualetudinem non potui, cuius infirmitas ſatis diu me tenuit, et uix tandem reſpirare paſſa eſt. Partim etiam ex quo reſpirare cœpi, tantũ ocij ab occupationibus meis relictum non fuit, ut ſcribẽdo ſatisfacere tibi alijsq́; meis amicis poſſem. Quod cum ita ſit, ſpero, quæ tua eſt æquanimitas, facilè me excuſatum te eſſe habiturum: in poſterum uerò nihil intermittam, quo te ſcribendo expleam. Vale.

In hac epiſtola principium eſt propoſitio ipſa: reliqua quæ accedunt, cauſas continent intermiſſi literarum mittendarum officij. Epiſtola prima ſeptimi libri Epiſtolarum familiarium: Si te dolor aliquis, &c. orditur à re ipſa, id eſt, à ludis, quorum apparatum et ſpectationem Cicero per totã epiſtolam ita extenuat, ut nullam delectationem ex ijs capere Marium potuiſſe appareat. Demoſthenes poſteriorem contra Ariſtogitonem ſtatim à re cauſaq́; incipit, proponens hanc ſententiam, Ariſtogitonem reum eſſe & ſupplicio coërcendum. Cicero orationis pro Ligario exordium ex ipſa cauſa ducit, de crimine Ligarij. Secunda in Catilinam

linam ſtatim incipit à gratulatione de læto diſceſſu Catilinæ ex urbe. Plutarchus libellum de Educandis liberis ſtatim à ſumma operis exorditur: Age conſideremus, quid de educandis liberis dici poßit, &c.

Aliud exemplum familiaris epiſtolæ, de modo gratificandi amicis.

Quòd me rogas, ut à doctrinæ ſtudio deſiſtam, reſpondebo breuiter quòd ſentio. Tibi quidem ut amico meo longè optimo gratificari paratus ſum in re quacunq;, neq; committam ut amicitiæ munus ulla in parte uiolaſſe uidear. Veruntamen quatenus gratificari amicis deceat, non te ignorare arbitror. Certè Plutarchus negat amicorum petitionibus obſequendum eſſe, ubi cũ commodo uel noſtro, uel aliorũ inſigni gratificari non poßimus. Neq; ignoras, Pericles quid fecerit, cũ ab amico rogaretur, ut cauſam eius falſam periurio confirmaret. Δεῖ μὲ, *inquit,* συμπράττειν, τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μεχρὶ θεῶν: *oportet me accommodare operam amicis, ſed uſq; ad aram: id eſt, quatenus inuiolata religione & integro officio poteſt fieri. Idẽ ego quoq; tibi in hac cauſa reſpondeo, gratificaturum me tibi alijs in rebus omnibus, at in hac de ſtudiorum deſertione meum inſtitutum eſſe perſecuturum, quod ſcio & pium eſſe & iuſtum, Deoq; & hominibus ſalutare. Vale.*

Eſtq; adeò hoc exordiendi genus uſitatum & ualde conueniens multis negocijs. Sæpe enim utilius eſt ſtatim arcem cauſæ inuadere, quàm ambagibus longis auditorem detinere. Eſt etiam facilitas in hoc genere

præcipua,

Digitized by Google

præcipua, ſi uidelicet ſtatim in ueſtibulo propoſitio recitetur, & ad eam confirmandam ordine adhibeantur argumenta. Verbi gratia:

Operam quam à me requiris, haud grauatim tibi præſtarem: ſed ita multis iam obruor impedimentis, ut accommodare tibi ea de re nullo modo poßim. Incidit enim præter omnem meam expectationem eiuſmodi negocium, quod & diligentiam magnam poſtulat, & quod ſine mora effici oportet. Tum etiam cauſam iſtam tuam agendi opportunitatem nullam prorſus uideo, abſentibus nimirum plerisq; ijs, quorum intereſt plurimum. Quòd ſi alio tempore hæc eadem à me fieri uolueris, mihi ſummæ curæ erit, ne quod officium erga te, ſtudijq; munus, aut tempus prætermittam. Vale.

Vel poterit idem fieri propoſita narratione ſiue expoſitione rei, & tandem addita petitione ſiue propoſitione tanquam concluſione. Vt:

Vetus mihi neceßitudo eſt cum Philopono, homine erudito, & tui in primis ſtudioſo. Habet is iter in patriam, & bonorum uirorum deſiderat amicitiam, cuius fiducia petere poßit, ſi qua inciderint fortè neceſſaria. Cum autem iſtac quoq; iter facturus ſit, te rogo, ut amanter eum cõplectaris, & quibuſcunq; in rebus opus fuerit, iuues. Id quod ipſius pietas & eruditio maximè meretur, tum ſcio nullum officium tuum apud ipſum eſſe intermoriturum. Vale.

Hoc exemplum quamuis commendationem habeat, in principio tamen ſubieci, ut oſtenderem ſæpe

narratione rem exponi, & tum demum quid fieri uelimus declarari.

II. SECVNDVS *locus, à cauſa. Vſitatũ eſt enim, in initio orationis exponere cauſam, qua impulſi ad dicendum acceſſerimus. Sunt autem cauſæ duplices:* προηγούμεναι καὶ προκαταρκτικαί. Προηγουμένη *eſt interior cauſa, uel animi affectio, ut cũ oſtendimus nos beneuolentia & charitate adductos ſcribere aut facere aliquid.* Verbi *cauſa.* Etſi *iure mihi denegare poßis, quod petiturus ſum: tamen fiducia beneuolentiæ tuæ, quam ſemper in te perſpexi erga me, non dubitabo id nunc petere, quod tibi moleſtiæ parum, mihi uerò utilitatis multum eſt allaturum.* Προκαταρκτικὴ *eſt cauſa externa, ſeu obiectum aliquod, præbens occaſionem aut irritans ad agendum: ut cùm tabellarij commoditate nos literas dediſſe oſtendimus. uerbi cauſa: Quamuis nihil quod ad te ſcriberem, habebam, nec quicquam etiam quod cogitatione tua dignum ſit, ſcribere poßim: tamen cum me* Theophilus *magnopere hortaretur, ut aliquid literarum ad te darem, non potui, neq; etiam debui tantam occaſionem negligere, aut honeſtam amici petitionem repudiare.* Elegans *exemplum huius formæ extat in oratione* pro Roſcio. Ibi.n. Cicero *in principio ſtatim declarat, quibus cauſis impulſus, illius cauſæ patronus extiterit: cum tamẽ multi ſummi oratores et homines nobilißimi ſederant, quibus rectius committi ea potuiſſet. colligitq; cauſas hoc modo:* 1, A *ſua ætate, quæ talis ſit, ut etiamſi liberius aliquid dixerit, ueniam tamen* iure *mercatur.*

2, Ab

Digitized by Google

2, Ab officio ſuo, quòd amicis petentibus gratificari debeat. Quòd uerò alij hoc patrocinium detrectarint, in cauſa eſt metus Syllæ. Pro M. Marcello exordium inſtituitur à cauſa, cur uidelicet poſt diuturnum ſilentium iterum prodeat ad dicendum. Hoc genere quoq; nos ſæpe uti conuenit. Decet enim in primis iuniores in exordio arrogantiam deprecari, & oſtendere, ſe non fiducia quadam ingenij, aut impudentia ad ſcribendũ ferri, ſed cogi honeſtiſſimis cauſis: ideoq; ſe facere nullo modo poſſe, quin aliquid dicant aut ſcribant, etiam cum ſuo periculo. Huius generis exordiorum etiam magnus eſt uſus in colloquijs, præſertim cum grauibus & prudentibus uiris. ibi enim omnino neceſſe eſt, ut initiò cauſam demonſtremus, qua impulſi colloquium aut aditum expetamus. ut, adoleſcens compellaturus præſtantem aliquem uirum, præmittet breuem commemorationem cauſarum, quæ ipſum commouerint ad hoc inſtitutum: & ſi hoc non facit, impudentiæ & temeritatis crimẽ non effugiet. Eſt enim ea res ſignum modeſtiæ, uerecundiæ, & iuuenilis pudoris, et meretur laudem apud ſapientes. Exempla extant apud Homerum. At cum ſæpe adoleſcentes hoc modo præfari oporteat, ſubijciam formulam breuem compellandi. Quamuis ego inde uſq; à pueritia uerecundiæ ſtudioſus fuerim, ſemperq; me ita geſſerim, ut nihil unquam moleſtiæ bonis uiris adferrem: tamen cum iam res ita poſtulet, ut prudentum conſilio et ſententia egeam, facilè me impudentiæ ſuſpicione & crimine liberatum iri ſpero: præſertim cum non quadã

Formula cõpellandi.

temeritate, ſed grauibus de cauſis id faciam. Nemini enim ignotum eſt, neceßitati parendum eſſe, & adoleſcentiam propter inopiam conſilij ſeniorum prudentia regendam. Quocirca non dubito, quin hæc cauſa & ratio facilè me apud te excuſatura ſint, &c.

Locus ab officii commemoratione.

Adfinis huic loco eſt is qui ab officij commemoratione ducitur, cum uidelicet pectore grato collata in nos beneficia prædicamus, quantumq; uicißim bene de nobis meritis debeamus, aut debere uelimus, ſignificamus. Eſtq; hoc principiorum genus amabile & prorſus ἠθικὸν, mirificè alliciens & pertrahens ad eos etiam, quos nunquam uidimus, diligendum. Neq; etiam honeſtius eſſe quicquam poteſt, quàm hoc quod in uerſu dicitur uerè de ſe prædicare poſſe:

——Non gloria nobis
Cauſa, ſed vtilitas, officiumque fuit.

Prima epiſtola Ciceronis libro primo familiariũ initiò commemorat pietatem in referenda gratia pro acceptis beneficijs: Ego omni officio, &c. Cicero pro Archia orditur ab officio referendi gratiam, oſtendens ſe, quicquid poßit, id omne debere Archiæ, à quo mirificè in ſtudio dicendi ſit adiutus.

Aliud.

Quoties tuorum erga me meritorũ recordor, ipſa magnitudo rei fateri me cogit, me omnia quæ conſecutus ſum, tibi accepta referre debere. Quamuis autem gratiam hactenus nullam retulerim, tamen habiturum me perpetuò polliceor. Et nunc de me tibi perſuadeas omnino uelim, nihil mihi tam fore in uita charum,

rum,

Digitized by Google

rum, quàm futura eſt pietas in referenda gratia iucunda.

TERTIVS locus eſt à perſonis, ἐκ τῶν προσώπων: & eſt ea exordiendi ratio triplex. Sumimus enim à noſtra perſona interdum exordia, interdum ab auditorum, nonnunquam etiam ab aduerſariorum perſona. Cum à noſtra perſona exordium ſumere uolumus, danda eſt opera, ut uerecundè & prudenter ingenij noſtri imbecillitatem commemoremus, & uires extenuemus, ut omnis arrogantia & uanitas à nobis procul abeſſe uideatur. Qua quidem in re illud obſeruandum magnopere cenſeo, ne immodica extenuatio inſtituatur, quæ & exiſtimationi officit, et ſupra modum odioſa eſt et moleſta auditoribus. Eſt n. ſicut laudari nimium, ſic etiam extenuari quoddam onus. Sunt quidem adeò curioſi & prolixi in hoc genere, ut non ſine magno tædio audiri aut legi poßint. Sit igitur extenuationis modus, & accuratè id, quod Græci τὸ πρέπον uocant, obſeruetur, ne uel diſſoluti nimis, uel impudentes et glorioſi militis ſimiles uideamur. Molliſsimum eſt, & propter modeſtiam amabile, illud quod Ouidius de ſe conqueritur: III.

Inuida me ſpacijs natura coërcuit arctis,
Ingenij vires exiguasque dedit.

Contrà durum eſt, & propter arrogantiam omnium odio dignum, quod de grandiloquente Horatius ait:

Proijcit ampullas et ſeſquipedalia verba. Itē:
Quid præſtet tanto dignum promiſſor hiatu.

Addit etiā Horatius illud perneceſſarium præceptū,

ut ſcribentes aut loquentes caueant, ne maiorem quàm pro ætate aut modo ingenij materiam ſermonis capeſſant: ſed ſuæ perſonæ conuenientia ſcribant & dicant.

Exempla.

Etſi fateor, ad huius cauſæ explicationem multò plus ingenij & eruditionis requiri, quàm in me eſſe ſentio: tamen cum in magnis rebus pia & honeſta uoluntas à nullo reprehendi ſoleat, malui nauare operam pro uirili, quàm pertinaciter laborem detrectare uideri.

Aliud.

Intelligo equidem, me neq; ſatis ingenij, quod ſentio quàm in me ſit exiguum, neq; exercitationem dicendi, neq; rationem ullam ab optimarum artium ſtudijs profectam, ad dicendũ adferre poſſe, ni enim tantum mihi & uirium & iudicij imbecillitatem ineſſe fatear, ut non ultra puerilia ſapiã, amens ſim. Veruntamen cum hîc non tam ſpectetur eruditio, quàm animus diſcendi cupidus: nec certetur ingenio aut doctrina, ſed ualeat iuuenilis exercitatio: non quenquã tam iniuſtum rerum æſtimatorem futurum eſſe arbitror, ut hoc meum inſtitutum reprehendat.

Aliud.

Adoleſcens excuſaturus ſeſe apud prudentem aut præſtantem uirum, hac utetur formula: Etſi *tum indignitas mea, tum etiam multiplex inſcitia, atq; adeò tota meæ uitæ & fortunæ ratio meritò me abſterrere debeat, ne tuam præſtantiam compellare animum inducam:*

Digitized by Google

ducam: tamen cum nullius unquam colloquium à te repuleris, aut aſpernatus ſis, non etiam alienum à tua dignitate exiſtimaturum te eſſe confido, mihi quoq; te conuenire expetenti placidè & benignè aures præbere. Seniorum autem maior eſt licentia. Illi enim ſine periculo famæ aut exiſtimationis ſua facta narrare, et iunioribus commendare poſſunt. Exemplo eſt Neſtor apud Homerum 1, Iliad. ubi diſſentientes Græcorum duces Agamemnonem & Achillem reconciliaturus grauiſsimè inquit: Obſequimini mihi ambo, nam iuniores eſtis, & paruerunt aliquando meis conſilijs uiri multò præſtantiores.

¶ Ab auditorum perſona cum incipimus, breui quoq; & uerecunda commendatione eorum utemur: nec, ut quidam ſolent, nimis illos laudabimus & extollemus: quod & ingratum eſt, & adulationis ſuſpicione non caret. Prudentes uiri gaudent mediocri commendatione, in qua & uirtutes illorum prædicentur, & debitus honos uirtutibus tribuatur: ſed affectatam & longam laudationem aſpernantur & auerſantur. Vlyſſes apud Homerū Iliad. κ, non uult ſe nimium laudari, neq; etiam culpari. Eſt igitur in hoc genere magna habenda ratio, & ut honorificè de auditoribus ſentire præ nobis feramus, et ut candorem in iudicando ipſi adhibeant, qui maximè bonos uiros decet, nobisq; creſcendi copiam, ut ille inquit, dent, petamus. Exempla illuſtria ſunt in epiſtolis Ciceronis: ſed breuitatis cauſa huc referantur duæ pulcherrimæ epiſtolæ quarti libri. Vna ſic incipit: Etſi ego eo te adhuc

A perſona auditorum.

uſum

uſum conſilio intelligo, ut id reprehendere non audeam: non quia ab eo ipſe diſſentiam, ſed quòd te ea ſapientia eſſe iudicem, &c. Altera *ſubſequens, tale habet exordium*: Neq; *te monere audeo, præſtanti prudentia uirum: nec confirmare, maximi animi hominẽ, &c.* In *his exemplis perſpicuè cerni poteſt, quomodo in hoc genere exordia ſint inſtituenda.* Cicero *enim ibi modeſtè admodum uirtutem eorum ad quos ſcribit, commendat, ita ut nec modum excedat: nec quidquam tamen quod ad laudem eorum attinet, omittat.* Addo *etiam exemplum, quo adoleſcentes uti decet in colloquijs cum præſtantibus uiris, atq; etiam in epiſtolis*: Sæpe *audio prædicari, & ſummis laudibus euchi excellentem tuam uirtutem, et ſingularem eruditionem, qua cæteros omnes, perinde ut* Tireſias *manes apud inferos (ut fabulis à ſapientibus proditum eſt) anteire uideris: & adhæc, quod maximũ eſt, & ad* Deum *proximè accedit, incredibilem manſuetudinem & moderationem in omnibus dictis & factis, & humanitatem benignitatemq́; erga omnes etiã ignotos, qui honeſto & bono animo tuum conſilium expetunt, aut familiaritate tua frui cupiunt.* Huius *enim egregiæ uoluntatis & uirtutis tuæ multa præclara iam & inſignia documenta dediſti, cum non ſolùm communem rei literariæ utilitatem ſtrenuè adiuuiſti: uerùm etiã priuatim quoſcunq; potuiſti, tua ope ſubleuaſti, & eouſq; prouexiſti, ut iam ſua eruditione* Eccleſiæ *cum laude præeſſe, et rebus humanis inſeruire poſſint.* Hæc *cũ ita ſint, in ſpẽ uocor, futurũ ut mihi quoq; ad te confugienti tuã opem benignè præſtes,* ¶ Cum

¶ Cum ab aduerſariorum perſona exordiendum eſt, modeſtiam adhibere conuenit, homine ſapiente dignam: & ſedulò cauendum, ne maledictis, conuicijs, & uirulentis calumnijs certemus: quod non hominũ, ſed ferarum & (ut uerius dicam) diabolorum eſt. Nã haud ſcio an ulla uirtus melior & præſtabilior ſit, quã modeſtia in uincendis auerſarijs. Quare diſcamus in hoc genere placidè aduerſariorum obiecta confutare, & bonitate ueritateq; potius quàm amarulentia & criminationibus eos uincere. Calumnias .n. neq; ipſi dicere, neq; dictas ab alijs audire boni uiri debent: ſicut humaniſſimè à Thucydide præceptum eſt. Et re-uera plus efficitur moderatione & bonitate, quàm ſæuitia & conuicijs. Quo enim acerbius reſponderis, eò magis exaſperabuntur aduerſarij: & ſic nihil ages, niſi ut ignem igni addas. Sin uerò modeſtia uſus fueris, hoc aſſequêris, ut aduerſarius, niſi prorſus ſit malus, iniuriæ conuictus, tandem cum ſumma infamia cedat, tu uerò laudem adipiſcaris, ut in uerſiculis dicitur: A perſona aduerſariorum.

Cum duo contendunt, ſapientior ille putatur,
Qui moderari iram ſcit ratione ſuam.

Exempla.

Cicero in concione apologetica contra Saluſtium: Mihi quidem ratio habenda eſt, non quid Saluſtius meritò debeat audire, ſed ut ea dicam, ſi qua ego honeſtè effari poſſim.

Helon apud Herodotum in Polymnia: Probra obiecta homini ſolent iram accendere. Tu uerò etſi con-

Digitized by Google

tumelia me in ſermone affeciſti, non tamen perſuadebis, ut indecora faciam compenſando conuicia.

Demoſthenes de Pace: *Publicè id uobis expoſui, nullis priuatis uel inimicitijs, uel calumniandi ſtudio impulſus, quemadmodum facta, quæ ſecuta ſunt, declararunt.*

Sic igitur principia in hoc genere comparari poterunt: Et*ſi maledictis tuis meritò cõmoueri poſſem, ut acerbè reſponderem: tamen cùm conuitijs certare cum aduerſario, bono uiro turpe ſit, non agam tecum pro merito tuo, ſed modeſtè refutationem opponam.* Vel:

Q*uamuis non ignorem, omnium ſapientum præceptis nos moneri, ut conuitijs cedamus potius, quàm acriter reſpondendo ea compenſare ſtudeamus: tamen quia non tam perſona mea, quàm doctrina & officium in crimen uocatur, aliqua omnino opponenda eſt refutatio, quæ & uitam meam purget, & profeßionem tueatur, tum ut aliqui etiam uel confirmentur, uel ſanentur.* Vel:

V*t amica admonitio admittenda, & grato animo amplectenda eſt: ita inſectatio inimica repellenda.* E*tſi igitur hoſtili & iniqua tua inſectatione labẽ mihi aſperſiſſe non exiguã uidearis, & à me iurè repelli acerrimè poßis: tamen non efficies conuiciando, ut indecora faciam: ſed plus apud me ualebit religioſa noſtra pietas et moderatio, quã ſaluator noſter &* Chri*ſtiana noſtra profeßio à nobis omnibus et ſingulis requirit, quàm priuatæ uindictæ cupiditas, aut odij mutui per-*

Digitized by Google

tui pertinacia. Tantùm te oro, ut petulantiã linguæ, morbum animi fœdiſsimum, & à profeſsione Chriſtiani hominis alieniſsimum, frenes, & finem aliquando conuiciandi facias.

QVARTVS Exordiorum locus eſt χρεία καὶ γνώμη, ſeu ſententia qualiſcunq;, quæ ſcitè noſtro inſtituto accommodatur. χρείαν quidem uocamus, dictum aliquod lepidum & utile, quod cum nomine autoris citatur. Gnome uerò ſignificat ſententiã, quæ aliquid monet de uita & moribus rectè inſtituendis atq; regendis. Huius generis exordia ualde iucunda ſunt & grata, crebroq; uſurpari ſolent. Exempla in Cicerone multa reperiuntur, & in primis elegans eſt illud 3. Officiorum: Publium Scipionem, Marce fili, eum qui primus Africanus dictus. Simile eſt huic etiam illud in 2. Tuſcul. Neoptolemus quidem apud Ennium philoſophari ait ſibi neceſſe eſſe, ſed paucis, &c. Etſi autem non difficile ſit, multa eiuſmodi exordia excogitare: tamen artis eſt, dextrè & bellè ea ad ſuum inſtitutum poſſe accommodare. Addemus igitur exempla. IIII.

Exemplum.

Cogitanti mihi de mutua ſocietate, qua Deus ſapientiſsimus opifex uitam hominum deuinxit & colligauit, uenit in mentem honeſtiſsimæ ſententiæ Platonis, quam in epiſtola quadam ſcriptam reliquit: Non nobis ſolùm nati ſumus (inquit) ſed ortus noſtri partẽ patria, partem amici, partem parentes ſibi uendicant. Præclara meherclè uox, & digna memoria. Non enim

ideo

Digitized by Google

ideo homines in hanc lucẽ edimur atq; ſuſcipimur, ut quæ nobis ipſis uoluptati ſunt, tantùm quæramus: aut ut ita uiuamus, ut nemo nos uixiſſe ſentiat, quemadmodum Stoici impiè & furenter ſenſerunt: ſed ut ad cõmunem hominũ ſocietatem, quæ mutuis officijs alenda eſt & conſeruanda, aliquid opis & emolumenti adferamus, proximum iuuemus, patriæ proſimus, et aliquid ornamenti toti uitæ humanæ addamus. Quare cùm hac lege nati ſimus, & in hanc lucem ſuſcepti, æquum eſſe cenſeo, ut omnes noſtros conatus, omnesq; neruos in id intendamus & conuertamus, ut patriam noſtram ornatiorem reddamus, & uitæ communi inſeruiamus. Nihil autem magis res humanas commendare & iuuare mihi uidetur, quàm literarum doctrina. Ea enim urbes peperit, ſocietates copulauit, et omnia humanitatis officia, & uirtutem ipſam continet atq; conſeruat. Quocirca literarum ſtudia omnibus alijs anteferre iuſtißimum eſt.

Aliud exemplum.

Sapienter à Sophocle in Aiace dictum eſt, Gratiã ſemper gratiam parere: cui uerò acceptorum beneficiorum memoria effluxerit, eum in bonis uiris non eſſe habendum. Quid enim magis decere hominem arbitremur, quàm pro beneficijs gratiam habere & referre ſtudere? præſertim cùm natura ipſa nos ad gratitudinem inuitet, & beſtiæ ſuo exemplo id nos edoceant. Videmus multa bruta adeò grata eſſe ſuis benefactoribus, ut omnes occaſiones referendi gratiã quærant. Vt autem gratitudo maximè ſecundum naturam

eſt, &

eſt, & hominem inprimis commendat: ita contrà ingratitudine nihil eſt fœdius, & naturæ inimicitius, id quod immane exemplum corui ſatis demonſtrare poteſt. Cum igitur gratia pro accepto beneficio tam neceſſaria ſit, ut qui eam non præſtat, uir bonus nullo modo haberi debeat: magnæ mihi curæ erit, & iam eſt, primùm ut tibiipſi, deinde omnibus tuis, pro ampliſsimis beneficijs gratiam, bono uiro dignam, non ſolùm habeam, uerùm etiam referre aliquando poſſim.

Aliud exemplum.

Eruditè à Cicerone præceptum eſt, ut adoleſcentes, qui obſcuris parentibus orti ſunt, & in hominum ignoratione uerſantur, à primis ſtatim annis magna ſpectent, & celebrium bonorumq; uirorum ſocietatẽ & familiaritatem ſibi concilient, quò emergant, & generis ſui obſcuritatem nobilium neceſsitudine & conuerſatione tegant atq; obruant. idq; eo magis faciendum eſſe cenſet, quòd illi ætati non modò non inuidetur, uerùm etiam fauetur. Nemo enim ferè eſt, niſi prorſus inuidus et maleuolus, qui conatus adoleſcentiũ, aſpirantium ad decus et laudẽ, aut ad honeſtas artes, non pro ſua parte adiuuet & proueh at. Quod cum ita ſit, ſpero te quoq; facilem mihi ad tuam amicitiam confugienti aditum eſſe præbiturum.

Aliud.

Rectè equidem Comicum dixiſſe re ipſa comperio: Veritas odium parit. Quid enim tam ſolet ſauciare hominum animos, quàm ſi ingenuè ueritatem

profitearis ? Non hic amicus, non conſanguineus, non frater deniq; ullus inuenitur, qui ferre liberam admonitionem & reprehenſionem ueram æquo animo uelit. Quæ neceſſitudo maior inter ullos eſſe poſſet, quàm mihi cum Philopono intercedit ? is tamen adeò mea libertate, qua me uti erga ipſum, ipſa honeſtas & officium coëgit, offenſus eſt, ut omnis gratia priſtina perierit, &c. Vale:

Pericles olim in Republica Attica cum lichno eũ deduci à ſuo miniſtro iuſſit, à qua totum diem proſciſſus conuicijs erat. Tanta enim uiri ſapientis fuit uirtus, tamq; incredibilis patientia, ut non modò iactatis ab homine improbo conuicijs non commoueretur, ſed etiam maledicta eius benefactis compenſare ſtuderet. Hoc inſigne exemplum puto nobis omnibus & ſingulis ad imitandum eſſe propoſitum. Etſi igitur difficile eſt iniurias, quibus petulãter à te afficior, inuicto animo perferre, beneficijsq; uincere ſtudere: tamen quia ratio id ſuadet, & Chriſtiana requirit profeſſio, non committam, ut libidini plus quàm honeſtati paruiſſe uidear. Vel:

Vt bonorum uirorum ſuaui conſenſione, ſecundum Platonem, non adamas, non ſplendidum aurum delectabilius eſt: ſic ego ingenuè & uerè fateor, tua coniunctione nihil mihi eſſe in omni uita dulcius et optabilius. Vel:

Prædicat apud Homerum annis & ſapientia plenus Neſtor, ſibi cum Vlyſſe toto belli Troiani tempore tantam fuiſſe ὁμοφροσύνην, ut nullo conſilio aliter ab

Digitized by Google

ter ab altero diſſenſerit. Tametſi uerò ſummorum uirorum uirtus altior ſit, quàm ut eam nos humi ſtrati ſuſpicere & imitari poßimus: illud certè tamen, quod poſſumus, præſtemus, ut ſi quæ dißidiorum ſemina aut occaſiones inciderint, arte & uera animorum moderatione eas ſopiamus atq; ſanemus.

QVINTVS locus exordiorum complectitur adfectus, à quibus crebrò initium orationis ſumitur. Et eſt magna uis huius generis exordiorum. Naſcuntur enim ex ipſo corde, & planè animi cogitationes exprimunt. Vocatur autem hoc loco adfectus, qualiſcunq; animi motus, ſeu cordis, qui in oratione oſtenditur: ut eſt dolor, læticia, gratitudo, & ſimiles. Exempla à Cicerone petãtur, inprimis tamen huc referãtur epiſtolæ quædam, & orationes ſelectißimæ. ut uerbi gratia, duæ epiſtolæ libro quarto Famil. epiſtolarum elegantißimæ: una Seruij Sulpitij, quæ incipit: Poſtquam mihi renunciatum eſt de obitu filiæ tuæ, &c. altera huic reſpondens Ciceronis, cuius initium eſt: Ego, Serui, uellem in meo grauißimo caſu adfuiſſes, &c. Item 3. eiuſdem libri, cuius principium eſt: Vehementer te eſſe ſolicitum, &c. & multæ aliæ, quas ſtudioſos hinc inde colligere decet, ut ad earum formam, cum ſimile quiddam ſcribendum eſt, ſeſe accommodent. Ex orationibus Ciceronis huc pertinent, oratio pro Deiotaro, ad Quirites poſt reditum, pro Murena: quæ ſtudioſis debent eſſe quàm commendatißimæ & familiarißimæ. in his enim omnibus initiũ fit à quodam adfectu: ut oratio pro Deiotaro exordium Pro Deiotaro.

habet à perturbatione. Propoſitio exordij eſt: Magnopere perturbor, quòd in capitis diſcrimen adducitur tantus rex, & quidem à nepote & ſeruo ſuo. Ad Quirites poſt reditum habita incipit à lætitia, quam concepiſſe ſe ait Cicero è ſuis beneficijs patriæ præſtitis, omniumq; teſtimonio, conſenſu, iudicio & confeßione approbatis. Orationis pro Murena exordiū ſumtum eſt à precatione ſeu uoto, ut conſulatus Murenæ ſit proſper & felix. Pro Milone: Perturbat me non parum hæc noua iudicij forma, &c. Pro Publio Seſtio orditur à querela, quòd benemeritis non ſolùm honos nullus habeatur, ſed quòd in capitis etiam diſcrimen conijciantur.

Ad Quirites. Pro Murena. Pro Milone. Pro Seſtio.

Exordia a gratulatione.

Ad hoc genus exordiorum pertinent etiam gratulationes, quibus nos lætari aliorum commodis aut ſalute ſignificamus.

Exordia in orationibus funebribus.

Hæc exordia maximè etiam decent in orationibus funebribus. ibi enim declarandum eſt initiò, nos magnum cepiſſe dolorem ex obitu defuncti: & luctus, quantum fieri poteſt, uerbis exprimendus eſt. Sunt quoq; ualde conueniētia hæc exordia diſputationibus & orationibus, quæ hoc noſtro luctuoſißimo tempore haberi ſolent. Eſt enim pium & iuſtum, in exordio aut deplorare ærumnas & difficultates huius tempeſtatis, ruinas imperiorum, ſcholarum & Eccleſiæ: aut precatione uti, ut Deus in iuſta ſua ira ſuæ miſericordiæ recordetur, et reliquias aliquas artiū et uerbi ſui & politiæ conſeruet: nec eas propter noſtrā ingratitudinem, quæ ſumma eſt, deleri ſinat. Sunt etiam crebrò

Digitized by Google

prò gratiæ Deo agendæ pro beneficio inæſtimando, quòd in hac rerum omnium perturbatione aliqua tamen cognitio uirtutum, artium & diſciplinæ reliqua ſit. Exempla ſtudioſi ſuopte ingenio excogitent, in quibus nunc dolorẽ ſuum ob aduerſitates amicorum, aut lætitiam propter res eorum ſecundas oſtendant. Ad gratulationem ſeſe etiam aſſuefaciant & exerceant. Quod ut facilius præſtent, exempla quædam ſubijciam. Primum à dolore animi ſumetur hoc modo:

Quantum dolorem acceperim, poſtquam mihi à tuis familiaribus indicatum eſt, te in ſubitum morbum incidiſſe, aut tuorum bonorum iacturam feciſſe, non facilè dixerim. Hoc enim tibi perſuadeas uelim, nullã rem eſſe minimam quæ ad te pertineat, quæ mihi non æquè curæ ſit, ac mea ipſius: cum, ut te iam ſatis perſpexiſſe arbitror, meam fortunam cũ tua ſemper coniunctam putauerim: nec tibi quicquam mali accidere poſſe exiſtimem, quod non magis mihi ipſi eueniat. Quapropter in ſummo uerſor luctu & ſqualore, propter hanc tuam iniquiſsimam fortunam: nec quieſcere animus poterit, niſi te aut cõualuiſſe, aut bona amiſſa recuperaſſe cognouero. Exemplum a dolore animi.

Exemplum lætitiæ.

Quòd res tuæ proſpere & ex animi uoto ſucceſſerunt, uehementer gaudeo. nam exiſtimo etiam ad me partem iſtius tuæ felicitatis pertinere: quandoquidem, ut ſapientes tradunt, amicorum ſunt cõmunia & bona & mala. Quapropter, & tecum hoc tuo proſperrimo ſucceſſu lætari uolo: & Deo, cui omnes hoc

acceptum referre debemus, gratias agere: & petere, ut quod cœpit in te, etiã perficiat, & felicitatem iſtam conſeruet & augeat.

Exemplum gratulationis.

Quód ad gubernationem Reipub. *clara uoce patriæ, & conſenſu ſummo omnium uocatus es, magnopere tibi, ut debeo, gratulor.* Video.*n.illud tibi honeſtiſsimum & glorioſiſsimũ, patriæ ſalutare, & ciuibus omnibus utile eſſe.* Idcirco *& ego, ut tibi is nouus honos, uel hoc officium perpetuo honori ſit, & toti patriæ ſempiterno emolumento, & quod maximum eſt, Deo gratum, exopto.*

Exemplum admirationis.

Ab admiratione exorſus eſt Leon Philoſophus *Bizantinus, qui legatus miſſus* Athenas, *cum uellet placare & in concordiam redigere populum ſeditioſum, ipſeq́; & coniunx eius eſſet ualde obeſo corpore, ita orationem exorſus eſt: Scio uos mirari, quæ magnitudo ſit thori illius, in quo ego cum coniuge mea dormiam: ſed ego hoc poſſum affirmare, nos in anguſto lectulo cubare, cum inter nos eſt concordia: ſed ea diſſoluta, tota domus, quamuis ampliſsima, nos capere non poteſt.*

Aliud.

Quanq̃ multa ſunt, quæ me ex hoc loco uerba facturum perturbant, dicendi difficultas, uarius orationis euentus, & ueſtra expectatio, qua dignum nihil efficere atq; edere poſſum: tamen rurſum me conſolatur & erigit inſignis ueſtra æquanimitas, & in iudicando candor, cuius fiducia, quantum potero, exequi

ſuſce-

ſuſceptum munus conabor: Deumq́; ad exemplum Callimachi precor, ut mihi uirtutem & felicitatem largiatur. Vel:

Quòd mihi de præſenti conditione uitæ amanter gratularis, lætor æquiſsimo tuo erga me animo, et uirtutis laude digniſsimo. Eſt enim uerè generoſi et celſi animi, alterius fortunæ florenti non modò non inuidere, ſed eadē etiam lætari. Quapropter gratias tibi ago, Deumq́; oro, ut pio utriuſq; noſtrûm uoto dignū largiatur exitum.

SEXTVS exordiorum locus continet circumſtantias locorum & temporum. Exemplum eſt in oratione pro Celio, ubi initiò oſtendit Cicero, cauſam non eſſe tantam, ut diebus feſtis ludisq́; publicis agi debeat.

Exemplum exordij à circumſtantia temporis.

Etſi multæ illuſtres & expreſſæ imagines in ſole, ſtellis & alijs mundi corporibus, ſumma arte & miranda ſolertia fabrefactis, propoſitæ ſint, quæ nos de rebus grauiſsimis & maximis commonefaciunt: tamen haud ſcio an ulla ſit efficacior, & quæ magis pias mentes afficiat, quàm huius temporis ratio, quod ob breuitatem dierū nimiam Bruma dici conſueuit. Quis enim iam ſolem ſpectans dubitabit, quin clariſsimè nobis Chriſtum autorem & conſeruatorem depingat? utpote qui disertè à propheta Malachia Sol iuſticiæ appellatur. Vt.n. iam ſol uidetur à nobis remotiſsimus et tamē reipſa terris eſt proximus, uidelicet in perigeo

circuli eccentrici:ita Chriſtus in adflictionib.& perſecutionibus uidetur quidem à ſua Eccleſia longiſsimè abeſſe,eamq; deſerere uelle, & hoſtibus diripiendã et delendam relinquere:ſed reuera tam propè illi adeſt, ut quaſi manibus contrectari poſsit,& in ſinu ſuo fouere et cuſtodire eam uideatur, ſicuti pſalmi hæc uox declarat: Propè eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde. item Eſaiæ: Geſtamini in aluo mea.

Aliud.

Admonet me hoc tempus brumæ,in quo aiunt halcyones in alto mari nidificare, & incubare ouis, eaq; excludere,ut de miranda Eccleſiæ conſeruatione altius cogitem. Quemadmodum enim illis auiculis media hyeme mare,aliâs procelloſum & fluctibus æſtuans,ſummam tranquillitatem & quietem per quatuordecim dies,qui ob id ἀλκυόνεια appellantur, concedit & præſtat, donec pullos ſuos excludant: ita Eccleſiæ parturienti omnes tyranni & poteſtates mundi,licet ſæuiſsimè graſſentur, & omnem uim in eius perniciem conferant,tamen pacem & tranquillitatem concedere coguntur, ut gignat Deo fœtus gratiſsimos in odorem ſuauitatis,ut Paulus inquit, & ueros cultus ei præſtet. Quæ res ſanè facit,ut non ſolùm mirabili modo eam conſeruari in tantis fluctibus tentationum et turbulentiſsimis tempeſtatibus exiſtimẽ: uerùm etiam ad omnem æternitatem manſuram eſſe, mihi prorſus perſuadeam.

Aliud.

Commonefacit me hic dies, quo memoria natalis Domini

Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti repetitur et celebratur, ut de cauſa huius admirandæ natiuitatis attentius cogitem. Non enim ſine maxima, multáq; cogitatione comprehenſibili cauſa factum eſſe certum eſt, ut filius Dei, imago & ſplendor patris, in hanc ærumnoſiſsimam naturam ſeſe demiſerit, & noſtram carnem in utero caſtiſsimæ uirginis Mariæ aſſumpſerit, &c.

Aliud à loco.

Si mihi alia tecum cauſa amicitiæ non eſſet, ſatis tamen arcto ſocietatis & neceſsitudinis uinculo nos copulaſſet communis utriuſq; noſtrûm patria. Non enim dubium eſt, firmiſsima cognatione & uinculo naturali contineri, quos ſolum natale coniunxit. Quocirca cùm patria coniuncti ſimus, par eſt ut animis quoq; & uoluntatibus conſentiamus.

DE OECONOMIA ET DISPOſitione exordiorum.

Hoc unicum præceptum de diſponendis exordijs teneant ſtudioſi, contexi ea plerunq; ex enthymematibus, ita ut initio poſita ſententia quadam, mox ſubijciatur ratio. Verbi cauſa: Non deſerenda ſunt nobis literarum ſtudia, etiamſi neq; præmia, neq; ullus ferè honos literatis tribuatur. Sunt enim literæ cauſa, uel (ut ille ait) fons omnis boni in uita communi. Item: Sanitas, pulchritudo, robur, diuitiæ, honos, præſtantia generis, non ſunt uera & ſolida bona: ſed pietas & uirtus. illa enim non diu durant, ſed fluxa ſunt, & folijs autumnalibus magis caduca: hæ uerò conſtanter

Digitized by Google

permanent, nec deſerunt hominem in morte: ſed poſt hanc uitam etiam præſto ſunt, & immortalitate donantur. Verùm inuertitur plerunq; hic diſpoſitionis ordo, ita ut conſequens priori, antecedens poſteriori loco recitetur. Vt in ſuperiori exemplo, præponeret orator rationem, quam nos poſtpoſuimus, hoc modo: Certum eſt, ex literarum ſtudijs, tanquam ex auguſto gelidoq; fonte, quicquid boni in uita humana ineſt, dimanare. Ideoq; nequaquam ſunt deſerenda literarũ ſtudia propter contemtũ & ingratitudinem hominũ erga literatos. Poſtea additur plerunq; ἀπόδοσις, qua tanq̃ concluſione aliquid colligitur ex præcedentibus, ut in priori exemplo hoc addi poteſt: Quamobrem te hortor, ut alacri animo literas diſcas, nullaq; difficultate, aut hominum literatorum contemtu ab inſtituto tuo deterrearis.

Aliud ex epiſt. 11. libri quinti Familiarium.

Grata tibi eſſe mea officia, non miror. Cognoui enim te gratiſſimũ omnium, idq; nunquam deſtiti prædicare. Nec enim tu mihi gratiam modò habuiſti, uerùm etiam cumulatiſſimè retuliſti. Quamobrem reliquis tuis rebus omnibus pari me ſtudio erga te & eadem uoluntate cognoſces.

¶ Quæ longiora eſſe debent exordia, pluribus conſtantur partibus.

1 πρότασις eſt propoſitio exordij, hoc eſt, ſententia quæcunq;, primo loco recitata.

2 κατασκευὴ eſt αἰτιολογία ſiue ratio propoſitæ ſententiæ.

ἄυξησις,

3. ἄυξησις, id eſt, ãplificatio: ſiue ἀντικατάληψις, id eſt, occupatio: uel ἀντίθεσις, id eſt, aduerſatiua.

4 ἀπόδοσις, id eſt, redditio ſeu repetitio, uel concluſio & explicatio fuſior.

5 ἀξίωσις, petitio.

Exemplum ex oratione pro Milone.

πρότασις: Etſi intelligo, me animo magno hanc cauſam agere debere: tamen fateor me perturbari hac noua iudicij forma.

κατασκευὴ ſiue αἰτιολογία: Non enim ſumus uſitatis præſidijs ſepti.

ἀντίθεσις: Sed animum mihi addit Pompeij iuſticia, quæ non ſinet uirum ſine iuſto iudicio opprimi.

ἀπόδοσις: Quamobrem illa etiam non contra, ſed pro nobis faciunt: idq; declaratur ciuiũ erga Milonem fauore, & extenuatione factionis Clodianæ.

ἀξίωσις: Quamobrem adeſte animis iudices, & liberè decernite Milonis cauſam.

Aliud ex tetia Olynthiaca Demoſthenis.

πρότασις: Non idem ſtatuere poſſum, cum res & orationes conſidero.

αἰτιολογία: Nam orationes quidem hortantur ad ulciſcendum Philippum, ſed res & euentus minimè reſpondet.

ἀπόδοσις: Quocirca operam inanem ſumunt, qui aliena à deliberatione ueſtra dicunt aut ſuadent.

ἀντίθεσις, De meliore aliquando Reipublicæ ſtatu & ſuo conſilio.

ἀξίωσις:

Digitized by Google

ἀξίωσις: *Quare peto à uobis, ut me, ſi paulò liberius uerba fecero, feratis, &c.*

Exemplum ἀξιώσεως ex priori contra Ariſtogitonem.

Δότε δʼ ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, καὶ συγχωρήσατέ μοι πρὸς διὸς ὡς πέφυκα καὶ προήρημαι περὶ τούτων διαλεχθῆναι πρὸς ὑμᾶς. καὶ γὰρ οὐδʼ ἄλλως δυναίμην: *Per Deos autem oro uos, date Athenienſes & concedite mihi, ita ut natura mea fert, utq; propoſui, de his rebus diſſerendi facultatem.* Etenim *haud aliter poſſum.*

Exempla plura petant ſtudioſi ex oratione pro Archia, pro Marcello, &c.

Epiſtola Pauli ad Philemonem.

πρότασις *à gratulatione: Gratias ago Deo, quòd profectum tuum in charitate et fide erga Chriſtum & ſanctos audio.*

αἰτιολογία: *Nam gaudeo uehementer ſanctos per te refocillari.*

ἀπόδοσις: *Quare propter charitatem te rogo, ut Oneſimum recipias.* Idq; *argumentis ex genere deliberatiuo, ut in familiari epiſtola fieri ſolet, ſumtis, perſuadetur.*

DE NARRATIONE.

De narratione hæc ſunt tenenda.

I. *Narratio eſt rerum explicatio, ſeu facti expoſitio. Cicero uocat fontem omnis orationis reliquæ, atq; adeò quandam quaſi ſedem ac fundamentum conſtituendæ orationis.*

II. Spe-

II. Species narrationũ hæ ferè recenſentur: 1,Continct fabulas, ut Aeſopi. 2,Comœdias & dialogos. 3,Figmenta poëtarum. 4,Hiſtorias. 5,Cauſæ expoſitionem.

III. Attributa ſeu uirtutes, ἀρεταὶ καὶ τρόποι, narrationis bonæ ſunt:

1 Βραχύτης, Breuitas: quæ tum eſt, cum tantum uerborum eſt, quantum neceſſe eſt, nec uerbum ullum redundat, neq; quicquam etiam prætermittitur. Ex quo intelligitur, utrumq;, & garrulitatem & ieiunitatem à bona narratione abeſſe debere. Qui enim copiam in narrando affectant, omniaq; à gemino, quod aiunt, ouo repetunt, multis παρέργοις & digreſſionibus non neceſſarijs intertextis, ſatietate quadam & faſtidio auditores à ſe abalienant. Qui uerò conciſe nimium narrant, in obſcuritatem turpem incidunt.

2 σαφήνεια, Perſpicuitas: quæ in tribus conſiſtit. 1,in uerbis uſitatis. 2,in conſeruatione ordinis, temporum, conſiliorũ, cauſarum actionum'que & euentuum. 3, ut non interruptè narretur.

3 πιθανότης, Probabilitas. Oportet enim narrationem eſſe ueriſimilem et credibilem, continereq; argumentorum omnium ſemina, quæ in confirmatione ſunt explicanda. Quod ita maximè fiet, ſi curabimus, ut, quæ dicimus, cum circumſtantijs locorum, perſonarum, temporum, cauſarum, factorum, euentorum, cum teſtimonijs, opinionibus, moribus, legibus congruant.

4 γλυκύτης, Suauitas, cùm affectibus & geſtibus

conue-

cõuenientibus narratio quaſi quodam ſale perſpergitur, ut cum quadam admiratione & delectatione audiatur.

Deniq; efficiendum eſt, ut narratio æquabili filo contexatur, & membrorum omnium, ut articulorum in catena, ſit iuſta cohærentia.

IIII. Ordo & partes ex quibus contexitur narratio. Eſt autem in narrando ipſa natura rei, & geſtorum ordo ſequendus: id eſt, res omnis, ut geſta eſt, ordine eſt cõmemoranda. Cumq; in ordine principium, medium & finis inſit, in narratione etiam tres partes præcipuæ eſſe debent. 1, Occaſio, hoc eſt, quo conſilio, aut quibus cauſis res narranda cœperit. 2, Actus ipſe ſiue executio. 3, Effectus ſiue euentus: hoc eſt, quæ commoda uel incommoda ſecuta ſint. Expetit .n. animus non ſolùm rem ſeu factum ipſum audire: ſed qua occaſione etiam cœperit, & quid boni maliúe inde ſecutum ſit, cognoſcere.

V. Exempla ex quibus mediocris et tolerabilis forma narrandi peti poßit.

Terentius in prima ſcena actus primi Andriæ per polita narratione commemorat Soſiæ factum ſui filij Pamphili, quòd Glycerium amet, relicta Chremetis filia ſibi deſponſa. Hæc eſt narrationis ſumma, quæ in partes ita diffunditur: 1, Exponitur occaſio, qua & Glycerium amare Pamphilus cœperit, & quo pacto id pater deprehenderit. Nam primùm deſcribitur ingenium, ſtudia et mores Pamphili, tum ſodalitiũ apud Chryſidẽ, tum fama etiã & ſponſalia cum Chremetis

filia

ſilia. Deinde quæ in funere Chryſidis acciderint, commemorantur. 2, Actus ipſe narratur, quomodo ſcilicet Pamphilus Glycerium deperierit, quæ eſt narrationis quaſi cor. 3, Quæ poſt deprehenſum amorē Glycerij ſecuta ſint, nempe expoſtulatio Chremetis, filiam deſponſatā negantis ſe daturum. Sunt præterea aſperſa huic narrationi omnia illa quæ probabilem eam reddere ſolent, ut circumſtantiæ perſonarum, locorum, &c.

Tales narrationum formulæ petantur ex ſingulis Comœdijs Terentij, quæ in prima ſcena extant, & occaſionem fabulæ totius exponunt.

In prima epiſtola libro primo familiarium epiſtolarum, poſt exordiū narrat Cicero, quid in cauſa Lentuli actum ſit de Aegypti rege reducendo, quæ cuiuſq; ſit opinio, ſententia, ſtudium, autoritas, fides, &c.

Epiſtola 12. libri quarti Familiarium, quæ incipit: Etſi ſcio non iucundiſsimum, &c. narrationem cædis Marcelli continet. Exordium ductum eſt à ſcribendi occaſione ſiue cauſa προκαταρκτικῇ. *Narratio incipit: Ad decimum calendas Iunij, &c. in qua primò commemoratur occaſio cædis ex circumſtantijs temporis et loci perſonæ. 2, Cædes ipſa & mors. 3, Quæ ſecuta ſint, nempe fuga ſeruorum metu perterritorum, deportatio cadaueris in urbem, & ſepultura in gymnaſio Attico.*

Exempla in orationibus Ciceronis.

Pro lege Manilia, quæ ſic incipit, ſtatim prima pagina: Bel=

na: Bellum graue & periculoſum ueſtris uectigalibus atq; ſocijs, &c.

Pro Archia, quæ ſic incipit: Nam ut primùm ex pueris exceßit Archias.

Pro Publio Quinctio, quæ ſic incipit: C. Quinctius fuit P. Quinctij huius frater, &c.

Pro Roſcio: Sextus Roſcius pater huiuſce municeps Amerinus, &c.

Pro Milone: P. Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere in prætura uexare Rempub. &c.

In tertio Officiorum eſt narratio de Cannio emente hortos Syracuſanos.

In primo de Diuinatione, de duobus Arcadibus, iter unà facientibus.

Narratio hiſtoriæ belli Troiani apud Virg. 2. Aeneid. tota conſiſtit in his tribus membris. Primùm.n. recitantur conſilia Græcorum callida de fabricato equo, qui completis militibus in urbem tranſmitteretur: item dolus Simonis, & deliberatio Troianorum uaria de recipiendo equo. Secundò recenſetur actus ipſe. Equo enim iam intra mœnia ducto, intempeſta nocte, dormientibus ciuibus, armati Græci deſcendũt, & dato ſigno exercitum aduocant, portas aperiunt, & incendia uaria miſcent, & urbem tandem capiunt, uictis omnibus ciuibus. Tertiò narrantur illa quæ excidium ſecuta ſunt, nempe fuga Aeneæ cum patre Anchiſe, &c.

Narratio

Digitized by Google

Narratio hiſtoriæ de bigamo comite à Cleichē, cuius monumentum Erphordiæ in templo diui Petri extat.

Cum circiter annum Chriſti milleſimum ducenteſimum uigeſimum ſeptimū Fridericus primus, cognomento Barbaroſſa, expeditionem in Aſiam ſuſcepiſſet, aſſecutus eſt cum Turingiæ Landgrauius Ludouicus, cui diua Eliſabetha, Vngariæ regina, uxor erat, & in Sicilia copias ſuas comitibus, baronibus, nobilibus, & alijs lectiſsimis uiris præſtantes, cū illius exercitu coniunxit. Hinc digreſſus cum eo Brunduſium, morbo repentino correptus eſt: cumq́; aliquandiu ualetudinis cauſa illic commoraretur, abeunte Imperatore cū exercitu, ſecutus eſt comes Turingiæ à Gleichen, relicto Landgrauio, qui non multo pòſt in die natali Mariæ Brunduſij expirauit. Fuit autem in hoc comite Turingo animi quædam celſitas, & ardor pugnandi contra communis nominis Chriſtiani hoſtes, laude digniſſimus. Quocirca cum in recuperatione terræ ſanctæ quodam die longius è Cæſaris caſtris progreſſus eſſet, nimia ſcilicet pugnæ auiditate incenſus, hoſtium multitudine circumfuſus eſt, & à Sarracenico quodam barone captus. Inde crudeliter ab hoſtibus tractatus, uel in carcere detentus eſt, uel ad ſeruiles duroſq́; agri colendi labores detruſus. Euenit autem diuino quodā beneficio, ut in eum fauor cuiuſdam mulieris Sarracenicæ inclinarit, quæ & ſua liberalitate eum nonnihil iuuit, & triſte ſeruitutis iugum ſuo colloquio leniuit, mota haud dubiè inſigni uiri uirtute. Cumq́; nobilitatem

tem eius à parentibus acceptam cognouiſſet, maritum eum ſibi expetere cœpit. Quanquam uerò, ita ut erat, diceret comes, ſe domo exeuntem legitimam reliquiſſe coniugem: tantum tamen ualuit honeſti amoris uis in iſta muliere erga comitem, & recuperandæ libertatis cupiditas in comite, ut matrimonium cum ea paciſceretur, præſertim cum alia expediendæ ſalutis ratio nulla uideretur. Quis autem non miretur tantam in muliere animi magnitudinem, ut quamuis pericula multa & difficultates plurimas ſibi propoſitas ſciret, maluerit tamen comitem in terram prorſus ignotam ſequi itinere longinquo et moleſtijs pleno, quàm in patria tutò in parentum cognatorumq; complexu uiuere? Ingreßi igitur ſunt iter, Deo occaſionem præbente: & cum in Chriſtianorum terram ueniſſent, re omni, ut geſta erat, indicata, à Pontifice Romano ueniam bigamiæ comes eſt conſecutus. Inde in Turingiam patriam tandem ueniens, ſolus primùm ingreſſus eſt domum, & ab uxore agnitus & exceptus ardentißimè, cœpit narrare quomodo fortuna ſecum, dum abfuiſſet, egerit: & tandem etiam uxorem aliam Sarracenicam ſe adducere dixit, quæ uitæ ſuæ unica aſſertrix, & reditus in patriam cauſa extiterit: rogans modis omnibus, ut ſi ſe ſaluum & incolumem ex tanta, tamq; immani ſeruitute, qua in terra hoſtili oppreſſus fuiſſet, libenter ferat, etiam Sarracenicæ coniugis ſocietatem benignè admittat. Quod cum futurum promiſiſſet uxor facilis, & in gratiam mariti, quo multo tempore caruerat, quiduis facere parata, in domum introducta

Digitized by Google

troducta eſt mulier Sarracenica, & accepta honorificé. Neq; compertum eſt, quod mirum non immeritò uidetur, ullo unquam tempore diſſenſionem aut rixam acerbam inter has coniuges extitiſſe: ſed concordia ſuaui marito uni, in unis ædibus & lecto uno cohabitarunt. Cumq; forma antecelleret Sarracenica, admirabili bonitate Dei factum eſt, ut altera prolis fœcunditate præſtaret, quo id quod deeſſet formæ, dono liberorum penſaretur. Monumentum extat Erphordiæ in æde diui Petri, ubi comes bigamus cum utrinq; collocatis uxoribus in lapide magno exciſus eſt. Viſus eſt etiam à multis lectus horum trium coniugum apud comites de Gleichen, qui teſtes huius narrationis eſſe poſſunt.

VI. Cauſa cur exordium mox plerunq; ſequatur narratio: quia res, de qua agitur, neceſſariò exponenda eſt, quamuis non in omni ſcripto, ſiue oratione aut epiſtola neceſſaria eſt narratio, præſertim ubi res aut per ſe patet, & in promtu eſt omnibus, uel narrationem non deſiderat.

Exemplum ex Virgilio Aeneid. 1. in oratione Iunonis ad Aeolum.

Æole (nanque tibi diuûm pater atque hominũ rex — Exordium à perſona Aeoli.
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos.)
Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor, — Narratio.
Ilium in Italiam portans victosque penates.
Incute vim ventis, ſubmerſasque obrue puppes, — Propoſitio petitionis, vt nauigationem Troianorum.
Aut age diuerſas, & disijce corpora ponto.
Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore nymphæ,

F 2 Qua-

Digitized by Google

impediat. Ab vtili, quia pollicetur, præmia.

Quarum, quæ forma pulcerrima, Deiopeiam
Connubio iungam ſtabili, propriamque dicabo,
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

VII. In hiſtorica narratione tria (quas leges hiſtoriæ Cicero uocat) tenenda ſunt. Primùm, ne quid falſi dicamus. Secundò, ne quid ueri non audeamus: hoc eſt, ut liberè & conſtanter nullo impediti metu rem aut factum exponamus. Tertiò, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis: hoc eſt, ut ſine aſſentatione & obtrectatione omni, ueritatem incorruptè proferamus.

DE PROPOSITIONE.

I. Propoſitio, Græcè κατάστασις, omitti in nullo ſcripto atq; negocio poteſt, quia eſt caput rei: ac quandoq; expreſſis uerbis recitatur, quandoq; ex toto contextu ſiue corpore orationis eſt colligenda, cum uidelicet in totam orationem ſpargitur, & non niſi lecto integro ſcripto, aut oratione integrè audita, ex concluſione cognoſcitur.

II. Vocatur etiam concluſio & ſtatus, κεφάλαιον, caput, ὑπόθεσις ſiue ὑποκείμενον, ſubiectum. Sed diſcrimen tenendum eſt. Concluſio quidem eſt principalis propoſitio, quæ & ſtatus dicitur: ſed tamen concluſio tum rectè appellatur, cum poſt argumentationem propoſitio repetitur. Status uerò generaliter accepto uocabulo uocatur, quatenus is pro ſumma cauſæ propoſitione, ad quam omnia referuntur, uſurpatur, non pro controuerſia tantùm, quales in genere iudiciali præcipuè habentur. Cum

Digitized by Google

III. Cum ad propoſitionẽ omnia referri oporteat, tanq̃ ad caput rei, accuratè cauendum eſt, ne aliena à propoſito, ſed accommodata & congruentia ad rem omnia dicamus, ut oratio tota è re, quæ agitur, naſci & dimanare uideatur. Turpe eſt enim & moleſtum auditu, ſi aliud propoſitio, aliud oratio, uel ut in prouerbio eſt, aliud chorda, aliud pes ſonet: quod Græci ἀπροσδιόνυσον καὶ ἀπῳδὸν καὶ ἔξω τῶν προκειμένων, præter rem & extra cauſam dixerunt. Sicubi uerò egredi atq; expatiari extra cauſam, διὰ τὴν τοῦ λόγου ἐκβολὴν καὶ ἔκβασιν, ut Græci uocant, licebit, ut res poſtulabit: cauendum eſt, ne aliena à negocio admiſceantur, et tempeſtiuè eò, unde aberrauit oratio, redeundum.

IIII. Eſt etiam quædam propoſitio κατάστασις ἤτοι διαίρεσιν ſiue μερισμὸς, id eſt, partitio & diuiſio ſeu diſtributio nominata, per quam oſtendimus, quot et quibus de rebus ſimus dicturi. Interdum enim res in plura capita diſtribuitur, et propoſitio bimembris & trimembris conſtituitur.

Exempla.

Pro Roſcio: Tres ſunt res, quantum ego exiſtimare poſſum, quæ obſtant hoc tempore Sextio Roſcio: Crimen aduerſariorum, & audacia, & potentia, &c. De hiſce omnibus rebus me dicere oportere intelligo. Et pro Quinctio: Totam cauſæ meæ dictionem certas in partes diuidam, certos mihi fines terminosq; conſtituam, extra quos egredi nõ poßim, ſi maximè uelim: ut & mihi ſit propoſitum, de quo dicam: & Horten-

ſius habeat expoſita, ad quæ reſpondeat: et tu C. Aquili iam antè animo proſpicere poſsis, quibus de rebus auditurus ſis. Negamus te bona, &c.

Pro Sextio: Dicam ego de omni ſtatu P. Sextij, de genere uitæ, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de ſtudio conſeruandæ ſalutis communis atq; ocij, &c.

Pro lege Manilia: Primùm mihi uidetur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo eſſe dicendum.

V. Eſt tamen ſciendum, quamuis plura capita ad tractandum atq; explicandum proponuntur: unam tamen eſſe plerumque propoſitionem principalem, ad quam cæteræ tanquam ad caput referantur. Verbi cauſa, Epiſtola ad Romanos tres habet propoſitiones.

1. Eſt concio legis, affirmans omnes homines, gentes & Iudæos, eſſe reos iræ Dei, & damnationis æternæ, propter peccatum, cap. 1. 2. & bona parte tertij.

2. Eſt Euangelij concio, aſſeuerans iuſtificari hominem fide in Chriſtum, gratis, ſine operibus legis & dignitate propria.

3. In capite duodecimo, decimo tertio & ſequentibus eſt concio de bonis operibus, in uita priuata, ciuili & Eccleſia præſtandis.

Sed hæ propoſitiones omnes ad unam ſummam ſpectant, nempe ad doctrinam de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo: id quod infrà in genere didaſcalico apertius indicabitur.

VI. Pru-

Digitized by Google

VI. Prudentiæ oratoris eſt, ſummam rei, de qua acturus eſt, diſtributam in partes proponere, ut & ordine oratio procedat, & facilius res tota accipi, memoriæq; mandari poſſit.

In libris Tuſculanarum quæſtionum propoſitum eſt Ciceroni, res ad beatè uiuendum maximè neceſſarias aperire, eaq; eſt ſumma operis, quæ in partes aptè diſtribuitur, & ordine certo explicatur. Primus liber docet de morte contemnenda. Secundus, de dolore tolerando. Tertius, de leniendа ægritudine. Quartus, de reliquis animi perturbationibus. Quintus docet, ad beatè uiuendum uirtutem ſe ipſa eſſe contentam. Ex quibus omnibus id efficitur, quod probare maximè his libris Cicero uoluit, uirtutem eſſe ſummum bonum. Si enim neque mors eſt metuenda ſapienti, nec alia mala atque perturbationes in eum cadunt: ſequitur, ſapientiam ſeu uirtutem eſſe ſummum bonum.

Diſputatio de natura Deorum tribus diſtincta libris ordine per partes explicatur. Nam in primo libro ponuntur in medio philoſophorum de Dijs opiniones. In ſecundo Balbus ex Stoicorum ſententia exponit has partes: 1, Quòd ſint dij. 2, Quales ſint. 3, Quòd mundum adminiſtrent. 4, Quòd rebus humanis conſulant. In tertio Cotta Stoicorum ſententiam de Dijs impugnat, non quidem tollens, ſed abſurdam & difficilem eſſe oſtendens.

Diſputatio de finibus bonorum & malorum hoc ordine, hiſq; partibus abſoluitur: Primus liber expo-

nit Epicuri ſententiam de ſummo bono & malo: quorum illud in uoluptate, id in dolore collocauit. 2, Refellit Epicuri ſententiam, contendens finem bonorum minimè eſſe uoluptatem ſiue læticiam: neq; finem malorum, dolorem. 3, Stoicorum ſententiam recitat, qui honeſtum finem bonorum, turpe finem malorum fecerunt. 4, Refutat Stoicos. 5, Platonis & Ariſtotelis ſententiam habet, qui ſummum bonum in bonis animi & corporis ſitum eſſe putarunt.

Tres de officijs libri in tres quoq; partes diſtribuuntur. Prima eſt de honeſto, & comparatione duorum honeſtorum. Secunda de utili, & comparatione duorum utilium. Tertia de comparatione honeſti & utilis. Atq; in harum explicatione iterum diuiditur honeſtum in quatuor partes: prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem & temperantiam. De quibus copioſius infrà in genere didaſcalico.

In Catone Maiore ſenectutis defenſio inſtituitur, & ordine refutantur quatuor uitia ſeu uituperationes ſenectutis. 1, Quòd auocet à rebus gerendis. 2, Quòd corpus faciat infirmum. 3, Quòd priuet omnibus ferè uoluptatibus. 4, Quòd haud procul abſit à morte.

VII. Vbi propoſitionum cumulus eſt, prudenter eligendæ ſunt maximè neceſſariæ & præcipuæ.

Exemplum ex Euangelio Dominica 1. Aduentus, Matth. 21.

Hiſtoria ingreſſus Chriſti in urbem Hieroſolymã magna doctrinæ copia & uarietate referta eſt.

1. De

Digitized by Google

1. De cauſa, cur à monte olincto ingreſſus ſui initium fecerit: ubi poſtea uidelicet, cum morte luctans uictor erat euaſurus.

2. Cur aſina commodato ſumta, cum pullo ad ingreſſum ſuum uſus ſit: ut uidelicet ſuum regnum accuratis limitibus à politica poteſtate ſecerneret.

3. Teſtimonium omnipotentiæ diuinæ in Chriſto, uidente aſinam cum pullo in loco ab oculis longè remoto: & imperante eam ſibi adduci, tanquam uero domino creaturarum.

4. Prophetia Zachariæ de perſona et officio Chriſti, cuius emphaſes & uerba ſingula accuratè ſunt perpendenda.

5. Exemplum obedientiæ diſcipulorum erga Dominum ſuum Chriſtum.

6. Deſcriptio ipſius ingreſſus cum ſingulari pompa, quæ certum & manifeſtum eſt teſtimonium exhibiti Meſsiæ.

7. Cultus Chriſto in hoc ingreſſu à populo ſiue Eccleſia præſtiti, ſunt triplices. 1, Nonnulli è turba ueſtes illi ſubſternunt, ſe ſuaq; omnia illi reuerenter ſubijcientes. 2, Alij frondes ſpargunt de olea & palma, quibus & pacem & uictoriam æternam per hunc Meſsiam partam declarant. 3, Turba libera confeſsione lætoq; pectore acclamat, gratulans illi, & Eccleſiæ toti fauſta & felicia cuncta precans.

Verùm ex tanta uarietate copiaq; propoſitionum cum delectu excerpendæ ſunt illæ tantùm, quæ perſonis, locis, & tempori maximè congruunt.

CONFIRMATIO, ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ.

I. *Vt caput orationis eſt propoſitio, ita cor illius uocari poteſt confirmatio. Quemadmodum igitur caput firmamentis indiget à uitali cordis calore acceptis: ſic propoſitio de qua agitur, robur ex confirmatione accipit, ut & autoritatem & fidem obtineat. Hæc enim facit, ut propoſitio uel ſtet: uel concidat.*

II. *Confirmationem uerò per argumenta* ἐπιχειρήματα *Rhetoribus uocata, fieri neceſſe eſt: quorum alia* ἀποδείξεις *ſeu* πίστεις *uocantur, hoc eſt, probationes præcipuæ, quæ ſua certitudine & euidentia auditorem conuincere poßint: alia* παθητικά, *hoc eſt, argumenta popularia, & ad perſuadendum accommodata quocunq; modo aut ſpecie ueri.*

III. *Porrò ſedes ſiue domicilium argumentorum ſunt loci,* τόποι: *quorum alij uocantur* ἔντεχνοι, *alij* ἄτεχνοι.

Ἔντεχνοι *artificiales ſunt, qui hærent in re ipſa de qua agitur: cuiuſmodi ſunt, coniugata,* σύζυγα: *notatio,* ἐτυμολογία, *uel uerbi notatio: definitio,* ὅρος: *genus,* γένος: *forma ſiue ſpecies,* εἶδος: *differentia,* διαφορά: *totum,* τὸ ὅλον: *partes,* τὰ μέρη: *contrarium,* τὸ ἀντικείμενον: *coniuncta,* τὰ ἐπὶ τὸ πολύ, *quæ ſimul cum re propoſita exiſtunt ſeu neceſſariò ſunt plerumq;: antecedentia,* τὰ ἡγούμενα: *conſequentia,* ἑπόμενα: *repugnãtia,* τὰ μὴ συνδεχόμενα ἢ ὑπάρχοντα: *cauſæ,* αἴτια ποιητικά: *effecta,* αἰτιατὰ καὶ ποιητά: *ſigna,* σημεῖα: *comparatio,* ἡ σύγκρισις, *maiorum, minorum, parium: connexa.*

ἄτεχνοι

Ἄτεχνοι ſiue externi, inartificiales, ab externa aliqua re ſumuntur, ad faciendam fidem: ut teſtes, tabulæ, & quæſtiones ἔλεγχοι, confeſſiones, autoritas ἀξίωμα, iudicatum, reſponſa, pronunciatum κρίσις, conſuetudo, exemplum, ſententia ἔννοια. Ariſtoteles ſecundo Rhetoricorum ad Theodecten: Cicero primo Partitionum.

Ad hos ceu ad fontes digitum, quod aiunt, intendere oportet, indeq́; eruere argumenta, quoties uel noſtra confirmare, uel confutare contraria uolumus: ſuntq́; hi communes loci.

IIII. Sunt prætcrea loci quidam peculiares cuiq; generi cauſæ, nonnulli uerò communes. Qui ſint proprij cuiuſq; generis, ſuo quoq; indicabitur loco: communes uerò omnibus generibus, hoc eſt, qui uſurpari poßint in didaſcalico, deliberatiuo, demonſtratiuo & iudiciali genere, hos recenſet Ariſtoteles in Rhetorica ad Alexandrum: Iuſtum, legitimum, honeſtum, utile, iucundum, facile, poßibile, neceſſarium. qui quamuis ſpargi in omni negocio explicando uideantur, tamen in alio atq; alio genere magis decent, ut deinceps patebit.

V. In omni confirmatione plerumq́; unum præcipuum dominatur argumentum, quod & probationis fontem, & cauſam ipſam continet. Oportet enim ad tuendum id quod ſtatuimus, adhibere medium quoddam, quo coniungantur extrema, quod αἴτιον etiam, hoc eſt cauſam, & σύνεχον, id eſt continens, communi nomine Rhetores appellant, quòd ſine hoc

cauſa

cauſa nõ ſtaret, Minor *ē uelut hypotheſis,quæ cauſam, de qua agitur, continet. Concluſio uerò eſt propoſitio ipſa,hoc eſt,conſilij noſtri & intentionis ſumma.* Iam *ex his minor plerunq;, quandoq; tamen etiam maior, controuerſiam habet.* Inde κϱινόμϵνον *iudicatio ſeu diſceptatio appellatur. Quo fit,ut rationibus ſiue argumentis ad confirmandum & illuſtrandum ſit opus. Quamuis interim illa etiam, quæ minus controuerſa eſt, orationis luminibus & amplificationibus exornanda & locupletanda eſt.* Meminerint *igitur ſtudioſi,in quoq; ſcripto ſiue negocio,aut etiam concione artificioſa unum eſſe principalem ſyllogiſmum, in quo confirmando & explicando tota uerſetur oratio, & præſertim in ea propoſitione, quæ aſtruenda eſt & docenda. Cuius rei exemplum primum eſto* Epi*ſtola* 1. Dominica Aduentus, Rom. 13. *Cum ſciamus tempus,&c.* Adhortatio *eſt ad uigilantiam, & ſedulum* Dei *cultum, ſumto argumento à tempore.* Principalis *ſyllogiſmus eſt* : Bona *occaſione decet benè uti.* Iam *habetis occaſionem optimam audiendi diſcendiq;* Euangelij,*& ueris cultibus* Deum *celebrandi.* Igitur *bene ea uti debetis.* Ex *his minor & concluſio, quæ eſt epiſtolæ propoſitio, declaratione indigent.* Idcirco *tota epiſtola in his duabus partibus conſumitur.* Primùm *in explicatione opportunitatis rei gerendæ.* Deinde *in expoſitione eorum cultuum, quibus* D[e]us *patefacta* Euangelij *luce uult celebrari.*

De explicatione circumſtantiæ temporis.

De

Demonſtratur autem hæc rei gerendæ opportunitas his illuſtribus notis ſiue obiectis.

1. *Quia ſalus propius adeſt nobis, quàm cum credebamus.*

2. *Quia nox progreſſa eſt, et dies appropinquauit.*

3. *Quia Chriſtus præſtò eſt & indui poteſt.*

Hæc omnia uerbis, figuris & luminibus Rhetoricis *ſplendidè exornantur.* Primum *obiectum* σύγκρισιν *habet, ſiue collationem præſentis temporis cum ſuperiori.* Eſt *enim nunc propior ſalus, inquit, quàm cum credebamus.* Quæ *collatio temporum hunc habet ſenſum, qui ſyllogiſmo exprimi poteſt:* Omnia *præſentia ſunt illuſtriora & notiora futuris.* Nunc *ſalus nobis eſt præſens, quæ antea promiſſa patribus tanquam futurum bonum expectabatur & credebatur.* Igitur *multo notior, iucundior & gratior eſſe debet.* Iam *uerò ſalus* σωτηρία τὴν ἀφαίρεσιν τῶν κακῶν καὶ θέσιν τῶν εὐεργετημάτων *cōtinet, id eſt, deletionem malorum & remiſsionem peccati & mortis: tum donationem etiam bonorum, id eſt, reſtitutionem iuſtitiæ & uitæ æternæ.* Hæc *propiora nunc ſunt, poſteaquam* Euangelium *clarè* Chriſtum *exhibitū annunciat, & per eum iuſtitiam & uitam omnibus credentibus offert, quàm patrum tempore: illi namq; id crediderunt futurum, quod nos credimus factum.* Secundum *obiectum cum ſuo oppoſito, ſcilicet nocte, confertur.* Gratior *enim lucis uſura his ſolet eſſe, qui diu nocte circumfuſi fuerunt: ita cū iam dies illuxerit, id eſt, uera notitia* Dei *per uocem* Euangelij *in credentium pectoribus accenſa ſit,*

ſa ſit, pulſa nocte, id eſt, ſublata Dei ueri ignorantia, alacri & grato animo hanc opportunitatem amplecti conuenit. Tertium obiectum eſt ipſe Chriſtus, qui in extremis diebus hiſce carnem & ſanguinem noſtrum circumferens, familiariter nobiſcum uerſatus eſt, & uoce Euangelij, & miraculis multis editis Eccleſiam ſibi colligit & confirmauit. Hæc quoq; collatione facta fiunt illuſtriora: Olim locutus eſt Deus per Prophetas, patefecitq; ſeſe uiſionibus & ſomnijs. At nunc miſſo filio coràm ſeſe totum reuelauit.

Ex his ſequūtur exhortationis cōcluſiones, de operibus faciendis & non faciendis in tanta rei gerendæ opportunitate. Ergo:

1. Expergiſcimini à ſomno: id eſt, relicta caligine & ignoratione ueri Dei, in qua fuiſtis, amplectimini ueram lucem Euangelij, cuius uoce aures ueſtræ perſonant.

2. Abijcite opera tenebrarum: id eſt, deponite peccata quæ tum admiſiſtis, cum Deum ignoraretis, & cæco furore ingrata ipſi faceretis.

3. Induite arma lucis: id eſt, munite & complete pectora ueſtra ijs uirtutibus, quæ prælucente fide in Chriſtum Deo placent, & diabolum omnesq; tentationes uincunt.

4. Ambulate in die compoſitè id eſt, ita uiuite, ut ad normam diuini uerbi omnia dicta & facta ueſtra congruant, nihilq; occultè, nihil inſidioſè, nihil ſimulatè, nihil fallaciter agatis.

Comeſſa-

Digitized by Google

5. Comeſſationes, ebrietates uitate: id eſt, ne onerate corpus affluenti ſacietate, quæ aciem mentis præſtringit, & omnes eius actiones bonas confundit & impedit. Item fugite cubila & laſciuias: id eſt, concubitus, libidines & commixtiones à Deo prohibitas: Tum contentio & æmulatio procul à nobis abſint.

6. Induite Chriſtum Ieſum: quod eſt, credite in Chriſtum, qui ſua iuſtitia tanquam ueſtimento omnes ueſtras ſordes tegit: & uirtutes eius imitamini. De hoc ueſtimento iuſtitiæ Eſaias concionatur cap. 61.

7. Vltimò ne agite carnis curam ad concupiſcentias: id eſt, curate quidem corpus ut incolume ſeruetur, ſed cauete ne quid nimis.

Neq; uerò multum intereſt, utrum priore, an poſteriore loco maior recitetur. Exempla utriuſq; collationis ſunt in autoribus. Cicero pro lege Manilia hortaturus eſt Romanos, ut Mithridaticum bellũ Pompeio commendent. Quo igitur principali ſyllogiſmo huius cauſæ tractatio ſiue explicatio comprehenditur? Primùm ponit maiorem: Bellum difficile & magnum eſt gerendum per magnum Imperatorem. Minor: Vnus Pompeius eſt talis. Igitur ille unus eſt Imperator deligendus. Ex his minor potiſsimùm eſt controuerſa; quòd ſcilicet unus Pompeius ſit maximè idoneus ad tale bellum gerendum. Ideoq; probatio ſeu contentio maximè in hoc incumbit, ut planum fiat, Pompeium antecellere his rebus omnibus, quas in ſummo Imperatore ineſſe oportet, ſcientia rei militaris, uirtute, aucto-

auctoritate, felicitate. Maior uerò ſua quoq; habet lumina, ut appareat, reuera bellum iſtud tantum eſſe, ut & celeriter ſit ſuſcipiendum, & non niſi peritiſſimo demandandum.

In prima oratione in Catilinam propoſitum fuit Ciceroni iubere Catilinam ex urbe egredi. Cui ſyllogiſmo hanc cauſam includit: Maiorem hoc modo ponit: Seditioſi ſunt interficiendi aut expellendi. idq; probat exemplis maiorum. Hanc theſin accommodat ad Catilinam, tanquam ad ſpeciem, hoc pacto: Catilina eſt ſeditioſus. Igitur concludit ſic: Egredere urbe Catilina: ſiquidem melius eſt te exire iubere, quàm occidere. Minor quia κϱινόμενον eſt, copioſè exponitur commemoratione ſcelerum & nefariorũ Catilinæ conatuum contra ſenatum & Rempublicam. In concluſione declaratur, quò cõcedere debeat Catilina, et cur. Vel: Vult Cicero hac oratione hortari Catilinam, ut urbe exeat. Sic igitur orationem inſtituit. Propoſitio eſt: Exi urbe. Hæc propoſitio confirmanda eſt, ut cauſa appareat cur exire debeat. eſtq; hæc cauſa. Quia ſeditioſus es, machinaris exitium conſulibus, ſenatui & toti patriæ. Hæc per totam orationem aguntur, niſi quòd initiò ferè recitantur exempla interfectorum ob ſeditionem, & redditur ratio, cur Cicero malit expelli Catilinam, quàm occidi, ut quidam in ſenatu ſuaſerant.

Demoſthenes Olynthiaca 2. hortaturus eſt Athenienſes, ut decretum Olynthijs auxilium intrepido animo ferant. Sed quo pacto hoc conſilium ſuum orator

exequitur?

exequitur? Tractandum ſibi ſumit locum facultatis, ne ſibi impoßibile id eſſe Athenienſes exiſtiment. Extenuat igitur Philippi opes,ut appareat cũ facilè poſſe uinci. idq; fit hoc modo: Opes ſcelere & fraude partæ non ſunt firmæ. Philippi potentia eſt ſcelere & periurio parta. Igitur non eſt firma. Minor explicatur per totam ferè orationem, cõmemoratis Philippi nefarijs facinoribus,& diuerſis ſubditorum eius ſtudijs. Quæ præter hæc ſunt in oratione iſta, uel ad maiorem pertinent: uel propoſitionem ipſam, quæ loco concluſionis in ſyllogiſm ponitur,illuſtrant taxando uel ignauiam Athenienſium,uel alia uitia.

Lycurgi oratio contra Leocratẽ diſſerit, Leocratem eſſe capitali ſupplicio afficiendũ. Quare? Fundamẽtum ſeu fons cauſæ atq; probationis eſt: Quia deſeruit patriã, cũ eius ope indigeret. Hinc fit talis ſyllogiſmus, aptata maiori ad minorem: Deſertor patriæ eſt puniendus. Leocrates eſt deſertor patriæ. Igitur eſt puniendus. Maior etſi dubia ferè non eſt, ſed iuris manifeſti,exornatur tamen ſplendida concione de officijs patriæ debitis,& exemplis compluribus. Minor uerò quæ controuerſiam ipſam continet, pluribus & maioribus firmamentis indiget. Ideoq; narratione tota res,quomodo ſe habeat,exponitur,ſubinde repetita propoſitione ſiue concluſione,ut puniatur Leocrates,&c.

Addamus etiam noſtrum aliquod exemplum.

Gratulaturus alicui nouum annũ,cauſam aliquã ſuæ

gratulationis habeat neceſſe eſt. ea erit duplex: προηγουμένη καὶ προκαταρκτική. προηγουμένη eſt interior aliqua cauſa: ut amicitia, aut beneuolẽtia. προκαταρκτικὴ eſt occaſio, ſeu tempus, quo nouus annus incipit. Hinc ſyllogiſmo ſcriptionẽ totam cõplectetur hoc modo: Amicorũ eſt, mutuò inter ſe uel lætari, ſi res ſunt ſecundæ: uel dolore affici, ſi aduerſi aliquid accidat. Iam feliciter ingredimur nouum annum. Igitur lætari tam tuo quàm meo nomine debeo.

Aliud de natali die.

Etſi ſemper Deo pro immenſis ipſius erga nos beneficijs, quibus nos quotidie cumulat, ardenti pectore gratiæ ſint agendæ: tamen in primis id faciendum eſſe puto eo ipſo die, quo meminimus nos inſigni aliquo beneficio affectos, aut magno aliquo malo liberatos eſſe. Vix autem aliud nobis contingere poteſt bonum maius, aut admirabilius, quàm cũ in lucem hanc editi atq; ſuſcepti ſumus. Quare memoria eius diei gratiſſima nobis eſſe debet, quò grato pectore piaq; lætitia hoc inæſtimandum Dei beneficiũ prædicemus. In hoc ſyllogiſmo minor præcipuè eſt amplificanda & illuſtranda cõmemoratione maximorũ beneficiorum, quibus die natali à Deo affecti & cumulati ſumus. 1, Ex clauſtris materni uteri, tanquam ex triſti & tenebricoſo carcere in hanc uitæ lucem atq; huius cœli ſpiritum producti ſumus admirabili Dei clementia atq; bonitate. 2, Mater ex acerbiſſimis partus doloribus eluctata, magna ſolicitudine, metu, et periculo liberata eſt, & parens uterq; incredibilem læticiam ex noua

ſobole

Digitized by Google

ſobole accepit. 3, Non ſolùm temporalis huius uitæ initium iſte dies attulit, ſed ſacramento baptiſmi initiatos Chriſto nos inſeruit, ex filijs iræ & inferni filios Dei chariſsimos, ſociosq; & cohæredes æternæ uitæ, lucis et iuſticiæ reddidit. Concluſio: Quamobrem quoties annis labentibus recurrit iſte natiuitatis noſtræ dies, recordari tantũ beneficium debemus, Deoq́; gratias agere, quòd et tunc in ſummo partus periculo, tanquam ſedula & fidelis obſtetrix nobis adſuit, in lucem eduxit, et inde uſq; ad hoc tempus benignè cuſtodit, pauit, & ſuſtentauit: & orare etiam, ut reliquũ uitæ noſtræ tempus clementer regat, calamitates mitiget, & felicem tandẽ ex hac mortali uita egreſſum in uitã æternam, plenã lucis, iuſtitiæ et læticiæ concedat.

Ad eundem modum actiones ſuas proponunt, & libellos formant Iuriſtæ, hiſce tribus partibus eos abſoluentes, quæ ſubſtantialia libelli uocantur. Prima pars eſt narratio facti de quo agitur, eſtq; minor in ſyllogiſmo, & Cauſa appellatur. Secunda pars regulã aliquam iuris continet, eſtq; maior ſyllogiſmi, qui medium concludendi habet: hoc eſt, cauſam recitat, cur aliquid poſtuletur. Tertia eſt concluſio, quæ ex præmiſsis aliquid infert, aut petit, & qua iudex permotus ſuum officium interponit.

Vltimò in iudiciali genere hoc ordine collocare argumenta decet, ut primo et poſtremo loco firmiora, in medio aũt imbecilliora ponantur: quemadmodũ in acie inſtruenda fieri ſolet, ut apud Homerũ Iliad. δ. Neſtor aciẽ inſtruens, primùm diſponit equites σὺμ ὕπποι-

σιν καὶ ὄχεσφιν, cum equis & curribus: à tergo autem pedites conſtituit πολέας τε καὶ ἐσθλοὺς, frequentes & fortes, ἕρκος ἔμεν πολέμοιο, ut uallum ſint belli: debiles autem in medio includit, ὄφρα καὶ οὐκ ἐθέλων τις ἀναγκαίῃ πολεμίζῃ, ut & non uolens aliquis, neceſsitate pugnet. Et Cyrus apud Xenophontem παιδείας ʒ ait: Neceſſe eſt, & primos et ultimos eſſe fortiſsimos, in medio uerò ignauiſsimos eſſe poſitos. Is enim ordo & ad pugnandum, & ad fugam intercludendam uidetur eſſe aptior.

CONFVTATIO SEV REPREhenſio: ἀνασκευὴ, λύσις.

Ad fidem faciendam opus eſt etiam reprehenſione, qua contraria redarguimus: uocanturq́; argumenta huius generis ἐπιχειρήματα ἀνασκευασικὰ καὶ λυτικὰ, quòd quæ aduerſarius obijcit, uel alioqui incõmodare cauſæ noſtræ uidentur, per illa diſſoluimus. Cæterùm modus diſſoluendi uitioſa argumenta traditur in Dialectica. Hîc tantùm obſeruent ſtudioſi regulam illam ab Ariſtotele & Iure canonico citatam: Omnis res, per quaſcunq; cauſas ſiue principia naſcitur, aut conflata eſt, per eaſdem diſſoluitur. Sciant etiam hîc ualere Euripidis dictum: οἱ λόγοι καταπαλαίουσι λόγους, Ratio rationem euertit. Item: Ratio contra rationem, Res cum re, Cauſa cum cauſa, Ratio cum ratione pugnat: Cicero pro Celio.

EPILOGVS.

I. Alia eſt concluſio ſpecialis ſingularum partium, alia

alia generalis, totius uidelicet orationis et propoſitionis repetitio.

II. Sūt autē duæ epilogi partes, ἀνακεφαλαίωσις καὶ αὔξησις. Ανακεφαλαίωσις eſt ἐπιλογισμὸς, i. e. collectio breuiter repetēs præcipua capita diſputationis. Αὔξησις καὶ δείνωσις, id eſt, āplificatio, quæ eſt grauior quædā affirmatio, quæ motu animorū conciliat in dicendo fidem. Hæc cōſiſtit in indignatione et conqueſtione ſiue commiſeratione. Indignatio prodeſt ad odium concitandū in rem uel perſonam, Conqueſtio uerò ad miſericordiam auditorum captandam.

III. Vt in exordio leuiores affectus ἤθη, ſic in epilogo uehementiores πάθη decent.

IIII. Exempla ſunt in Cicerone pro Quinctio: Nunc cauſa perorata res ipſa, & periculi magnitudo C. Aquili cogere uidetur, ut te, atq; eos qui tibi in conſilio ſunt, obſecret obteſteturq; P. Q. per ſenectutem atq; ſolitudinem ſuam, &c.

V. Conſtat etiam peroratio adhortatione & pollicitatione ſtudij, uoto, & ſimilibus, quæ affectus exprimunt & augent.

Pro lege Manilia: Quæ cum ita ſint C. Manili, primùm iſtam tuam & legem & uoluntatem & ſententiam laudo, &c.

Prima in Catilinam: Quare P. C. ſecedant improbi, ſecernant ſe à bonis, &c.

Demoſthenes primam Olynthiacam hoc epilogo claudit: 1, per diſtributionem commonet uniuerſos

& ſingulos,ut ſuum loco quiſq; officium ſtrenuè faciat. 2,addit uotum,ut bene,quæ agunt,eueniant.

GENVS ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΚΟΝ.

HÆc hactenus de orationis partibus eò prædicenda putaui,ut præparatio ad doctrinã ſequentem de cauſarũ generibus eſſent.Etſi enim inuentio diſpoſitionem præcedere debeat:tamen quia ad omnia cauſarum genera partiũ orationis cognitio eſt neceſſaria, priori loco recitare eas libuit, quò paratiores ad percipienda cauſarum genera ſtudioſi redderentur.

Iam diſtribuantur materiæ de quibus dici, ſcribi aut doceri poßit, et quæ quotq́; cauſarum genera conſtituenda ſint,liquidò apparebit. Enimuerò quicquid oratione exponitur, id aut doctrinã aliquam cõtinet, & ad genus Didaſcalicon pertinet : aut controuerſiã aliquam tractat, & ad genus Iudiciale refertur : aut petitionem, adhortationem, uel conſolationem complectitur,& ad Deliberatiuum genus ſpectat: aut etiam laudem uel uituperium aliquod comprehendit, & in Demonſtratiuo genere locum inueniet. Omnia .n. ſcripta orationesúe aut ſunt διδασκαλικαὶ, aut δικανικαὶ aut παραινετικαὶ, aut ἀποδεικτικαὶ. Ita ergo quatuor fiunt cauſarum genera: quæ ideo hoc nomine appellantur, ꝙ ſuo ambitu cõplectuntur omnia argumẽta ſiue negocia cauſasq;,de quibus agi poteſt.

I. Genus igitur διδασκαλικὸν,id eſt,doctrinale, id eſt quod materias de quibus docendi ſunt homines, continet,easq́; uia & ordine perſpicuo & plano explicat.

II. Etſi

II. *Etſi autem reliqua genera quoq; doceant, per definitionem, cauſas, effectus, contraria: tamen modus docendi in hoc genere alius eſt, & à iudiciali genere in hoc differt, quòd in illo controuerſia tractatur, in hoc uerò ſimpliciter thema aliquod explicatur.*

III. *Porrò quicquid docetur, aut eſt thema ſimplex, aut coniunctum ſiue compoſitum. Quæſtio ſiue thema ſimplex* ἁπλῶν *eſt, quod uno uocabulo effertur: ut, an ſit* Deus, *uel quid ſit* Deus? σύνθετον *ſiue compoſitum,* θέσις εἰς ἀριθμόν, *eſt propoſitio ſubiecto & prædicato conſtans: ut, an anima ſit immortalis, an mundus ſit æternus?*

IIII. *Loci ſeu formæ quæſtionum quatuor numerantur ab* Ariſtotele *2 de* Demonſtrationibus: εἰ ἔστι, ὅτι ἔστι, τί ἔστι, διότι ἔστι: An *ſit,* Quòd *ſit, id eſt, quòd uerè aliquid ſubiecto attribui poßit,* Quid *ſit, et* Quamobrem *ſit.*

Cicero 3. de Oratore *hos recenſet:* An *ſit, quid ſit, quale ſit, quæ cauſæ, qui effectus.* His *tamen addi poſſunt adiuncta, cognata, pugnantia.*

Per hos locos quæſtio omnis ſiue thema eſt deducendũ, de quo docere uel nos ipſos, uel alios uolumus.

DE SIMPLICIS THEMATIS explicatione.

AN SIT?

HÆc *quæſtio tum demum adhibetur, ubi rei docendæ natura ſiue exiſtentia à noſtro cõſpectu remota eſt.* In *cæteris ridicula eſt: ut ſi quis uellet naturã uel animum demonſtrare, rem faceret perridiculam,*

quòd id ſit præcognitum, & per ſe ſatis notum, utpote ex operibus conſpicuum.

Exempla.

An ſit Deus?
An ſit prouidentia?
An ſint manes?
An ſit peccatum?
An ſit infernus?
An ſit extremum iudicium?
An ſit purgatorium, id eſt, ſedes animarum è corpore excedentium, ubi à conceptis per uitam fraudibus expientur?

Ad has quæſtiones ſiue affirmatiuè ſiue negatiuè reſpondeas, confirmatio mox addenda eſt, quæ ſumitur uel à ſignis, uel effectibus, uel experientia, uel teſtimonijs, & locis cæteris, ut in exemplis patebit.

I. Exemplum.

Deum uerè eſſe, ex effectibus ſiue operibus eius animaduertitur.

I. *Effectus præſupponit cauſam propriam: Mundus totus cum omnibus quæ in eo ſunt, eſt Dei effectus: quia impoßibile eſt, ſua ſponte, aut caſu exiſtere tantã tamq; artificioſam machinam poſſe, aut ſeruari. Igitur cauſam mundi, nempe Deum architectum, eſſe neceſſe eſt.*

II. *Ex natura correlatiuorum: Nullum imperium adminiſtrari poteſt ſine principe, aut imperatore. In mundo eſt pulcherrimum imperium optimis legibus*

&

& firmamentis conſtitutum atq; munitum. Igitur moderatorem eius Deum eſſe neceſſe eſt.

III. Similiter ab effectis uel ordine: Omne ordinatum imperium neceſſe eſt à cauſa efficiente & gubernante pendêre. Mundus cum omnibus ſuis partibus eſt ordinatus, hoc eſt, directus ad certam formam, & ad certum finem. Igitur mundus à Deo regitur.

IIII. A teſtimonijs. Moyſes θεȣ̃ ἀοϱιςὴς affirmat, Deum condidiſſe hanc mundi machinam, eamq; deinceps etiam conſeruare, cum patribus locutū eſſe, promiſiſſe filium ſuum, puniuiſſe primos parentes propter lapſum, pauiſſe & defendiſſe pios. Igitur ſine omni dubitatione credendum eſt eſſe Deum. Affirmat etiam Paulus, inuiſibilia Dei, id eſt, æternam eius potentiam & diuinitatem, conſpici atq; cognoſci ab opificio mundi, quod eſt proprium illius opus, ordine & arte admirabili diſtinctum.

V. Sunt præterea ſigna quamplurima, quæ Deum eſſe probant: ut, mentis noſtræ ſagacitas, intellectus, præſenſio futurorum, terror conſcientiæ ex admiſſo ſcelere, terræ fœcunditas, perennitas fontium, & inprimis defenſio & conſeruatio Eccleſiæ in tantis omnium imperiorum ruinis, furore diaboli, & tyrannorum ſæuitia: item conſolatio, quam mens pia ſentit mirificè in calamitatum concurſu, & fluctibus tentationum: precum exauditio. Deniq; tota natura & uita eſt plena teſtimoniorum de Deo, ſicut in uerſu dicitur:

Et leuis eſt ceſpes, qui probet eſſe Deum.

Verſus Arati quem Paulus citat.

—— Iouis omnia plena
Compita, pleni hominũ cœtus, Ioue põtus abundat
Et portus, omnes ipſius egemus vbique.
Huius enim ſumus exemplũ & genus, ipſeq́; lenis
Commoda ſignificat nobis & commoda præſtat.

VI. *Omnes pij omnibus temporibus* Deum *confeßi ſunt, coluerunt, & uera filij eius* Ieſu Chriſti *fiducia è uita exceſſerunt.*

VII. *Omnium uerò firmißimum teſtimonium de* Deo, *eſt mißio & incarnatio, mors, reſurrectio, & uiſibilis in cœlum aſcenſio filij* Dei, *qui familiariter cõuerſatus eſt cum hominibus, docuit, ſanauit, cõſolatus eſt, & miracula edidit: item patefactio* Trinitatis *in* Baptiſmo.

Hæc quæſtio prolixè tractatur à Cicerone, *primo de natura* Deorum, *& parte aliqua ſecundi & tertij.*

QVID SIT.

Neceſſaria eſt in omni doctrina definitio, quæ explanet, quid illud ſit, de quo diſputatur, ne uagari et errare cogatur oratio, ſi ij qui inter ſe diſſenſerint, nõ idem eſſe illud, de quo agitur, intelligent. Eſt *autẽ alia definitio nominis,* ὁ ὅρος ὀνοματώδης, *quæ &* Etymologia *& uocabuli explicatio uocatur. hæc quid uocabulum ſignificet, explicat, aut* φράσιν *uel figuram explanat, uel* διαίρεσιν ὀνόματος εἰς τὰ σημαινόμενα, *id eſt, diuiſionem orationis in ſua ſignificata continet.* De *hac* Ariſtoteles : Δεῖ πρῶτον τὸ τῆς φωνῆς σημαινόμενον ἐξετάζειν εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν.

διάσκειν. alia eſſentialis, ὁ οὐσιώδης ὅρος, quæ quid ipſa res ſit exponit. Vt: Diſputaturo de prouidentia, primum omniũ explananda eſt ipſius uocabuli uirtus, tum rei etiam definitio talis conſtituenda, ut intelligi poßit, quid ſit illud de quo agitur.

I. ὅρος ὀνοματώδης.

προνοεῖν procurare eſt, uel conſulere alijs.

II. ὅρος οὐσιώδης.

πρόνοια prouidentia eſt gubernatio Dei, qua Deus ſingulis creaturis adeſt, & unà agit, quatenus pro ſua bonitate & ſapientia unà agendum eſſe iudicat.

III. Diuiſio, τοῦ πράγματος διαίρεσις.

Diuiditur porrò prouidentia ſecundum opera in generalem & ſpecialem. Ac generalis quidem opera ordinaria complectitur: ceu ſunt, ordo motuum corporum cœleſtium, ratæ uices dierũ ac noctium, ueris, æſtatis, & terræ fœcunditas, fluminum & fontium perennitas, conſeruatio ſpecierum perpetua, ſuſtentatio omnium animalium, et admirabilis erga genus humanum cura, incolumitas politicarum legum, iuſticiæ executio, defenſio piorum, & improborum triſtis interitus. Quæ omnia teſtantur, Deum uerè affici cura rerum humanarum, & paterna στοργῇ fouere, cuſtodire, & conſeruare à ſe condita, eo ordine & modo, quẽ ipſe in natura inſtituit.

Prouidentia ſpecialis ea opera continet, quæ cõtra communem naturæ ordinẽ fiunt, uocanturq; miracula, et extraordinaria opera: ceu ſunt conſeruatio Noë in uaſtis diluuij fluctibus, fœcundatio Saræ effœtæ

& ſteri-

Digitized by Google

& ſterilis, protectio Moſis *infantis expoſiti & in aquis fluctuantis in fiſcella, conſeruatio* Danielis *ſedentis inter leones, liberatio trium confeſſorū ex flammis, in quas à rege coniecti erant, reſuſcitatio mortuorum, & alia.*

IIII. αἴτια, Cauſæ.

Cauſa προηγουμένη *eſt* αὐτοαγαθότης, καὶ φιλανθρωπία καὶ χρηστότης τοῦ θεοῦ δημιουργοῦ, *ipſiſſima & natiua bonitas, amor & clementia* Dei *opificis erga nos homines, quorum gratia omnia iſta, quæ habet hæc mundi machina, liberaliter fundit & ſuſtentat.*

προκαταρκτικὸν αἴτιον *incitatrix cauſa, eſt noſtra indigentia. Sine hac enim hæc uita ciuilis coli non poteſt, neq;* Eccleſia *ſeruari.*

συνεργά, *cauſæ adiuuantes uel inſtrumenta.* Etſi Deus *ſolus ſua omnipotentia omnes res gubernat & ſuſtentat: tamen utitur ad hoc opus miniſterio ſuarū creaturarum, quas ita formauit & diſtinxit, ut aliæ nobiliores ſint & ſuperiores, aliæ inferiores. Sic utitur angelorum miniſterio, tanquam uicaria opera, ad res obeundas, quas uult: item lumine, motu, & influentia corporum cœleſtium temperat hæc inferiora, per parentum generationem propagat ſpecies, per magiſtratum regit ſubditos, per doctores erudit, conſolatur, &c.*

V. Effectus, αἰτιατὰ καὶ ποιητά.

Prouidentiæ diuinæ opera τεχνήματα *in illuſtri loco ſunt poſita, & obuia omnibus, quæ partim de uniuerſali*

uniuerſali Dei *cura erga res conditas, partim de ſpeciali & miranda* Eccleſiæ *gubernatione & defenſione abundè teſtantur.*

Adiuncta, τὰ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ μὴ ἀεὶ ἑπόμενα. *Etſi non ſemper in hac uita iuſti floreant, ſed dominentur & ſuperbiant improbi: tamen regulare eſt, æquali* Dei *iudicio defendi & ornari bonos, contráque puniri tandem malos.*

VI. Cognata, συγγενῆ.

Cognata *ſunt* πρόγνωσις, πρόνοια καὶ πρόθεσις, *quæ tamen ſic diſcerni oportet.*

πρόγνωσις *præſcientia eſt actio mentis diuinæ, omnia tanquam præſentia cernentis.*

πρόνοια *prouidentia gubernatio eſt & ſuſtentatio rerum cum bonitate & ſapientia* Dei *congruens.*

πρόθεσις *decretum eſt diuinæ uoluntatis æternum & immotum.*

H*æc diſtinctio eò prodeſt, ut accuratè diſcernantur euentus neceſſarij à non neceſſarijs.* Etſi .n. προθέσει, *hoc eſt, decreto* Dei, *neceſsitate conſequentiæ reſpondent euentus (ut mortuos reſurgere neceſſe eſt, quòd* Deus *ſic & non aliter decreuit:) contrà tamen præuiſio ſeu præſcientia* Dei *non adfert rebus agendi neceſsitatem: ut Saulis lapſus* Deum *non latuit quidē, ſed labi eum neq; neceſſe fuit, neq;* Deus *uoluit.* Iohan. 6. *ſcribitur:* Nouerat *ab initio ipſos qui eſſent non credentes, et quis proditurus eſſet ipſum. Sed nequaquam hæc* Dei *præſcientia neceſsitatē attulit euentui.* In Actis *cap.2. reperitur* πρόγνωσις θεοῦ, *id eſt,* præſci-

Digitized by Google

præſcientia Dei. Itē 1. Pet. 1. πρόγνωσις pro præfini-
tione Dei uſurpatur. Epheſ. 1. πρόθεσις propoſitum
extat. quibus ſimilia ſunt ὡρισμένη βουλὴ θεοῦ, de-
finitum conſilium Dei, Act. 2. βουλὴ τοῦ θεοῦ, conſi-
lium Dei, Act. 5. εὐδοκία τοῦ θεοῦ θελήματος, be-
neplacitum Dei uoluntatis: καὶ βουλὴ τοῦ θελήμα-
τος θεοῦ, conſilium uoluntatis Dei, Epheſ. 1. Item
ὁρίζειν καὶ προορίζειν, decernere & præfinire, Rom. 8.
Eph. 1. Item ἐκλέγεσθαι, eligere, Eph. 1. quibus om-
nibus ſignificatur, mirando & inenarrabili Dei conſi-
lio & bonitate ita decretum eſſe, ut Chriſtus uictima
pro peccatis noſtris fieret, & per eum remiſſionem
peccatorum conſequerentur omnes credentes.

VII. Contraria & pugnantia, μαχόμενα καὶ ἀντικείμενα.

1 ἀπάθεια, id eſt, curæ & ſolicitudinis uacuitas, quam Epicurus furenter Deo adſignat.

2 Fatalis Stoicorum neceſsitas, quæ Deum cauſis ſecundis ita alligat, ut agere aliter aut mouere non poſſit, quàm cient cauſæ ſecundæ.

3 ἡ φαινομένη ἀναρχία, id eſt, confuſio in aliquibus rebus apparens, quæ cum ordinata gubernatione rerum ex diametro pugnare uidetur.

Obiectio:

Vbi eſt ἀναρχία, ibi non eſt prouidentia.
In mundo eſt ἀναρχία.
Igitur non regitur mundus diuina prouidentia.

Minor probatur prolixè in fine 3. lib. de Natura Deorum: Si eſſet mundi Domino in homines moderatio,

tio,utiq; diſcrimen eſſet bonorũ et malorum,ita ut recte factis præmia,et ſupplicia peccatis extarent. Sed plena eſt uita exemplorũ quæ apertè reclamãt. Socrates, quo nullus fuit iuſtior,nefariè interficitur. Dionyſius tyrannus,qui fanum Proſerpinæ Locris expilauit,cùm ſecundiſſimo uento Syracuſas nauigaſſet: Videtisne amici,inquit,quàm bona à Dijs immortalibus nauigatio ſacrilegis detur? aliasq; quamplurimas hic ſceleratiſſimus homo fraudes inexpiabiles concepit: nec tamen pœnas dedit,ſed in ſuo lectulo mortuus eſt, eamq; poteſtatem quã ipſe per ſcelus erat nactus,quaſi iuſtam & legitimam hæreditatis loco filio tradidit. Colliguntur huiuſmodi alia multa in eo loco,tandemq; ita quaſi cõcluditur: Improborũ igitur proſperitates, ſecundæq; res redarguunt uim omnem Deorũ ac poteſtatem. Quinetiã nihil intereſt ad proſperã aduerſamúe fortunam,qualis ſis,aut quemadmodum uixeris.

4. ἀνομία, inæqualitas ſiue iniquitas.

Nulla Reſpub. rectè conſtituta fert eiuſmodi legem ut condemnetur filius aut nepos, ſi pater aut auus deliquerit.

Sed in mundo id accidit,ut etiamſi quis morte pœnas ſceleris effugerit, expectentur hæ à liberis, à nepotibus,à poſteris.

Igitur nulla eſt mundi legitima adminiſtratio.

Ad prius argumentum breuis eſt reſponſio, præſertim de minore. Accuratis limitibus diſcernendæ ſunt per ſe cauſæ à cauſis per accidens. Natura ſic eſt à Deo cõdita,ut ordine pulcherrimo omnia gerantur.

Quic-

Digitized by Google

Quicquid igitur ab hoc ordine recedit, id non Deo *architecto bono, ſed peccato eſt imputandum, quod horribilem confuſionem induxit.*

Secundò. Exempla *pauca eorum qui pœnas ſcelerum ſuorum in hac uita effugiunt, non labefactant regulam æternæ & immotæ* Dei *iuſtitiæ.*

Tertiò: *Qui ſcelerum ſuorum pœnas in hac uita non luunt, hi multò grauiores in futuro ſeculo experientur, ut iuſticiæ* Dei *ſatisfiat.*

Ad ſecundum argumentum reſpondeo, & quidem ad minorem: Pœnæ *parentum non ſunt transferendæ ad poſteros, ſi innocentes ſint uel inſontes.* Sed *in iudicio* Dei *nemo eſt peccati expers.* Igitur *nemo iniuſtè punitur à* Deo. *Quid igitur faciendum poſteris, quorum parentes peccarunt?* Reſpondeo: *Vera pœnitentia ad* Deum *conuertantur, & remiſsionem peccatorum qualiumcunq; per* Chriſtum *impetrabunt.*

His aſſenſio de prouidentia Dei *certiſsimè confirmatur in animis noſtris, & eripitur nocentiſsima illa opinio, quæ negat* Deo *curæ eſſe res humanas, omniáque bona & mala cæca fortunæ manu inter homines ſpargi.*

DE MANIBVS.
AN SINT?

Primum ne qua ſit in uocabulo ambiguitas, quid manes ſint, explicandum eſt. Manes alij uocant Deos *inferos, ut* Stilo: *alij genios, quorum duos unicuiquè protinus ab exordio uitæ attribuunt: bonum ſiue amicum, qui commodorum: et malum, qui incommodorum autor*

autor ſit. Bonum quidem genium rationem interpretantur, quæ ad meliora ſemper hortetur: malum uerò libidinem, quæ ad peiora. His manibus Plato 2. de Legibus inquit natura hoc ineſſe, ut præcipua teneantur cura illorum qui ab eis geniti ſunt, adeò ut honorantibus eos propitij, contemnentibus infenſi ſint. Talem adfuiſſe Socrati, ex Platone cognoſcimus. Iidem etiam lares, præſtites, & angeli ſeu dæmones à quibuſdam nominantur. Quòd ſi animæ mortuorum domi tranquillæ ſint & quietæ, lares familiares dicuntur: cum uerò turbulentæ & terribiles, laruæ ſiue lemures. Alij, ut Virgilius in 6. Aeneid. manes appellant ſupplicia: Quiſq; ſuos patimur manes, id eſt, ſupplicia. Etymologiam horum uocabulorum inueſtigare ſuperuacaneum eſt.

¶ In quæſtione igitur, An ſint manes? hoc ſpectatur, an animæ corporibus elapſæ uiuis apparere poſſint uarijs ſpeciebus, & uel terrere homines, uel monere, uel nunciare aliquid.

Ad quod reſpondetur primùm in partem affirmantem, idq; ſic probatur:

I. Ex parte definitionis, hoc eſt, proprietate quadam naturarum & vim rei conſignante.

Spiritus non extinguitur, ſed ſemper uel benè uel malè agit.

Manes ſunt ſpiritus hominis, à quo, ſiquidem paruerit in uita ſua, poſt ſeparationem à corpore ducitur ad ſedem beatam: ſin repugnauerit, ad pœnas.

Digitized by Google

Igitur manes non extinguuntur, ſed uel bene uel malè poſt mortem corporis agunt.

II. Ἐκ τῶν αἰτιατῶν καὶ ποιητῶν, id eſt, ex effectis.

Omnis effectus oſtendit cauſam eſſe uel fuiſſe.
Manium effectus eſt manifeſtus & conſpicuus.
Igitur manes eſſe certum eſt.

Minoris probatio.

Sabellicus lib. 10. recenſet plurima exempla ſpectrorum & laruarum, ex quibus unicum hoc referam de Athenodoro philoſopho, qui Athenis domum emit deſertam ob ſpectrorum incurſum atq; terriculamenta. Is cum nocte quadam horrendum catenarum ſtrepitum audiret, ſpectrumq́; ad ſe forma fœda et immani uenire ſentiret, nihil expauit, ſed iuſſus ab eo ſequi, abijt intrepidè in atrium domus. Quò cum ueniſſet, ſpectrum euanuit. Poſtridię ad eundem locum ueniens terram effodit, & inuenit oſſa catenis implicita, eaq́; legitimè ſepeliuit, & deinceps tumultus ſpectri conquieuit, ſecutaq́; eſt perpetua domus iſtius ſecuritus.

Theodori Gazæ colonus effodiens urnam, in qua oſſa cadaueris erant repoſita, ſpectro admonitus eſt, ut terræ iterum mandaret eruta oſſa, additis minis, ni parêret, futurum, ut filius ipſius moreretur. Hanc uerò uocem parum curans colonus, non multo pòſt filium ſuum noctu occiſum inuenit. Nec id ſolum, ſed iterum apparet ſpectrum, minitans ſe alterum quoq; illius filium interfecturum eſſe, niſi oſſa in loco priſtino ſepe-

no ſepeliat. ex quo cœpit protinus ægrotare alter filius. Quare territus colonus, rem, ut geſta erat, ad Gazam refert: qui motus triſti prioris filij morte, prædium ipſe cum colono accedit, & urnam in loco, ubi effoſſa erat, recondit, ſtatimq́; ægrotus coloni filius conualuit.

III. Ab autoritate.

Magna autoritate philoſophis, in quorum dogmata conſentiens ſeculorum omnium conſpirauit opinio, eſt credendum.

Plato & Cicero ſummi philoſophi ſenſerunt, animas mortuorum circa terram uolutari, multisq́; ſeculis exagitari, & noxias eſſe uiuentibus, atq; turbulentas.

Igitur credendum eſt eſſe manes.

Propertius:

Sunt aliquid manes, letum non omnia finit.

IIII. Ex communi conſuetudine & more loquendi.

Nec temerè confictæ aut friuolæ iudicandæ ſunt uoces, quas magno conſenſu omnes docti ueteres & recentes uſurpant.

Parentare manibus alicuius, eſt recepta, & à nemine repudiata loquendi formula.

Igitur non eſt fictitia exiſtimanda.

Ad eundem fermè modum Plato 2 de Legibus *dit, tum præter alias cauſas, tum ob manes etiam mortuorum parentum, curam et tutelam orphanorum eſſe ſuſcipiendam.*

Digitized by Google

V.

Quæ ſapientiſsimorum hominum legibus ſanciuntur, non debent contemni tanquam res nihili.

Sapientes tradunt leges de manibus. ut Cicero *in* 2 *de* Legibus: Deorum *manium iura ſancta ſunto.*

Igitur manes non ſunt nihil.

VI. A ſacræ ſcripturæ teſtimonio.

Liber 1. *Samuelis cap.*28. *item Siracides cap.* 26. *affirmant, Samuelem mortuum prophetaſſe, & Sauli denunciaſſe finem uitæ ſuæ. Vnde perſpicuum eſt, animas mortuorum apparere uiuis. Ac Siracidæ teſtimonio adſtipulatur interpretatio* Auguſtini, *qui inquit:* Non *Samuelis euocati ſimilitudo, aut ſpiritus aliquis malus in illius ſimilitudine Saulo apparuit, ſed re ipſa ipſe Samuel.* Huc *facit etiam hiſtoria apparitionis* Eliæ & Moyſi, Matth. 17.

IN PARTEM NEGANTEM
argumenta.

I. Ex cauſa efficiente.

Extra & contra uerbum Dei *nihil eſt credendum.*
Commentum de manibus eſt extra & contra uerbum
Igitur non eſt credendum, (Dei.

Minoris probatio.

Nullum extat teſtimonium ſacrarum literarum, quod affirmet animas mortuorum hominum apparere uiuentibus, aut monere illos, uel nunciare aliquid arcani ſeu futuri. Quòd autem Samuel mortuus dicitur apparuiſſe Sauli, ſpectrum Diaboli *fuit, non anima Samuelis.*

II. A

II. A teſtimonio ſcripturæ.

Lucæ 16. inquit Filius Dei *ad epulonem, inferni cruciatibus conflictantem:* Habent Moſen *&* Prophetas, *hos audiant, &c. hinc ita argumentor.*

Quæ Chriſtus aſſeuerat, credenda ſunt.

Chriſtus aſſeuerat, mortuos non redire ad uiuos, nec loqui cum eis.

Igitur manes non ſunt.

Ex quo rectè dixit Chriſoſtomus in Matthæum homilia 29. Non *anima defuncti eſt, quæ dicit,* Anima *talis ego ſum: ſed dæmon, qui hæc, ut homines decipiat, ſic confingit.*

III. Ab exemplis.

Quæ exemplis pluribus & conſentientibus comprobata ſunt, uera exiſtimari debent.

Sed exempla omnia ſcripturæ conteſtantur, Deum *ſemper in ſuorum officiorum executióne uſum eſſe angelorum & uiuorum hominum miniſterio, nunq̃ uerò mortuorum.*

Igitur mortuos homines nihil agere apud uiuos, certò ſtatuendum eſt.

IIII. A proprietate quadam animarum.

Piorum animæ corporibus ſolutæ quieſcunt in ſinu Abrahæ, *uſq; ad reſurrectionem.* Impiorum *uerò animæ inferni cruciatus ſuſtinent.* Igitur *non uolutantur circa terram, nec uagantur aut diſcurſant tanquam ſpectra et terriculamenta, nec mittuntur ad ulla opera in terris obeunda.* Valet *conſequentia.* Quia

enim

Digitized by Google

enim animæ ſunt ſpiritus, qui definitè in loco eſſe dicuntur, ita ut cum uno in loco ſint, non ſimul poßint eſſe alibi: ſequitur, animas corporum nexu ſolutas non poſſe alibi, quàm uel in ſinu Abrahæ, qui etiam Paradiſus nominatur, & manus Dei: uel ἐν τῷ ᾅδῃ. *id eſt in tartaro. Nam inter hæc medium nullum Scriptura admittit.*

Refutatio argumenti ex teſtimonio 1. lib. Samuelis, Siracidæ & Auguſtini, de ſuſcitato Samuele per Pythoniſſam, item de Elia & Moyſe.

I. *Textus in Samuele, quem etiam ſequitur Siracides, hiſtoriam ſimpliciter recitat, id eſt, rem ut geſta eſt, narrat, non iudicans aut pronuncians de re, utrum uerè fuerit ipſe Samuel, an uerò ſpiritus malus, ementita ſpecie Samuelis apparens. Cæterum iudicium eſt faciendum ex uerbo Dei, quod Deut. 18. apertè prohibet conſulere mortuos. Ex quo ſatis ſequitur utrumq;, & peccaſſe Saulum, dum conſuluit mortuum Samuelem: & Samuelem etiam ipſum contra uerbum Dei nequaquam, ſi potuiſſet, reſpondere Saulo uoluiſſe. Addit textus, Deũ amplius reſpondere Saulo noluiſſe. Igitur manifeſtum eſt, non Deum, ſed Diabolum fuiſſe qui Saulo reſponderit.*

Deniq; is qui aſcendit, pallio fuit amictus: quod de Samuele intelligi non poteſt, quippe qui pallio indutus in ſepulchro non fuit.

Reclamat inſuper tempus ipſum. Nam corpus Samuelis iam ante biennium humatum erat, & iam computruerat.

II. Au-

Digitized by Google

II. *Auguſtini teſtimonium apertum eſt ad Simplicianum lib. 2. quæſtione 3. quod affirmat, non ſpiritum Samuelis excitatum fuiſſe è requie, ſed phantaſma & imaginariam illuſionem diaboli machinationibus factam. Nominatur uerò idcirco Samuel, quia uſitatum eſt, imagines appellare nominibus earum rerum, quarum imagines ſunt.*

III. Hiſtoria Eliæ & Moÿſi Matth. 17. *colloquentium cum Chriſto in monte* Thabor, *eſt ſingularis, nec huc trahenda. Sic quæ de apparitionibus ſpirituum in nouo* Teſtamento *dicuntur, nequaquam de defunctorum manibus intelligenda ſunt.*

DE GRATIA.

I.

χάρις πολλαχῶς λέγεται. *Ideo ſignificata eius primum omnium ſunt recenſenda, ne ambiguitatis errore decipiamur.*

I. χάρις *idem eſt* quod χάρισμα καὶ δωρεὰ, *donum.* Rom. 12 Dico *ſecundum gratiam, quæ data eſt uobis,* id *eſt, ſecundum dona, &c.* Et ποικίλη χάρις, *uaria gratia, id eſt, uaria dona* Dei. 1. Pet. 4.

II. χάρις *eſt laus & gratiarum actio per metalepſin, effectus nimirum pro cauſa. ut* χάρις θεῷ, *apud* Paulum.

III. *Beneficium & beneficentia,* 2. Corinth. 8.

IIII. *Sermonis ſuauitas,* ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι, *ut det gratiam audientibus.* Ephe. 4.

V. *Fauor hominum.* Act. 2. ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαὸν, *habentes gratiam apud totũ populum.*

VI. *Gratia ſignificat beneuolentiam, qua* Deus *propter filium nos complectitur, iuſtos* pronunciat, *et ſuo* Spiritu *ſancto donat.* Epheſ.2. *Gratia eſtis ſeruati.* Act.15. *Credimus, nos per gratiam* Domini *noſtri* Ieſu Chriſti *ſaluos futuros. ſignificatq́; paßiuè.* Inde χαρίζεσθαι, *donare.* Coloſſ.2. χαρισάμενος ἡμῖν πάντα τὰ παραπτώματα, *condonans nobis omnia delicta.* Et, λόγος τῆς χάριτος, *Sermo gratiæ, id eſt,* Euangelium *annuncians gratiam hanc.* Act.13.

Synonyma χάριτος *ſunt.*

I. ἔλεος, *miſericordia.* 1.Timoth.1.

II. ἀγάπη τοῦ θεοῦ, *Charitas ſiue dilectio* Dei, *qua nos immundos propter filium complectitur & proſequitur.* Rom.5. *Charitas* Dei *effuſa eſt, &c.* Paulus Rom. 5. *coniungit gratiam* Dei *& donum per gratiam,* τὴν χάριν τοῦ θεοῦ καὶ δωρεὰν ἐν χάριτι. *ubi Gratiam quidem uocat fauorem* Dei, *quo nos acceptat ad uitam :* Donum *uerò per gratiam, Spiritum ſanctum, quem effundit* Deus *in corda noſtra, ut nouam lucem & obedientiam inchoet.*

II. Definitio.

Gratia eſt acceptatio, qua Deus *propter filium gratis recipit peccatores fide ad* Chriſtum *confugientes, peccata illis dimittit, &* Spiritum *ſanctum donat, qui nouam obedientiam inchoet.*

III. Diuiſio.

Gratiã patres, præſertim Auguſtinus, *ſic diuidũt.*

I. *In gratiam creationis : ſed nullæ ſcripturæ teſtimonio.*

In

II. In primam & ſecundam. Primam appellant uocationem, cum Deus efficit in nobis ut uelimus. Secundam uocant perfectionem, cum Deus efficit ut perficiamus: ut Phil. 2. ſcribitur.

Sed utilius multò eſt, hoc loco recenſere bona quæ per gratiam Deus nobis confert, quorum duo ſunt præcipua. 1. ἄφεσις ἁμαρτιῶν, peccatorum remißio & deletio, liberatio à morte & poteſtate diaboli & inferni. 2, Imputatio iuſticiæ, donatio Spiritus ſancti, hæreditas uitæ cœleſtis, & ſalutis læticiæq; æternæ.

IIII. Cauſæ.

I. προηγουμένη eſt χρηστότης, φιλανθρωπία καὶ σπλάγχνα τοῦ ἐλέους τοῦ θεοῦ, bonitas, humanitas & uiſcera miſericordiæ Dei erga nos perditos & damnatos propter peccatum.

II. προκαταρκτικὴ eſt horribilis deprauatio, miſeria, calamitas, mors & pœna æterna, quibus obnoxij ſumus propter peccatum, in quod diabolus & noſtra uoluntas nos impulerunt.

III. Impulſiua eſt meritum & ſatisfactio filij Dei μεσίτου καὶ ἱκέτου. Propter hunc enim ſolum & unicum DEVS nos acceptat, & hæredes uitæ æternæ facit.

IIII. Inſtrumentalis cauſa ſeu medium, per quod gratia Dei nobis peccatoribus applicatur, eſt fides in gratia ſiue miſericordia Dei propter Chriſtum promiſſa, tanquam in portu ſalutis, acquieſcens. Gratia Dei ſaluati eſtis per fidem, &c. Epheſ. 2.

Digitized by Google

V. Effectus.

I. Liberatio à peccato, morte, inferno, diabolo.

II. Dulcis reconciliatio & reductio ſiue agglutinatio ad caput noſtrum Ieſum Chriſtum, unde triſti lapſu auulſi eramus. Epheſ. 1. ἀνακεφαλαιώσασθαι, ut ſummatim inſtauraret.

III. Noua obedientia, quam duce Spiritu ſancto & prælucente fide in Chriſtum in hac uita incoari neceſſe eſt.

IIII. Adoptio ſeu ius filiorum Dei perpetuæ iuſticiæ, ſalutis, uitæ & læticiæ.

VI. Contraria.

Contraria immediata ſunt, Gratia, donum, opus, meritum. Nam gratia prorſus excludit meritum, neq; poteſt meritum atq; debitum ullum eſſe gratuitum. Et ei qui operatur, merces redditur ſecundum debitum, & non imputatur ſecundum gratiam. Rom. 4. Donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.

ALIVD EXEMPLVM.

Libri tres Ciceronis de Officijs in genere didaſcalico & methodo definitiui conſcripti ſunt.

I. Poſt præfationem, in qua filium hortatur, ut doctrinam literarum Græcarum cum Latinis literis coniungat, & libros de Officijs commendat, tum quos potiſsimùm ſequatur oſtendit, definitionem medij officij ponit, quòd ſit factum, cuius ratio probabilis poſsit reddi.

II. Partes quinq;, ex quibus officij ratio ſumitur, recitat: quarum prima eſt, Honeſtum. Secunda, Comparatio

paratio duorum honeſtorum. Tertia, Vtile. Quarta, Comparatio duorum utilium. Quinta, Comparatio honeſti & utilis.

III. Honeſti initia & cauſam ex natura eruit, illudq́; partitur in prudentiam, iuſticiam, fortitudinem, temperantiam.

IIII. De his partibus ordine explicat, in prudentia explanans, quæ fugere, quæq́; ſectari deceat, tum quibus in rebus conſiſtat. Iuſticiæ primùm partes duas conſtituit: alteram iuſticiam in genere uocat, alteram beneficentiam ſiue liberalitatem. Ac iuſticiā in genere diuidit in ciuilem ac bellicam. De ciuili ordine diſſerit: 1, quid ſit. 2, quàm latè pateat. 3, quæ eius ſint officia. 4, quæ affinia. 5, de fide fundamento iuſticiæ. 6, de contrarijs, uidelicet iniuſticia & iniuria. 7, de fide diſputat, ubi ſeruanda ſit aut non ſeruanda. 8, diſputationem de uerbis & ſententia addit. Ac ſic deinceps de cæteris partibus methodicè tractat, donec in fine primi libri honeſta inter ſe comparans, doctrinam de honeſti partibus, & eiuſdem collatione concludit.

In ſecūdo libro enumerat utilia, diuidens primùm uitæ commoda, tum proponens ea omnia quibus impelluntur homines, ut alicui multa tribuant, ſeſeq́; illi ſubijciant: cuiuſmodi ſunt, beneuolentia, beneficiorum magnitudo, dignitas, fides, ſpes commodorum, metus, liberalitas, præmia. de quibus ordine tractatur, & tandem in fine duo utilia inter ſe comparantur.

In tertio libro utile cum honeſto comparans, primùm

mùm cur aliena appetenda non ſint, demonſtrat. 2, Honeſtatem ſemper utilitati eſſe anteponendam, cum utriuſq; comparatio incidit, monet. 3, Quatenus priuata commoda curare deceat, oſtendit. 4, Occaſiones & exempla exercendæ honeſtatis & utilitatis recitat: ut in amicitia & alijs, quæ commodi ſpecie imponere homini poßint. 5, Quid in contractibus agendum ſit, docet. 6, Formulas caſuum, ſiue exempla doctrinæ de honeſtatis & utilitatis pugna adiungit. 7, Quando in fortitudine & temperantia utilitas cum honeſtate pugnet, explanat. Poſtremò peroratio accedit, quæ ad legendum hos libros inuitat.

DIALOGVS CICERONIS DE AMICITIA hac quoq; methodo compoſitus eſt.

Præfatio narrationem habet, quæ continet dialogi occaſionem, propoſitionem, & inſcriptionis cauſam: item Lælij commendationem, Catonis laudem & conſolationem in morte Scipionis, ubi de immortalitate animæ diſputatio obiter inſeritur. Deinde ordine explicantur hi loci.

I. *Diuiſio, quæ oſtendit, de qua amicitia diſputetur, eamq; ab alijs ſocietatibus diſcernit.*

II. *Definitio.*

III. *Cauſa efficiens, ſcilicet uirtus, quæ amicitiam gignit & continet.*

IIII. *Congeries commodorum amicitiæ.*

V. *Neceßitas illuſtrata antitheſi.*

VI. *Poſt hæc alio orationis filo inueſtigatur cau-*

Digitized by Google

ſa & ortus amicitiæ ex natura, quæ ſenſum deligendi inſcuit.

VII. Cauſa formalis, quæ modum amandi exponit, quatenus ſcilicet progredi & coli amicitia debeat.

VIII Confutatio quarundam argutiarum è Græcorum libris de amicitia. 1, de cura, & ſolicitudine pro amicis. 2, de utilitate ex amicis capienda.

IX. Refutatio falſorum finium amicitiæ & ſententiæ Biantis.

X. Verus finis ſeu formæ amicitiæ, communitas bonorum & aduerſorum.

XI. Coniuncta amicitiæ, fides, quæ firmamentum eſt ſtabilitatis & conſtantiæ, ſinceritas, non eſſe ſuſpicioſum, ſuauitas.

XII. Solutio quæſtionis de permutatione amici ueteris.

XIII. Aliud adiunctum amicitiæ, paritas, ita tamen ut ſuperior colatur, & inferior augeatur pro modo uirium.

XIIII. Amicitia nõ niſi perfecta ætate iudicanda.

XV. Aliud adiunctum, tempeſtiua beneuolentia. Item, rerum honeſtarum petitio.

XVI. Quando & quo pacto deficiendũ ab amicis.

XVII. Alia adiacentia amicitiæ, uerecundia, honeſtas, gloria, tranquillitas animi, iucunditas:

XVIII. Præſtantia amicitiæ & amplitudo.

XIX. Reprehenſio ſolitariæ uitæ, uel τῆς μισανθρωπίας.

XX. De ueritate et obſeqo in amicitia.

XXI. Contraria, adulatio, blanditiæ, aſſentatio.

Epilogus

Epilogus habet ἀνακεφαλαίωσιν, *1, cauſæ efficientis: 2, definitionis. 3, perſonarum in quibus amicitia eſt. 4, dignitatis & ſtabilitatis. 5, commodorum: ut ſunt, conſenſus, conſilium, requies, &c. Poſtrema clauſula hortatio eſt de dignitate amicitiæ.*

Ad hunc modum tractanda ſunt alia etiam themata ſimplicia generis didaſcalici, ut: Eccleſia, Sacrificium, Peccatum, Magiſtratus, Coniugium, Caſtitas, etc.

EPISTOLA AD ROMANOS HAC METHODO EXPLICAT DOCTRINAM DE IUSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO.

I. *Poſt exordium cap. 1. 2. & bona parte 3. præmittit concionem pœnitentiæ, qua patefacit aditum ad doctrinam iuſtificationis, oſtendens prolixa oratione, omnes eſſe peccatores, gentes & Iudæos, nec ulla ope humana iudicium Dei effugere poſſe.*

II. *Quid ſit iuſtificatio, definit: idq; in fine capitis tertij, & per quartum totum. Vbi argumentis pluribus euincitur, iuſtificationem eſſe remiſsionem peccatorum gratuitam, & reconciliationem cum Deo, factam propter Chriſtum, quam conſequimur fide in Chriſtum, ſine omni merito proprio.*

III. *Nominat expreſsè cauſam inſtrumentalem, quæ eſt fides, amplectens promiſsionem gratiæ, & in Mediatore Chriſto acquieſcens.*

IIII. *Exponit iuſtificationis effectum in cap 5. qui eſt cordis tranquillitas, aditus ad Deum per Chriſtũ, gloriatio in afflictionibus, patientia, ſpes, &c.*

V. *Cauſam efficientem iuſtificationis explicat, uidelicet*

Digitized by Google

licet obedientiam & meritum Chriſti: & ut explicatio illuſtrior ſit & uberior, collationem peccati & legis cum gratia inſerit, eorum cauſas & effectus euidenter demonſtrans. idq; in cap. 5. 6. 7 & 8.

VI. In fine capitis octaui de adiuncto iuſtificatorum, nempe cruce ſeu afflictione tractat, eiq; conſolationem efficacem opponit.

VII. In cap. 9. 10. 11. cauſam efficientem principalem iuſtificationis enarrat, quæ eſt miſericordia Dei, & prædeſtinatio, hoc eſt, decretum æternum de recipiendis ad uitam æternam omnibus credentibus in Chriſtum, ſiue ſint Iudæi ſiue Ethnici.

VIII. De effectibus ſeu fructibus iuſtificatorum agit, & quæ opera facere debeant, per diſtinctionem exponit. Primò enim de priuatis moribus tractat in 12. cap. Secundò, in 13. cap. de ciuili obedientia erga magiſtratum. Tertiò, in 14. de uſu libertatis Chriſtianæ. Tum 15. de tractandis infirmis.

Vltimum habet ſalutationes & admonitionem de uitandis diſsidijs & doctrinæ corruptelis.

DE THEMATE CONIUNCTO.

CONiunctum thema eſt propoſitio conſtans ſubiecto & prædicato: ut, mors eſt omnium rerum extremum. uel quæſtio de propoſitione aliqua, in qua de ſubiecto aliquid uel affirmandum eſt, uel negandum: ut, An mors ſit fugienda? Vt autem in themate ſimplici duo potiſsimùm loci dominantur, An ſit, & Quid ſit: ita in coniuncto reliqui duo principem locum

cum tenent, Quòd ſit, & Quamobrem ſit. Quòd ſit, aſſeueratio eſt, ſignificans rem eſſe talem: ut, Mundum eſſe conflagraturũ, Deum eſſe iudicaturum orbẽ. Cur ſit, de cauſis quærit, quare aliquid tale ſit: ut, Quamobrem Deus iudicaturus ſit homines? Cur luna deficiat, hoc eſt, quæ cauſa ſit eius defectus? Sunt igitur afferendæ cauſæ ſeu rationes, quæ, cur aliquid tale ſit, aut non ſit, probent. Vel, ut Ariſtoteles ait, primùm, ſitne cauſa, inueſtigandum eſt: & poſtquam eſſe aliquam cognouimus, quænam illa ſit, quærendum eſt. In omni ergo themate coniuncto hæc ſequentia capita obſeruando notentur.

I. *Videndum eſt, utrum rectè prædicatum ſubiecto attribuatur, nec ne: indeq́; reſpondendum, uel affimatiuè, uel negatiuè.*

II. *Afferenda ſunt argumenta ex certis locis, quæ cauſam contineant, cur quid negetur uel aſſeueretur.*

III. *Modus tractandi talis ſit, ut primùm examinetur accuratè uox utraq;, hoc eſt, ſubiectum & prædicatum, idq́; per definitionem & omnes eius partes, cauſas, adiuncta & pugnantia. Tum deinde ex utriuſq; ſimplicis uocabuli definitione, diuiſione, cauſis, effectis, adiunctis, atq; contrarijs eruantur argumenta, quæ ad probandum uel refellendum conducant. Adhibendi ſunt etiam loci externi, ut teſtimonia, autoritates, exempla, ſimilia.*

EXEMPLVM.

Fuítne ſtella quæ præluxit Magis venientib. ex oriente ad Chriſtum, naturalis, hoc eſt, vna ex fixis vel erraticis?

Re-

Reſpondeo: Non. Quare?

Hîc examino ambas ſtellas, eam quæ Magis apparuit, & illas quæ in firmamento collocatæ naturali curſu feruntur: & colligo inde media, uel terminos medios, ut Dialectici uocant, quorum beneficio ſtellam Magis prælucentem à reliquis ſtellis ſeparare poſſim.

Ex parte naturalis ſtellæ ſunt:

I. Ex definitione, Corpus perpetuum eſſe.

II. Ex partibus, Fixam uel erraticam eſſe.

III. A loco, Longè à terris diſtare, nec propter diſtantiam lumen magnū in terra uerſantibus præbere.

IIII. Ab adiuncto, Interdiu ſolis lumine tegi.

V. A proprio, Certum & regularem curſum ſiue motum in cœlo tenere.

VI. A fine ſeu uſu proprio, efficere gratas uices dierum & noctium, annorum, menſium: & temperare qualitates in natura elementari.

¶ Iam hæc ad alteram partem, hoc eſt, ad ſtellam, quæ Magis in itinere dux fuit, conferenda ſunt, ut utrum ei congruant nec ne, appareat. Intelliges ſtatim nulla ex parte hæc ei tribui poſſe, quæ de naturali ſtella dicuntur.

I. Ex definitione.

Omnis ſtella uera eſt corpus perpetuum.

Stella quæ Magos præceſſit, non fuit corpus perpetuum, quia neq; antè, neq; pòſt conſpecta fuit.

Igitur non fuit ſtella uera aut naturalis.

II. Ex partibus.

Omnis ſtella uera aut eſt erratica, aut fixa.

Stella quæ præluxit Magis, non fuit neq; errans, neq; inerrans, : quia extitit in aëre.

Igitur non fuit uera ſtella aut naturalis.

III. A *loco.*

Stella uera tanto interuallo à terra diſtat, ut exactè nihil poßit oſtendere.

Stella quæ Magos præceßit, non abfuit longo interuallo à terra: quia iter & domum ipſam, in qua Meßias erat, præciſè monſtrauit.

Igitur non fuit ſtella naturalis.

IIII. Ab *adiuncto.*

Stella naturalis interdiu non conſpicitur in terris propter maius lumen ſolis.

Sed ſtella Magos comitata fulſit & conſpecta eſt interdiu non minus quam noctu.

Igitur non fuit naturalis.

V. A *proprio.*

Stella certo lapſu ſpacioq; fertur.

Hæc ſtella quæ Magis apparuit, non tenuit regularem certumq; motum, ſed ſe prorſus accommodauit ad iter Magorum, ut cum ipſis & procederet & conſiſteret.

Igitur non fuit naturalis.

VI. A *fine, uel uſu.*

Stellæ naturales ad eum uſum ſunt conditæ, ut gratas uices efficiant dierum, noctium, & qualitates in natura elementari temperent.

Stella Magorum comes, horum nullum præſtitit: ſed

Digitized by Google

ſed longè ad alium uſum apparuit, nempe ut Magos deduceret ad natum Saluatorem mundi.

Igitur non fuit naturalis ſtella.

VII. A teſtimonijs, ſiue autoritate.

Chryſoſtomus in 2. cap. Matthæi cenſet uirtutem quandam fuiſſe inuiſibilem, ſideris ſpecie figuratam. Nonnulli angelum fuiſſe exiſtimant. Euangeliſta uocat ſtellam Chriſti, quæ ad hoc apparuit, ut natum Meßiam monſtraret.

CICERO PRIMA TVSCVLANA thema coniunctum in genere didaſcalico tractat:

Quòd mors non ſit mala.

Idq́; confirmat.

I. A cauſa efficiente.

Nihil in malis ducendū eſt, quod ſit uel à Dijs immortalibus, uel à natura parente omnium cōſtitutum.

Mors eſt conſtituta à Deo & natura.

Igitur mors non eſt mala.

II. Ab adiunctis.

Aut animus in morte interit, et nihil neq; boni neque mali amplius ſentit: aut æternus eſt, & in cœleſtem locum, cum è corpore diſceſſerit, ſubuolat, ubi cum Dijs agit æuum. Vtrumuis conceſſeris, nihil mali in morte eſſe fateberis.

III. A fine.

Nullum remedium eſt malum.

Mors eſt remedium malorum & omnium rerum extremum.

Digitized by Google

Igitur mors non eſt mala.

EXEMPLVM ETHICVM EX 7.& 10. *Ethicorum Ariſtotelis,*

DE VOLVPTATE.

I. Quòd ſit bona.

Primùm ne quid ſuſpicionis aut obſcuritatis ſit in uocabulis, breuiter utrumq; explico.

ὅρος. Plato *uoluptatem* κίνησιν *ſiue* γένεσιν, *hoc eſt, motum ſiue generationem eſſe dixit: quem ſecutus* Cicero, *motum iucundum in ſenſu appellauit, lib.2. de* Finibus.*nec aliter etiam* Ariſtoteles *in* 2.Rhe*toricorum definit. Verùm hæc definitio eò ſpectat, ut oſtendatur, uoluptatem non eſſe ſummum bonum, nempe hoc modo:*

Summum bonum oportet eſſe perfectum.

Motus non eſt perfectus.

Igitur nec uoluptas, quæ τῇ κινήσει *definitur, poteſt eſſe bonum perfectum.*

ἀνθορισμός. At Ariſtoteles *lib.7.*Ethicorũ *cap.* 13. *reijcit hanc definitionem, negans uoluptatem eſſe motum ipſum, utpote quæ in quiete magis quàm in motu eſſe uideatur. Addit igitur aliam hanc:* ἡδονὴ ἐστὶν ἐνέργεια τῆς κατὰ φύσιν ἕξεως, *Voluptas eſt energia habitus cum natura conſentientis. Eſt enim talis* ἐνέργεια, *quæ uel motioni inhæret, uel cum motu ipſo coniuncta eſt, uel certè quiddam conſequens ad ipſam* ἐνέργειαν, *quo ſenſus animalium ſecundum naturam afficitur. Fundamentum eſt* ἐνέργεια *ſiue actio ipſa. Terminus, natura, inter quæ relatio eſt,*

actionis ad naturam applicatio. Cum enim actio naturæ eſt conueniens, uoluptas efficitur: ſin contrà, dolor.

II. Diuiſio.

Voluptatum alia eſt bona, alia mala. Bona eſt, quæ ſequitur ἐνεργείας bonas & laudabiles, uel quæ ex rebus honeſtis & conceßis capitur. Mala quæ malas ἐνεργείας comitatur.

III. Cauſæ.

Materia ex qua uoluptas oritur, ſunt partim ea quæ ad corporis conſeruationem pertinent, ut cibus, potus: aut ad ſpeciei propagationem, ut tactus uenereorum. partim non quidem ad corporis conſeruationem neceſſaria, ſed per ſe tamen expetenda: ut honor, opulentia, &c.

Forma atq; finis, Perfundere hominem iucunditate, et uel animo uel corpori conferre, uel utriſq; ſimul.

Efficiens cauſa eſt natura, quæ in alijs recta eſt, in alijs μοχθηρὰ, id eſt, praua, educatione ſcilicet & conſuetudine corrupta.

IIII. Adiuncta.

Vera uoluptas eſt comes beatitudinis, & ſemper coniuncta eſt ſummo bono, eſtq; eius accidens inſeparabile & proprium.

V. Contraria.

Dolor malorum omnium extremum et ſummum.

Explicatio prædicati.

Bonum eſt quiddam conditum & ordinatum in natura ad uſus neceſſarios.

Synonyma ſunt:

Summum bonum, beatitudo, finis hominis.

¶ *Ex his de quæſtione propoſita iudicetur, num rectè uoluptas bonum dicatur?*

Primùm in partem aientem.

I. *Ex definitione.*

Actio ſecundum rectam naturam eſt bona.

Quædã uoluptas eſt actio ſecundũ naturam rectã.

Igitur quædam uoluptas eſt bona.

II. *Ex diuiſione in bonam & malam.*

Omnis uoluptas ſequens ἐνεργείας *bonas & laudabiles, uel cum illis coniuncta, eſt bona.*

Quedam uoluptas eſt coniuncta cum ἐνεργείαις *bonis.*

Igitur quædam uoluptas eſt bona.

III. *Ex materia.*

Quæ ad corporis conſeruationem pertinet, ſunt bona.

Voluptas orta ex cibo & potu, pertinent ad corporis conſeruationem.

Igitur eſt bona.

IIII. *A forma & fine.*

Quod iucundo & grato ſenſu afficit corpus animatum, bonum eſt.

Vera uoluptas afficit iucundo ſenſu corpus animatum.

Igitur eſt bona.

V. *Ex efficiente.*

Quæ recta duce natura appetimus, ſunt bona.

Quaſdam

Digitized by Google

Quaſdã uoluptates recta duce natura appetimus.
Igitur quædam uoluptates ſunt bonæ.

VI. *Ab effectu.*

Quod ad uitam maximè confert, id omnes iure expetunt.
Voluptas maximè confert ad uitam.
Igitur iure expetitur.

VII. *Ab accidente uel adiuncto.*

Quicquid ſummo bono ſiue beatitudine neceſſariò coniunctum eſt, bonum eſt.
Vera uoluptas eſt ſemper coniuncta beatitudini.
Igitur eſt bona.

VIII. *A contrario.*

Quicquid malæ rei atq; fugiendæ contrarium eſt, bonum exiſtit.
Voluptas eſt contraria rei malæ, ſcilicet dolori.
Igitur uoluptas eſt bona.

Hæc hactenus ex ſententia Ariſtotelis. Plato uerò negat, uoluptatem eſſe bonum, idq; hoc argumento probat:

Omne bonum eſt qualitas.
Nulla uoluptas eſt qualitas.
Igitur nulla uoluptas eſt bonum.

Sed reſpondet Ariſtoteles negans maiorem. Nam bonum in omnibus categorijs reperitur, & ἐυδαιμονία ipſa eſt actio, ſiue ἐνέργεια.

Huic affine eſt illud: Quicquid pueri & beſtiæ, carentes ratione, perſequuntur, id hominis rationalis bonum neq; dici, neq; eſſe poteſt.
Voluptatem pueri & beſtiæ perſequuntur.

Igitur uoluptas neq; eſſe,neq; dici bonum poteſt.

Item: Omne bonum eſt definitum.

Voluptas non eſt definita, quia ſuſcipit magis & minus, quæ modis infinitis uariare poſſunt.

Igitur uoluptas non eſt bona.

Eudoxus ſummum bonum uoluptatem eſſe dixit, idq; ſic confirmauit:

Quicquid expetitur,bonum eſt: & quod maximè expetitur.ſummum bonum exiſtit.

Voluptas maximè expetitur.

Igitur uoluptas eſt ſumnium bonum.

Sed reſpondendum eſt ad maiorem, addita diſtinctione cauſæ efficientis. Aliam enim uoluptatem expetit natura recta,aliam praua.

Item è contrario: Dolor eſt ſummum malum: Igitur uoluptas ſummum eſt bonum. Ad quod Ariſtoteles reſpondet, opponi hæc duo ſecundum exceſſum & defectum: interim uerò eſſe medium, ſcilicet uirtutem.

Aliud.

Quicquid bono additum reddit illud præſtantius, id melius eſt eo cui additur.

Voluptas addita uirtuti reddit illam præſtantiorem.

Igitur uoluptas eſt maius bonum quàm uirtus.

Reſpondeo ad maiorem: Quod bono additur, expetibilius quidem illud facit, ſed non idcirco eſt præſtantius. Quòd autem uoluptas non ſit ſummum bonum, hoc argumento euincitur: Summum bonum eſt, ad quod omnia uel mediatè uel immediatè referuntur.

Ad

Ad uoluptatem non omnia referuntur. Igitur uoluptas non eſt ſummum bonum.

Minoris probatio.

Partim enim uoluptatis cauſa non omnia fiunt: ut ſcientia & uirtus, non propter uoluptatem, ſed per ſe expetuntur. Partim uoluptatis cauſa quidem ſuſcipiuntur, ſed uoluptas breuis ſubeſt: ut facinus nefarium ſuſcipitur quidem uoluptatis cauſa, ſed tandem triſtis conſcientiæ carnificina ſequitur.

EXEMPLVM PHYSICVM, QVOD *mundus non ſit æternus, contra Ariſtotelem.*

I. A definitione prædicati.

Quod principiũ et finem habet, non eſt æternum.

Mundus habet principium, quia conditus eſt in principio temporis & rerum, atteſtante Moyſe.

Igitur mundus non eſt æternus.

II. Ab adiunctis ſubiecti.

Quod aliunde pendet, nec ex ſeſe cauſam exiſtentiæ & perfectionis habet, non neceſſariò exiſtit, ſed contingenter: hoc eſt, poteſt aliquando eſſe, aut non eſſe.

Mundus pendet à Deo opifice, ab eoq́; ortum & perfectionem habet.

Igitur mundus non neceſſariò extitit ſemper, ſed eius conditio contingens fuit.

III. A proprietate quadam Dei.

Quod ex ſe & per ſe perfectum eſt, nulla eget externa re ad ſui perfectionem.

Deus eſt perfectißimus ex ſe & per ſe.

Igitur Deus non indiguit mundo, quaſi ſine eo perfectus eſſe nequiuiſſet.

IIII. A cauſarum diſtinctione.

Cauſa liberè agens non neceſſariò ſemper coniuncta eſt cum effectu.

Deus eſt liberrimum agens.

Igitur non neceſſariò cū eo ſemper mūdus extitit.

V. Ab abſurdo.

Quid eſt abſurdum magis, quàm creatorem Deum confiteri, creaturarum uerò initium negare?

VI. Contraria.

Correlatiua ſunt ſimul natura, ita ut poſito uno, neceſſariò ponatur alterum, & contrà.

Mouens ſeu motor primus, & mundus mobilis ſunt correlatiua, ſicut agens & effectus.

Igitur ſunt natura ſimul, & ut Deus, ſic etiam mundus eſt æternus.

Reſpondeo ad maiorem : Hic eſt Gordius Ariſtoteli *nodus, qui ſecundum doctrinam eius de relatiuis uix poteſt ſolui, ſed iuxta cauſarum diſcrimen faciliмè diſcinditur.* Etſi *igitur ſua natura ſimul ſint ea relatiua, quorum uno reſpectu alterius rationem habet agentis & effectus : tamen eatenus illud uerum eſt, quatenus ſcilicet agens naturaliter, & non liberè agit, quemadmodum agit* Deus.

Aliud.

Voluntas Dei *ſemper eodem modo ſe habet.*

Voluntas creandi mundū in Deo *fuit ſempiterna.*

Igitur

Igitur & mundus fuit ab æterno.

Reſpondeo ad maiorem: Æterna in Deo ueritas non impedit libertatem eius, quò minus, quod uult & decernit, conficere poſsit, cum ipſi libet.

¶ Hæc eſt rudis deſignatio rerum, & dialectica membrorũ diſtributio, quib. orationis copia & ſplendor per Rhetoricam elocutionem addendus eſt. Nobis in hac parte ſatis eſt, reperiendi, inuentaq; ordine & momento quodam iudicioq; diſpenſandi atq; diſponendi rationem monſtraſſe. Cæterùm hæc eadem ueſtire atq; oratione ornare, elocutionis munus eſt propriũ.

GENVS IVDICIALE, δικανικόν.

PRimò: Nomen huic generi inditum eſt à iudicijs, quibus accommodatum eſt, et conſiſtit in æquitate & iure. Porrò quicquid in controuerſian uenit, & iure diſceptatur, in eo quæri ſolet, aut factũne ſit, aut ſi factũ eſt, quale ſit: hoc eſt, recténe factũ eſſe uideatur, aut etiam quo nomine uocetur. Hinc ergo ſtatus ſiue conſtitutiones in hoc genere exiſtunt tres, Cõiecturalis, Iuredicialis, & Definitiuus. Nam in conicturali ſtatu illæ continentur cauſæ, quibus, utrũ aliquid factũ ſit, futurum ue ſit, diſceptatur. In iuredicialı, quo iure aliquid factũ ſit. In definitiuo, qđ illud ſit, de quo controuerſia inſtituitur. Vt qui aliquẽ uerberaſſe dicitur, eoq; nomine accuſatur, is uel negat ſe feciſſe: uel fatetur qđẽ, ſed iuſtè ſe feciſſe affirmat, ꝗ laceſsitus aliter effugere aut tutus eſſe nõ potuerit: aut interpretatur illud factum,

ſactum, quòd non tantum aut tale ſit, ut actor intendit.

II. In omni diſceptatione & controuerſia duæ ſunt partes, quarum una intentio, altera depulſio nominatur. Oportet enim eſſe primùm qui accuſet, inſimulet, crimen impingat aut expoſtulet: & deinde aliũ, qui ſe defendat, aut crimen à ſe depellat. Ita ex una parte eſt actor, ex altera reus. Actoris inſimulatio, qua crimen in aduerſarium impingit, intentio appellatur. Græcè πρωτολογία. Rei ſiue defenſoris recuſatio dicitur depulſio, Græcè ἀπολογία, id eſt defenſio, qua ſcilicet ſtudet crimen obiectum diluere, & ſeſe purgare atq; excuſare.

III. Ad hoc igitur genus pertinent omnes controuerſiæ, ceu ſunt accuſatio, expoſtulatio, defenſio, purgatio, & alia, quæ cadere in diſceptationem ſolent.

DE STATV CONIECTVRALI.

I. Quando accuſator ſiue actor crimen in alium impingit, & reus ſiue accuſatus inficiatur, hoc eſt, negat factum, ſtatus coniecturalis naſcitur: quia controuerſia eſt de eo, utrum factum ſit illud quod intenditur, nec ne. Quia uerò crimina uera arguere, & falſa repellere plurimũ refert: mõſtrabit hic ſtatus utrũq;, cum quomodo accuſare facinus nefarium deceat, tum etiam quo pacto is qui arguitur, innocentiã ſuam probare, crimenq; quaſi quodam telo arcere debeat.

II. Loci ex quibus ducuntur coniecturæ aut præſumtiones, quibus factum aliquid aut non factum probatur, ſunt Voluntas & Facultas. His accedunt quidam

dam ἄτεχνοι, id eſt, inartificiales loci: ut ſunt teſtimonia, chirographa, præiudicia, rumor, fama, quæſtiones, conſcientia, confeßio, &c.

DE VOLVNTATE.

Omnibus in rebus, quæ in controuerſiam ueniunt, quid uoluerit cogitaritq; is qui arguitur, ſpectandum eſt. Omnium.n. actionum, maleficiorum atq; iniuriarum cauſa principalis eſt mens & uoluntas. Vnde à Iuriſconſultis quoq; illud iactari ſolet: Actibus in cunctis dominatur ſola uoluntas. Item: In maleficijs uoluntas, non exitus ſpectatur. Soletq; adeò ex actu iudicari de animo, ſecundum id quod ijdem citant: Qualis actus, talis præſumitur animus. Volūtatem porrò, aiūt, nihil referre, uerbis, an factis declares: nec minus, ſceleris uoluntatem eſſe puniendam, q̃ effectum ipſum. Cum ne iniuriam quidem feciſſe putetur is qui animum iniuriandi non habet: neq; accipere etiam iniuriam ille qui ad animum illam ſtatim non reuocat, hoc eſt, dißimulat. Complectitur aūt uoluntas, θέλησις, duo capita, Ratiocinationem, & Impulſionem.

Ratiocinatio eſt diligens & conſiderata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio: ut cum quis utilitate, hoc eſt, ſpe commodorum, aut metu incommodorum illud quod arguitur, feciſſe dicitur. Valetq; adeò hîc id quod Caßius in ore habuit: Vtrum bono fuerit. Hæc ad τελικὸν αἴτιον, hoc eſt, ad finalem cauſam ſpectat.

Impulſio ſeu motus animi affectiones cōtinet, quibus permoti aliquid facere homines ſolent: ut ſunt, ira,

odium,

odium, uindictæ cupiditas, audacia, leuitas, periculi timor, auaritia, ambitio, inopia, animi impotentia, ebrietas, uita antecacta, & alia perſonarum attributa: pertinentq; omnia ad cauſam efficientem impulſiuam, ὀρεκτικὴν καὶ ποιητικήν.

DE FACVLTATE.

Iuriſconſulti: Nemo uelle uidetur, quod nõ poteſt.

Facultas, δύναμις, ex ſignis & circumſtantijs probatur.

Signa, quæ & euenta dicuntur, ſunt rerum propriæ notæ, uel ut Cicero inquit, impreſſa facti ueſtigia, quæ quidem uel maximè ſuſpicionem mouent, & quaſi tacita ſunt criminum teſtimonia. Horum quædam ſunt ἡγούμενα antecedẽtia, hoc eſt, quæ ante factũ ſuſpicionem criminis faciunt: ut profectio ad locum, ubi factum aliquid arguitur: item antè habita cũ aliquo deliberatio uel colloquium. Quædam cum ipſo facto coniuncta: ut clamor, cruor. Nonnulla ἑπόμενα uocantur, hoc eſt, conſecuta: ut pallor, tremor, reſponſio inconſtans, conſcientiæ terror, & ſimilia, quæ animi malè ſibi conſcij indicia & ſuſpiciones præbent. Porrò ſigna alia alijs certiora ſunt, quæ appellationibus etiam diſcernuntur. Nam τεκμήρια uocantur ſigna certa, & minimè fallentia: εἰκότα uerò probabilia ſunt, quæ tamen fallere poſſunt.

Circumſtantiæ numerantur, locus, tempus, occaſio, facultas ſiue uires, modus, inſtrumenta, etc. de quibus ſuprà.

Hi loci omnes & ſinguli cum accuſatori, tum de-

fenſori

fenſori communes ſunt. Qui enim factum aliquid affirmat, & uoluiſſe et potuiſſe eum quem arguit, oſtendat neceſſe eſt. Qui uerò crimen à ſe depellit, in id potiſsimùm omnes neruos intendit, ut neq; animum, neq; uires, neq; tempus, neq; occaſionem ullam ad obeundũ facinus fuiſſe demonſtret. Quod quidem in confutatione obiectorum criminum conſiſtit.

Admonitio breuis de elocutione.

Decet in hoc genere ſono orationis uti maiore, præſertim ubi cauſa agitur grauior.

EXEMPLA.

Epiſtola prima & ſecunda libri v. Familiar.

In prima epiſtola Metellus expoſtulat cum Cicerone, quòd contra amicitiæ officium & reconciliatam gratiam ſe ludibrio læſerit, et fratrem oppugnarit. Eſt igitur Metelli intentio aduerſus Ciceronem: Tu læſiſti me, & oppugnaſti fratrem meum capite & fortunis. Idq́; crimen multis exaggerat & amplificat, quòd ſit contra officium amici, pudorem fratris, dignitatem familiæ, & ſuum ſtudium erga ipſum & Rempub: Addit querimoniam & minas, obijcit mobilitatem animi, & ſuam conſtantiam nihilominus erga Rempublicam promittit.

In ſecunda Cicero ſe defendit, hoc crimen à ſe depellens & confutans ordine:

I. Ludibrium: Non dixi quicquam ad te deridendum, ſed honeſtandum potius.

II. Amicitiæ uiolationẽ: Non egi quicq̃, in quo nõ ex omnib. partib. ſe oſtẽderit animus meus erga te mutuus.

III. Re-

III. Reconciliatam gratiam : At hæc nunquam imminuta fuit.

IIII. Oppugnationẽ fratris: Reſtiti tantũ eius temeritati uirtute, cauſa Reipublicæ, egi cum eo leniſsimè, admonui ut deſiſteret, et humanitate ſumma uſus ſum.

V. Mobilitatem animi : Non fui animo mobili, ſed ſtabili, etiamſi à te deſertus eſſem.

VI. Minas. Cauſam transfert in uim fraterni amoris.

Poſtremò petit, ut rem æquo iudicio cognoſcat, & ſuam amicitiam conſtantem pollicetur.

Oratio pro Roſcio Amerino.

Accuſatur Roſcius parricidij, eſtq; aduerſariorum intentio: S. Roſcius occidit patrem ſuum. Cicero hoc crimen negat, eſtq; ſumma defenſionis: S. Roſcius non occidit patrem ſuum. Et crimen ſic diluit:

I. A cauſa, quæ ad tantũ ſcelus impulerit, nẽpe odium patris. Sic.n. obiecerat aduerſarius: Roſcius nõ placuit patri, igitur occidit eũ. Antecedens probatur cõiecturis et præſumtionibus. Noluit pater eũ eſſe ſecũ, ſed relegauit in prædia ruſticana. Hoc cõmentitium crimen uocat Cicero, inquiens, honoris, non ſupplicij aut odij cauſa à patre id eſſe factũ : idq; exemplis aliorũ, qui agris colendis cũ ſumma laude ſtuduerunt, probat. Secũdò confirmatur antecedens hac coniectura, quia pater in animo habuit exhæredare Roſcium filium. Reſpondet Cicero, nugatorium hoc eſſe, neq; probari ab aduerſarijs : quòd cauſa nulla exhæredationis fuerit, nec euentus reſponderit. Inſectatur igitur accuſatorẽ tam leuem, tanq̃ forenſem rabulam ualde acriter.

Digitized by Google

II. A *natura, quæ refugit & reformidat tam atrox ſcelus, quodq́; furiæ acerrimæ ultrices et leges ſummo ſupplicio coercent.* Facultas.

Quomodo occiderit.

A *loci & temporis circumſtantia, item perſonis, per quas id egerit:*

Sua manu non occidit, quia Romæ *multis annis non fuit, neq; de prædijs temerè unquam diſceßit: neq;* per libertos *aliquos aut ſeruos fecit, quòd neq; qua ratione eos inducere, neq; ubi, neq; per quos, neq; qua ſpe, aut quo precio potuerit, oſtendat accuſator.*

Deinceps *crimen in aduerſarios* Roſcios *conuertit, arguens eos occidiſſe* Roſcium.

I. A *ratiocinatione, hoc eſt, ſpe commodorum*: Is *maximè cædem feciſſe uidetur, cui bono ſiue commodo fuit.*

Roſcij *cædes maximè profuit* T. Roſcio: & *obfuit filio* S. Roſcio. *idq́; probatur,*

1. A *ſignis & euentis*: Quia T. Roſcius *inde ditior eſt factus,* Sextus *uerò* Roſcius *egentißimus.*

2. Ab *impulſione ſeu cauſa*: Quia *exercuit inimicitias cum* Roſcio *occiſo, & cauſæ permultæ ſunt, quæ iſtum impulerunt.*

II. A *facultate,*

1. A *loco*: T. Roſcius *fuit* Romæ, S. Roſcius *non.*

2. A *tempore ſiue occaſione faciendæ cædis, & perſona* T. Roſcij.

III. A *conſequentibus ſiue ſignis, quæ cædem ſunt ſecuta.*

1. Celeriter nunciata eſt mors Roſcij per Glauciam T. Roſcio ſocio Ameriam: unde ueriſimile fit, Glauciam ſua manu occidiſſe Roſcium de conſilio T. Roſcij patroni.

2. Nunciata eſt à T. Roſcio mors Chryſogono in caſtra Syllæ.

3. Pars ſeu communio prædæ ad Roſcios peruenit.

4. Roſcius capito perfidioſè egit, profectus ad Chryſogonum impediuit, quo minus de his rebus Sylla doceretur.

5. Conſcientia ſceleris conuicti nolunt examinari ſeruos, ſed in honore eos habent, quaſi qui ſciant iſtos aliquid pernicioſum ipſis dicturos eſſe.

Poſt hæc (quæ tertia eſt orationis pars) Chryſogoni potentiam inſectatur, & oſtendit, S. Roſcij bona neq; uendi, neq; poßideri iure poſſe.

Oratio pro Celio.

Conſtitutio eſt coniecturalis, an uenenum Clodiæ pararit Celius.

Atracinus accuſator affirmat, Cicero uerò negat. Obiecta autem fuerunt ſimul extra cauſam alia crimina multa, quæ Cicero ordine prius refutat.

I. Pater Celij parum ſplendidus eſt, & parum piè tractatur à filio. Reſponſio: Pater eſt eques, dignitate nulli inferior. Deinde pietatem Celij erga parentē teſtantur iurati, & luctus parentum præſens.

II. Non probatur ſuis municipibus. Reſpon. At hi nemini unquam præſenti maiores honores habuerūt, quàm

quàm Celio abſenti : id quod legatio ad hoc iudicium & laudatio demonſtrant.

III. Adoleſcentiam impurè egit. Reſpon. Forma bona eſt obnoxia criminationi, eſtq́; conuicium ſine teſtimonio. quin affirmare poſſum, eum in illo ætatis flore nuſlibi, niſi cum patre, aut mecum, aut in Craßi caſtißima domo in literis uixiſſe.

IIII. Fuit familiaris Catilinæ. Confutatur à ſigno : Nunquã à me receßit. Deinde ſtuduit Catilinæ, cum iam ſe corroborauiſſet, & quidem deceptus cum alijs multis uaria multipliciq́; eius natura. Quòd uerò coniurationis ſocius arguitur, falſum hinc eſſe patet, quòd coniuratos ipſe accuſauit. Eadem eſt de ambitu reſponſio.

V. Aes alienum conflauit, ſumtus fecit. ſimpliciter negat factum.

VI. A patre emigrauit. Reſpon. Fecit ſuadente patre, ut negotia iſtic obiret : eſtq́; crimen longè petitũ.

VII. Teſtis eſt ſenator quidam pulſatus à Celio. Reſpon. Vanum teſtimonium : quia ſtatim non accuſauit, nec ut decet, teſtimonium dicit.

VIII. Erunt qui teſtentur, ſuas uxores à Celio eſſe attrectatas. Reſpon. At nunquam cum eo coràm expoſtularunt : ſimulq́; abducit iudices à teſtibus tanq̃ ſuſpectis aut conductitijs ad argumenta & ſigna.

IX. Fuit ſocius ſeditionũ Neapolitanarum, itẽ cædis Dionis. Reſp. Huius facti non modò non ſuſpicione, ſed ne infamia quidẽ eſt aſperſus Celius, eſtq́; ille ipſe iudicio liberatus, qui reus fuit aſcitius.

X. Celius fuit familiaris Beſtiæ & Herennij ſodalis in Lupercis. ſed hæc leuiora ſunt, quàm ut refutatione indigeant.
XI. Delicias ſectatus eſt. Reſpon. Commune eſt hoc adoleſcentiæ, nec uitio uerti Celio debet, quòd liberius aliquanto uixerit, præſertim cum nulli nocuerit.

¶ Sequitur proprium huius cauſæ crimen, ſeu propoſitio principalis de auro & ueneno.

Primò.

A ſignis. Commodare aurum, eſt ſignum egregiæ cuiuſdam familiaritatis: dicere uenenum ſibi eſſe paratum, ſignum eſt ſummi odij cum diſsidio crudeliſsimo. quorum utrumq; quàm inhoneſtum ſit fateri Clodiæ, duplici proſopopeia, Appij Claudij cæci & fratris Clodiæ oſtendit.

Deinde excuſatur Celij familiaritas cum Clodia;
I. A diſsimilitudine naturarum ſiue ingeniorum: Non omnibus datur reſpuere omnes uoluptates poſſe.
II. A natura, quæ multa nobis blandimenta genuit.
III. A licentia iuuenilis uitæ.
IIII. Ab exemplis eorum qui acta in uoluptatibus adoleſcentia emerſerunt tandem, & uiri eximia uirtute facti ſunt.

Secundò.

In Celio nulla luxuries reperitur, quia notum eſt genus orationis eius, facultas, copia ſententiarum atq; uerborum.

Sequitur maior: At fieri non poteſt, ut in animo libidini

libidini dedito tantum ſit doctrinæ et eloquentiæ ſtudium, & labor forenſis.

Obiectio: At publica fama arguit Celium habuiſſe cum Clodia commercium. Reſpon. per conceßionem: Non enim interdictum eſt meretricijs amoribus iuuentuti.

Concluſio per dilemma: Si ergo honeſta eſt matrona Clodia, nihil eſt quod obijciatur Celio: ſin meretrix, contemnendum eſt crimen Celij, ſi cum ea rem habuit.

Tertiò.

Quòd aurum à Clodia non ſumſerit ad necandum Dionem.

I. Per tranſlationem criminis in Clodiam: Si ſciuit Clodia hoc agi à Celio, rea exiſtimanda eſt.

II. A perſona Celij, cuius amores, ingenium & mores abſunt longiſsimè à tanto flagitio.

III. Ab omnibus coniecturæ locis: Non cauſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non occultandi maleficij ſpes, non ratio ulla, non ueſtigium maximi facinoris reperietur.

IIII. A teſtimonio lucri.

Quartò.

Quòd uenenum mulieri Clodiæ non pararit.

I. A cauſa: nulla fuit cauſa, cur id uellet.

II. A facultate: Neminem habuit cui committeret, non adiutorem, non ſocium, non conſcium. Item quæ ratio ueneni fuit: ubi quæſitum eſt, quem ad modum paratum, quo pacto, cui, quo in loco traditum?

Digitized by Google

Poſtca abducit animos iudicum à cauſa hac, commemorando necem Metelli, aſperſa ſuſpicione de Clodia uxore, quaſi ipſa ueneno illum ſuſtulerit.

Aliud.

Cauſæ conſtitutio: Accuſatur *maritus de cæde uxoris ſuæ, cum qua iter fecit.*

Hoc tam atrox & nefariũ crimen ut probetur, inquirendum eſt in mores mariti, omnesq; ſuſpicionum latebræ peragrandæ ſunt, ut an cauſa, an facultas, an perficiendi aut occultandi maleficij ſpes, an commodorum expectatio ipſi adfuerit, conſtare poſsit.

1. A *cauſa ſeu impulſione.*

Cauſam perpetrandi huius atrociſsimi ſceleris ei non defuiſſe, multa ſunt quæ docere poſſunt. Nunquã *hic nefarius homo ab eo tempore, quo mulier ei in matrimonium tradita eſt, humano uultu uiſus eſt coniugem aſpicere: ſed ſemper ſæuus, crudelis et iratus fuit, grauiter eam pulſauit, & peſsimè tractauit. Sæpe ſeparare ſe ab ea uoluit, & cum liberis & familia deſerere.* Tanto *deniq; odio eam preſsit, ut non diem, non horam, non momentum temporis ab illius uerberibus & ſæuiſsimis comminationibus tuta fuerit: non rarò domo eiecit, & redeuntem ianua prohibuit: crebrò mortem minatus eſt.* Quod *cum ita ſit, cui dubium eſſe poteſt, quin tandem interfecerit, cum adeò ſemper acerbum & immitem ſeſe erga eam geſſerit?* Solet.n. *diu in animo altum & uetuſtate corroboratum odium in magnum aliquando erumpere malum, ut exemplum* Caini, *fratrum* Ioſephi, Clodij, *& aliorum innumerabilium*

rabilium demonſtrant. Cumq; diabolus communis omnium, tum certè coniugum acerrimus καὶ ἀκήρυκτος hoſtis, animum ſemel odio atq; inuidia aduerſus alium incendit, augere ſubinde incendium ſolet, nec prius deſiſtere, quàm in fraudem inexpiabilem impulerit. Quoq; arctior eſt cognatio, & maior naturæ ſanguiniſq; coniunctio, eò magis exardeſcunt & exacerbantur animi, ubi diſsidere cœperunt: & damna ſi erumpunt, triſtiora exiſtunt.

II. A ratiocinatione.

Magnam etiam huic teterrimo homini ſpem in uxoris morte propoſitã, magnas utilitates fuiſſe, nihil eſt q tam facilè declarari poſsit. Etenim eam ſolã ſuæ effrenatæ cupiditati obſtare animaduertit, hanc ſolam impedimento ſibi eſſe credidit, quò minus expugnare multarum pudicitiam, quantumq; uellet libidinem explere & belluari poſſet. Veritus eſt enim, ne per uxorem hæc flagitiorum integumenta proderentur. Quare cum pulſando, crebroq; mortem minitando nihil proficeret, una ratio uiſa eſt, ne obſiſtere amplius ſuis conatibus poſſet, & ut metu omni, ne qua res emanaret, liberaretur, hanc è medio tollere.

III. A facultate, hoc eſt ſignis & circumſtantijs.

Iter neſcio quò ſe habere ſimulauit. mulierem, quã ſecum ire iuſsit, abduxit per eam uiam, quæ uacua ab hominibus plerunq; eſſe ſolet: &, quod caput eſt audaciæ & ſceleris, in eum locum, ubi antrum uaſtum et profundum eſt: ſperans, ſe facillimè ibi eam interfectam abſcondere, uel lapidibus tegere poſſe, & pro-

Digitized by Google

cul infra omnes inferos amandare. Magna uis eſt, iudices, occaſionis, adeò ut ſæpe etiam probos allicere, et ad peccandum impellere uideatur. Sed uidete quæſo hominis animum, inſidiandi uitæ coniugis cupidiſsimum. Manè eſt egreſſus cum uxore ſolus. noluit unà ire liberos. de induſtria curauit, ne quiſquam comes eſſet itineris: & cum ad antrum perueniſſent ambo, nactum ſe eſſe putauit eam opportunitatem, quam diu optauerat & quæſiuerat. Antea audiuiſtis, eum omnino occidere uoluiſſe mulierem: nunc uidetis, ad uoluntatem accedere facultatem, & concurrere omnia, quibus ad deſignandum ſcelus opus eſt. Solus eſt cum ſola. animaduertit ibi opportunitatem eſſe tantam, ut maior nulla eſſe poſsit. Dubitatis igitur, quin quod diu cogitauit, & exoptauit, tunc, cùm oblata eſt occaſio, omnibus modis ſibi conficiendum eſſe putauerit?

Similè. *Stultum equidem eum furem aut latronem omnes non immeritò iudicarent, qui, cum propoſitum habeat furandi aut latrocinandi, & in domum opimã & opulentã peruenerit, aut in uiatorẽ locupletem inciderit, non, quod animo cogitauit, re perficiat. Ita ſanè, iudices, nolite dubitare, quin hic ſceleratiſsimus homo tũc, cum occaſionem tam commodam tamq; optatam eſt adeptus, manus impias & cruentas in mulierem iniecerit, & eam obtruncatam in uicinum antrum præcipitauerit. Quî enim potuiſſet id quod diu optauit & molitus eſt, data occaſione non perficere? Nec uerò*

Occupatio. *eſt quòd aliquis dicat, aut ſecum cogitet, facilè fieri non potuiſſe, ut uxorem occiderit, & tantum facinus*

obierit.

obierit. Nam quid facilius eſt, quàm imbecillem & fragilem uxorẽ iugulare, aut per inſidias tollere, quæ neq; audet refragari, neq; referire? Secuta eſt eum proculdubio, et ueſtigia eius ponè legit, aut alterius lateris ſocia fuit. Sed quid impedit, quo minus eam homo ſceleratiſſimus aperta ui aut clàm, nihil tale metuentem, mactauerit? Potuit etiam diſſimulare hoſtilẽ ſuum animum, & mulieri perſuadere, ut reſideret, aut in locum ad ſedem aptum ſecederet. Sed quid multa? Muliebris ſexus, & præſertim hæc fœmina fatigata multis laboribus, macerata fame, exagitata multis conuicijs, pulſata grauiter, & propter crebros dolores eneruata, ſine negotio omni obtruncari potuit. Conſentaneum eſt etiam, eam non diu facinus crudele à ſe repuliſſe, etiam ſi potuiſſet. Cenſuit enim, ſatius eſſe ſemel mori, & à miſerijs huius uitæ, & perpetuis mariti iniurijs liberari, quàm diutius ea mala ferre: ut ſæpe mulieres optare ſolent. Qui enim in uita diu multumq; affligitur, nec ullum malorum leuamen proſpicit, is mortem tantum abeſt ut impatienter ferat, ut etiam ſæpe exoptet, & aduenientem auidè excipiat. Audiſtis, iudices, & uoluiſſe hunc teterrimum hominem uxorem interficere, atq; etiam potuiſſe. Quid igitur reſtat, niſi ut parricidam eum iudicetis? Ac ut hoc quoq; addam, quod uel præcipuam uim ad demonſtrandum ſcelus habere uidetur: quis ignorat, quanta conſcientiæ cuiuſq; ſit uis? quanta in utranq; partem? ut & incredibiles metus concipiant ij, qui crudelium factorũ ſibi conſcij ſunt: & contrà ab omni planè ti- *Signa, quæ cõſecuta ſunt*

Conſcientia. more uacui ſint, qui nihil in ſe admiſerint? Etenim uideas, inſignes animorũ cruciatus ſuſtinere homicidas, & pollutos ſceleribus, omnia timere, conſpectum hominum fugere, lucẽ reformidare, quicquid increpuerit exhorreſcere, ſæuitiam & crudelitatem uultu toruo, cruentis & cædem ſpirantibus oculis præ ſe ferre, & toto corpore, geſtu & uoce mutari. Quẽ uerò nulla fraus, nullum ſcelus, nullum peccatũ arguit, quiq; ſe integrum & caſtum ſeruauit: is intrepido & erecto ſemper eſt animo, non rumoribus, non minis terretur: ſed iſta omnia contemnit, & pro nihilo putat. At hæc nefaria bellua quid agit? quid non timet? quorũ hominũ conſpectus non fugit? Vrbe abfuit: poſt aliquot dies rediјt. Quæ animi ſæuitia, quæ oculorum immanitas? quẽ humano uultu aſpicit? quomodo paruagatos hominum de ſe ſermones fert? quantosq; conſcientiæ cruciatus ſuſtinet? Videte manus cædẽ demonſtrãtes, oculos toruos, uocem titubantem, et totũ corpus, quod pleniſsimum eſt indicijs immanitatis et parricidij. Diuinitùs hoc prorſus fieri ſtatuo, ut qui fraudem aliquã inexpiabilem conceperint, ipſi ſe geſtu & uoce prodant, & toto corpore ſigna reatus & futuræ pœnæ circumferant. Cum aũt naturæ indicia certiſsima ſint, & minimè fallant: quid minus dubium eſt, quàm hũc ſuam coniugem interfeciſſe, cum animus illius, oculi, manus, & totum corpus illud demonſtrent atq; conteſtentur? Quare non plura dicam, cum hæc ſatis euidenter declarent, atq; adeò conuincant, ipſum eſſe parricidam. Nec dubito, uos, iudices, ea eſſe prudentia, ut

De pœna, quæ par ſit huic flagitio inuenienda.

hominem

Digitized by Google

hominē ſceleratiſsimū pœna ea, q̄ leges, quā uox diuina infligi iubet parricidæ, affecturi ſitis. Sed quæ pœna poteſt inueniri digna tanto ſcelere, q̄ eſt ſupra omne ſcelus? Quid.n poteſt eſſe atrocius, quid ſceleratius, q̄ ſuā ipſius coniugē, indiſſolubili lege aſſociatā et copulatā, non modò crudeliter tractare, ſed etiā teterrima morte afficere? Ingēs eſt facinus, et ſupra modū nefariū ſcelus, hominē necare: quòd & natura id fieri uetet, & leges prohibeant. Eſt.n.natura inſitum omnibus hominibus, ut proximum iuuent, quibuſcunq; officijs poßint: & leges hoc uehementer præcipiunt, nec aliter ſocietas humana ſeruari poteſt. Quo ſanè fit, ut qui homines trucidat, non ſolùm contra naturam ſuam feciſſe, ſed etiam leges grauiter uiolaſſe putari debeat. At quanto atrocius eſt, mactare propriam coniugem, & commaculare manus ſuæ ipſius carnis ſanguine? Etenim qui coniugi ſuæ iniuriam facit, ſibi ipſi nocet, & damnum adfert: ſiquidem, ſacra atteſtante Scriptura, maritus & uxor una ſunt caro: & qui uxorem ſuam odit, ſeipſum odit. Quantam igitur pœnam meretur is, qui ſeipſum iugulat: tanta etiam dignus cenſendus eſt hic nefarius homo, qui uxoris ſuæ carnifex extitit. Multa ſunt flagitia et atrociſsima facinora in mundo: ſed haud credo ullum maius & deteſtabilius inueniri, quàm ſi quis ſibi ipſi uitā eripit. Quid.n.de hoc homine ſentiamus? quibus uerbis eum execremur? quem etiā ipſa natura uehementiſsimè deteſtari uidetur. Conditi ſumus ad magnam præſtantiā, & ipſa donati immortalitate: eaq; lege generamur,

Comparatio.

ἐκβολὴ εἰς τόπον κοι‐ ut in νόμ.

ut in corporis cuſtodia maneamus, donec iuſſu Dei inde migremus, ne munus humanũ aßignatum à conditore noſtro, defugiſſe uideamur. Sed qui ſeipſum interficit, contemnit hanc præſtantiam, & uiolat legem & munus à Deo ſibi aßignatum, contráq; mandatũ conditoris uitam uiolenter abrumpit: imò ipſis diabolis talis multò peior eſt et execrabilior. Nã ſi diaboli tanta præſtantia ornati eſſent, & ſpem uitæ æternæ propoſitam haberent, uix adeò ſui obliuiſcerentur, ut ſe hoc bono ultrò ſpoliarent. Quid igitur? Quid hunc parricidam meritum eſſe iudicatis? quam pœnam dignam tanto facinore inuenictis? Equidem eadem pœna adficiendus mihi uidetur, qua dignum cenſeretis eum, qui ex cæde ſuiipſius retractus, incolumis eſſet ſeruatus. Vt igitur nullam ſatis grauẽ pœnam iſti homini ſtatuere poſſetis: ita in hoc homine ulciſcendo cum non ſatis dignam pœnam reperire poßitis, nouo quodam crudelitatis exemplo uti debetis, ut omnes intelligant, quanta huius flagitij ſit magnitudo, ut nullũ par ſupplicium ei ſtatui poßit. Sin uerò hunc nefariũ parricidam, qui Deo pariter et hominibus eſt inuiſus, uiuere in ciuitate ueſtra paßi fueritis, aut ſententijs ueſtris abſolueritis, exemplum præclarißimum in poſterum uindicandi ſceleris atrocißimi ſuſtuliſſe uidebimini. Quare diligenter conſiderate, iudices, & animo reputate, quam pœnam huic nefariæ belluæ decernatis, ut Deo pariter & iuſtitiæ ſatis faciatis, & exemplum uindicandæ cædis propriæ coniugis alijs ſtatuatis. Quicquid etiam uos hodierno die decreueritis, id

ἀντίθεσις

Obteſtatio iudicum.

ut pro-

Digitized by Google

ut probetur illi, qui huic iudicio præſidet, omnia hominum facta inſpicit, iuſtitiæq́; cuſtos eſt, & ſceleris uindex acerrimus, facite.

Aliud.

Sempronius accuſat Philologum, quòd ſe nocte quadam à cœna redeuntem unà cum alijs pulſarit.

Exordium à reipſa.

Iuſtam ego & piam cauſam acturus ſum, iudices, quæq́; & uobis & uniuerſæ Reipub. prodeſt, Deo in primis grata accidit, & omnibus bonis ſalutaris. Adfero enim in iudicium intolerandum ſcelus Philologi, qui me indignis modis, præter omne meum meritum, in platea noctu pulſauit, & conuicia inſuper multa in me haud ferenda addidit. Etſi autem alterum accuſare graue eſt, à meiſq́; moribus abhorret: tamen cum peccata nocentium nota eſſe oporteat & expediat, ne exemplo noceant, ueſtram opem imploro, orans quá par eſt reuerentia & ſummiſſione, ut hoc Philologi facinus coerceatis.

I. Narratio.

Heri, cum, ut mos meus eſt, & uita mea exigit, circiter horam octauam noctis è cœna domū me conferrem tacitus, & nemini neq́; clamore, neq́; maledictis moleſtus, inermis, ut ſoleo, prorſus: non procul ab ædibus meis cum telo mihi occurrit inter cæteros hic Philologus, maledictis contumelijſq́; me primùm laceſſens, tū iniurijs multis afficiens: neq́; fuit illi quicquam tum deliberatius, quàm ut me ui et impreſſione euerteret. Huic tamen ego reſtiti, quantum potui, non

ui, ſed

ui, ſed uirtute & animo, eiusq; impetum repreſſi atq; propulſaui, ita ut uix, acceptis aliquot uerberibus, manus eius effugerim, & domo mea me texerim. Etſi au*tem ipſe ſolus non fuit, tamen cum à me ſolus præ cæteris ſit agnitus, ſolum hunc in iudicium adfero, hanc inſignem petulantiam, quam in me exercuit, uindicari, ut æquũ eſt, poſtulans.* Ne *autem fictum aut falſum crimen contra hunc à me afferri putetis, affirmo, eum acerbo animo, quamuis ſine cauſa, iam diu erga me fuiſſe, & occultum quoddam odium aluiſſe: id quod multis rerum argumentis cognoſcere potui.* Q*uæſiuit enim de induſtria ſæpius rixandi occaſiones, & obtrectando apud multos infamia me aſperſit, inuidiamq; conflare ſtuduit.* Auditæ *ſunt etiam eius in me ſæpius minæ.* Abſuit *domo tum, cum hæc acta fuerunt.* Ha*buit ſecum manum petulantium & audacium iuuenũ, quorum fiducia quæuis audere potuit.* Paulo *pòſt domum redire uiſus eſt: neq; negare, credo, poterit, ſi examinetur.* Nunquid *tuam mihi non ignotam audiui uocem, cùm clamore totum illum locum, ubi hæc gerebantur, compleres? nónne tuum iſtum animum tum re ipſa experiebar, quem antè uerbis ſæpe oſtenderas?* Conuincam *te, ſi negaueris.* Nónne *uicini ſua increpatione te ab audacia deterrere conabantur? ſed tu animo furioſo nihilominus, ut cœperas, in me bacchari pergebas.* Hos *citare teſtes me poſſe profiteor, ſi teſtimonijs res agenda erit: ſed ſatis eſſe puto demonſtaſſe, te & habuiſſe in animo dudum, hac uel maiore etiam iniuria me afficere, & tum data opportu-*

Cauſa ſiue impulſio.

Signa antegreſſa.

Signa cum re cõcurrentia.

Socii & ſatellites facinoris.

Teſtes.

Epilogus.

tunitate

nitate abundè animi tui libidinem in me expleuiſſe.

Defenſio Philologi, ſeu criminis depulſio.

Maximè lætor, iudices, accuſari me apud uos, quorum integritas & ſapientia eximia perſpecta eſt & cognita omnibus. Ita enim fore confido, ne ſtatim importunis calumnijs huius aduerſarij mei opprimar, ſed ueniã à uobis mihi maximè accommodatam impetrẽ, ut quàm longè ab hoc crimine, cuius arguor, abſim, liquidò cognoſcatis. idq; ne mihi recuſetis, per Deum, & ſacroſanctam ipſius iuſtitiam uos oro. Quòd ſi nõ ita apertè uobis meam in hac parte innocentiã probauero, ut nullum crimen, nullamq; culpã in moribus & uita mea hærere deprehendatis, pro ueſtro iure ad quoduis ſuppliciũ me rapitote. Quid uero dicam, qui nullum unquam huiuſmodi crimen in animum meum induxi? nunquam ulla iniuria quenquam afficere conſueui? à quo deniq; ſcelere totus, quantus ſum, abhorreo. Quid enim me, ut id facerem, impulit? inimicitia? quã nunquam aduerſus eum ſenſi in animo meo. Num odium? At nihil eſt cur odiſſe eum debuerim, Simultas interceßit mihi cum illo nulla, non æmulatio, non lis, non ullum inuidiæ mutuæ deprehenſum eſt ueſtigium. Contrà uerò, quàm ab huius facti ſuſpicione atq; infamia alienus ſim, cùm uita mea, tum ſtudia & rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ, & in hodiernum uſque diem retentæ, abundè docere poſſunt. Fui enim doctrinæ humanitatisq; ſtudijs ſemper deditus,

Exordium a ſuo affectu & iudicum perſona.

Petitio.

Cauſa impulſiua, quæ nulla eſt in hoc crimine.

Studia contraria.

Minor ſyllogiſmi.

Digitized by Google

deditus,omneſq; anſas ocij turpis uoluptatiſq; accuratè uitaui. Norunt meas uigilias præceptores, norunt commilitones, auditus eſt ſæpius meus in optimarum artium & linguarum ſcientia profectus. Fieri autem minimè poteſt,ut animus libidini,helluationi,uoluptatibus,audaciæ, furori deditus, rectiſſimis ſtudijs, honeſtiſſimiſq; artibus ſimul uacare poſſit. Sobrietatem enim,temperantiam, caſtitatem, animi intentionẽ, & aſſiduitatẽ requirunt ſtudia noſtra: nec laudis, cõpotationibus, diſcurſationib. nocturnis aut diurnis quiſquam ſimul & doctrinæ ſtudijs ſatisfecit. Quòd ſi hac excuſatione,quæ tamẽ iuſtiſſima haberi debet, aduerſarius meus contentus non eſt: et illud addo, me ea ipſa hora,qua id factũ eſſe arguit,domi meæ lucubraſſe,nec pedem extra habitationem meam extuliſſe. Id quod atteſtabuntur quotquot mecum habitant. Non igitur me perturbat aduerſarij mei commentitia & nugatoria accuſatio,quam inuidia magis & maleuolentia,quàm ueritatis aliqua ratione inſtituit. Non .n. hæret in animo innocenti ullum conuicium,nulla iniuria,nulla fraus. Vides me animo æquo, integro & inuicto falſum tuum crimen ueritatis fundamentis conuellere,atq; conuincere te,ut crimini tuo atq; teſtimonio nihil credendũ eſſe fateare. Quare uel deſiſte ab hac calumnia,quam totam fictitiam eſſe intelligis: uel ſi mauis,falſam iſtam criminationem in caput tuum torquebo. Hæc,iudices,ſunt,quæ me abundè excuſare uobis debent: animus à ſcelere & fraude abhorrens, uita tota ſtudijs honeſtis dedita,continentia et pudor, tum

Maior.

Tempus.

Teſtes.

Signum ex animo intracto.

Epilogus cauſæ.

Apoſtrophe ad iudices, & obteſtatio cũ epilogiſmo.

Digitized by Google

pudor, tum ſigna etiam & teſtimonia omnium qui me norunt. Quod igitur ſupereſt, uos etiam atq; etiã obteſtor & oro, ut me à cotnumelioſa criminatione mei aduerſarij ueſtro æquiſsimo iudicio atq; ſententia liberetis, illi verò tam iniquo & acerbo accuſatori pœnam tanto facto dignam infligatis.

STATVS IVREDICIALIS, δικαιολογικός.

I. Cum de facto quidem conſtat, at iuſténe rectéq;, an ſecus quid factum ſit, diſceptatur, ſtatus ſit iuredicialis, Græcè ςάσις δικαιολογικὴ, conſtitutio iuredicalis, qualitatis & legitima: item πραγματικὴ ſiue negotialis, præſertim ubi, quid fieri oporteat, quæſtio eſt. Porrò iuſtúmne, an iniuſtum aliquid ſit, ſola Iuris doctrina oſtendit. Ideoq; ex legum fontibus argumenta in hac conſtitutione ſunt depromenda.

II. Diuiditur hic ſtatus in abſolutum & aſſumtiuum.

Abſolutus ſiue abſoluta qualitatis conſtitutio, ἀντίληψις Græcè, continet facti ipſius, quod in controuerſiam cadit, defenſionem: ſumiturq; defenſio ex hiſce locis.

1. Ex natura, hoc eſt, humana ratione mentibus inſita, qua iuſta ab iniuſtis diſcernimus.

2 Ex lege, quæ facienda imperat, & non facienda prohibet. huius duæ ſunt ſpecies, diuina & humana.

3 A conſuetudine ſeu more maiorum, τῷ συνήθει,

Digitized by Google

hoc eſt, eo iure, quod uoluntate omnium ſine lege uetuſtas comprobauit.

4. *Ex æquo & bono, hoc eſt, ut* Ariſtoteles *capite 13. libro* 1. Rhet. *ad* Theod. *inquit, quod præter legem ſcriptam iuſtum eſt propter circumſtantias.*

5. *Ex iudicato ſiue exemplo,* ψηφίσματι, *decreto ſimili antè in caſu ſimili facto.*

6. *Ex pacto, quòd ita placuerit uel conuenerit inter aliquos.*

Aſſumptiuus ſtatus, Græcè προσληπτικὴ στάσις, *eſt, qui non ex natura rei, ſed aliunde aſſumit aliquid defenſionis.* Eius *partes ſunt:*

1 Comparatio, ἀντίστασις, *cum reus non negat ſe facinoris eſſe autorem, ſed publicæ utilitatis cauſa ſe feciſſe affirmat.*

2 Relatio criminis, ἀντέγκλημα, *cum quid coactos aut laceßitos ab alijs nos feciſſe dicimus.*

3 Translatio, μετάστασις, *cum culpam facti à nobis in alium transmouemus.*

4 Purgatio, μετάθεσις, *cum factum concedimus, ſed cauſam transferimus in neceßitatem, imprudentiã, caſum aut fortunam.*

1 Deprecatio, συγγνώμη, *cũ factum neq; negamus, neq; defendimus: ſed ſimpliciter, ut ignoſcatur nobis, petimus.*

EXEMPLA.

Cicero *pro* Milone *defendit* Milonem, *quòd iurè occiderit* Clodium. *qua in defenſione neceſſe eſt hanc ſententiam tanquam fundamentum cauſæ & maiorem*

in ſyllo-

in ſyllogiſmo, quo tota cauſa continetur, probari: Quòd liceat aliquando interficere hominē, præſertim inſidiatorem, impunè in caſu neceßitatis. Quo pacto igitur probat?

I. *Ab exemplis ſiue iudicato:* M. Horati*us ſororem ſuam interfecit, & cædem confeſſus abſolutus eſt.*

II. A *conſuetudine ſeu more iudiciorum. Cum de homine occiſo quæritur, aut negari ſolet omnino eſſe factum, aut rectè aut iure factum eſſe defendi.*

III. *Alijs exemplis,* P. *Africani, Ahalæ,* P. *Naſicæ, &c. qui ſceleratos ciues iure interfici iudicarunt.*

IIII. Exemplo Græco Oreſtis, *qui ſapientißimæ* Palladis *ſententia à matris cæde liberatus eſt.*

V. *A lege ſcripta in duodecim tabulis per ratiocinationem:* Furem *nocturnum licet occidere per leges, atq; etiam diurnum, ſi ſe cum telo defenderit.* Igitur *& illa defenſio iuſta & neceſſaria eſt, cum ui uis illata propulſatur.* Idq; *confirmatur exemplo militis, qui in exercitu tribunum militum interfecit, cum pudicitiam ei eriperet, & à* Mario *imperatore ſcelere ſolutus eſt.*

VI. *A lege naturæ, iubente nos in inſidijs et ſummis periculis latronum atq; inimicorum omnem honeſtam rationem expediendæ ſalutis quærere.*

VII. *Iterum à legis uoce & uoluntate, quæ tacitè poteſtatem dat defendendi.*

Deinde duo præiudicia diluit: alterūm de ſenatuſconſulto, quaſi ſenatus iudicarit contra Rempub. *eſſe factā hanc cædem: alterū de inquiſitione* Pompeij *conſulis de cæde* Clodij.

Hinc minorem aggreditur, quæ eſt κρινόμενον, quòd uidelicet Clodius ſit inſidiatus. id quod confirmatur locis ſtatus coniecturalis, præmiſſa tamen iuſta narratione facti.

I. A ratiocinatione: Clodio profuit mors Milonis, non econtrà.

II. Ab impulſiua cauſa, ſcilicet odio Clodij erga Milonem.

III. A perſonarum attributis: Clodius fuit audax & improbus homo.

IIII. Iterum à ratiocinatione: Clodius habuit maiorem impunitatis ſpem.

V. A teſtibus: Te M. Cato teſtor.

VI. A facultate: Clodius ſciuit Milonem eſſe exiturum, Milo non.

VII. A teſtibus: Faſſus eſt Caßinius.

VIII. A loco & apparatu: Clodius duxit ſecum manum gladiatorum, Milo cum uxore & liberis in rheda profectus eſt.

IX. A quæſtionibus in reum: De accuſatoris ſeruis quæri, iniquum eſt.

X. A conſcientia: Milo nulla conſcientia exanimatus Romam reuertit.

Poſt hæc confutantur uariæ opiniones hominum de Milone, & intertexitur locus communis de inconſtantia fortunæ ad flectendum Pompeium, ne quid aſperius in Milonem ſtatuat.

Additur & alia defenſio cædis in ſtatu iuredicia-li, quod liceat priuatis palàm ſeditioſum occidere: comme-

commemoranturq́; prolixa coacervatione Clodij flagitia, ut ſeditioſum eum fuiſſe appareat.

Accedit comparatio, ἀντίςασις, *qua oſtenditur, quantum Reipub. hæc cædes proſit. Poſtea exemplis tyrannicidarum declaratur, Milonem non ſolùm periculo liberandum, ſed honoribus etiam ornandum eſſe. Tum per translationem oſtenditur, diuina uindicta Clodium eſſe interfectum.*

Epilogus deprecationem habet: Oro obteſtorq́; uos iudices, ut miſericordiam tribuatis Miloni fortiſſimo uiro.

Deprecationis exemplum pro Ligario.

Poſt obiurgationem Tuberonis & criminis extenuationem, cauſa tota in deprecatione collocatur:

Ad clementiam tuam confugio, delicti ueniam peto, ut ignoſcas oro. Rationes:

I. *Quia alij à te ueniam impetrarunt.*

II. *Mihi locus eſt apud te pro altero deprecandi.*

III. *Cauſa eſt pia, quam magis quàm rogantium preces ſoles ſpectare.*

IIII. *Gratum facies multis tuis neceſſarijs, beneq́; de illis omnibus mereberis.*

V. *Ipſe dixiſti, te omnes, qui contra te non eſſent, tuos putare.*

VI. *Ligarius certè uoluntate tecum fuit.*

VII. *T. Ligarius quæſtor tui ſtudioſiſſimus fuit.*

VIII. *Ignouiſti Marcello.*

IX. *Nulla uirtus nec gratior, nec admirabilior, mi-*

Digitized by Google

miſericordia eſt: nec re ulla propius ad Deũ *homines accedunt, quàm ſalutem dando hominibus.*

¶ L*ycurgus accuſat* L*eocratem perfidiæ erga patriam, quòd eam in periculis deſeruerit, ideoq́; interfici eum poſtulat.* P*rimùm igitur narrationibus & coniecturis ſufficientibus confirmat, eum eſſe deſertorem patriæ.* T*um iuſtè eum puniri probat.*

I. A *iudicato:* S*enatus in* A*reopago iuſsit interficere deſertores patriæ.* I*dem uos iudicaſtis, & populus decreuit.*

II. A *ſimili per ratiocinationem:* M*aiores capitali ſupplicio affecerunt fures et ſacrilegos. igitur & patriæ deſertores capite ſunt puniendi.*

III. A *iureiurando, quo omnes ciues obſtricti ſunt, quòd defendere & non deſerere patriam uelint.*

IIII. A*b exemplis eorum, qui pro patria fortiter dimicando mortem oppetierunt: ut* C*odrus, & alij.*

V. A *tranſlatione in prouidentiam:* D*iuinitùs ad ſupplicium retractus eſt* L*eocrates.*

VI. A *religione & pietate erga parentes & patriam, communem omnium parentem, per exempla.*

VII. A *poëtarum teſtimonijs de amore patriæ.*

VIII. A *præmijs eorum, qui patriæ ſalutem propriæ antetulerunt.*

IX. A*b exemplis punitæ perfidiæ erga patriam.*

X. A *iure naturæ, quod commune eſt cæteris etiam animantibus, uolucribus, &c.*

¶ Æ*ſchines in oratione contra* C*teſiphontem, arguit* C*teſiphontem ſcripſiſſe iniuſtum & falſum decretum*

Digitized by Google

cretum de coronando Demoſthene. idq́; his probat argumentis.

I. A legibus: Contra leges eſt, coronare ciuem, antequam rationes retulerit.

III. Iterum à legibus: Nulla eſt lex, quæ ciuilem coronam in theatro proclamari ſinat.

III. Quia falſæ laudes Demoſtheni tributæ ſunt in Cteſiphontis decreto. id quod copioſa conſiliorum & rerum eius geſtarum commemoratione declaratur.

Contrà Demoſthenes in oratione de Corona defendit, iuſtum eſſe Cteſiphontis decretum de ſe coronando, quòd bene de patria ſit meritus. idq́; fuſiſſimè per totam ferè orationem probat, quòd honeſta ſemper cõſilia dederit, etiamſi cum periculis fuerint coniuncta.

¶ Cicero. 3. Officior. grauiter diſputat, Non licere hominis incommodo ſuum augere commodum.

I. A naturæ præſcripto: Quia natura uetat aliorum ſpolijs noſtras locupletare facultates.

II. A legum uoce & conſenſu: Conſenſus legum omnium populorum uetat ſui commodi cauſa detrahere proximo.

III. A recta ratione: Recta ratio non patitur alienum appetere.

IIII. Ab antitheſi ſeu contrario: Alioqui diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maximè eſt ſecundum naturam, generis humani ſocietatem.

V. A ſimili: Si unum quodq́; membrũ ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe ualere, ſi proximi membri ualetudinem ad ſe traduxiſſet: debilitari & interire

totum corpus, neceſſe eſſet. Sic ſi unuſquiſq; noſtrûm rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahatq́; quod cuiq; poßit, emolumenti ſui gratia: ſocietas hominum & communitas euertatur, neceſſe eſt.

¶ *In* Electra *Sophoclis diſputatur, utrum iuſtius ſit matrem cum adultero* Aegyſtho *interimere, quàm turpitudinem domus diutius ferre? Ac* Electra *quidẽ perrumpendum eſſe cenſet, & finem mali faciendum.* Chryſothemis *uerò, etiamſi matris ſcelus non probet, tamen ferendam eſſe utcunq; præſentem calamitatem, ne quid deterius accidat, arbitratur. Et utrinq; rationes adferuntur.*

¶ *In* Philoctete *quæſtio eſt iuris, utrum liceat bono uiro dolis aliquando uti? Et* Vlyſſes *quidem licere exiſtimat.* Neoptolemus *uerò adoleſcens ingenuus & heroicus, ſimpliciter ueritatem ſemper eſſe dicendam iudicat. Tandem uerò controuerſia deciditur, Non eſſe contra boni uiri officium uti dolis, ubi apertè & ſimpliciter agendo, quod* Reipub. *expedit, obtineri non poteſt.*

¶ *Apud* Homerum *Iliad.α.* Agamemnon *recuſat reddere* Chryſæ Apollinis *ſacerdoti filiã* Aſtynomen, *quam* Græci *bello ceperant, &* Agamemnoni *in prædæ diuiſione tradiderant.*

Quæritur quid iuris? ſiue an rectè fecerit Agamemnon?

Reſpondeo: Non. Proba?

I. *A religione, quæ uetat iniuria afficere ſacerdotes. Nam uiolatio ſacerdotum pertinet ad* Deũ *ipſum.*

II. A *na-*

II. *A naturali æquitate, gentiumq; iure:* Offerebat λύτρον, ſiue ἄποινον, id eſt precium, quo captiui redimuntur.

III. *Ab euentu, hoc eſt, uindicta diuina.* Nam peſtis grauis immiſſa in exercitum Græcorum ſatis declarauit, Deum deteſtari impium Agamemnonis facinus.

IIII. *A iudicato:* Calchas uaticinatur peſtem non ceſſaturam, niſi puella reddatur.

Deinde Agamemnon eripit Achilli Briſeidem, quæ in diuiſione prædæ ipſi ceſſerat. Vnde grauis exacerbatio inter ipſum & Achillem exorta eſt. Quæritur, an iure id factum ſit?

Agamemnon ait, iniquum eſſe alios omnes habere præmia, ſe uerò ſolum præmio carere.

¶ Apud Plutarchum in uita Alcibiadis Anaxilaus proditionis poſtulatus Lacedæmone, quòd Byzantium duci Alcibiadi hoſti tradidiſſet, huiuſmodi apologia uſus eſt: qua nihil iniuſtè aut turpiter à ſe factum oſtendit.

I. *A natura:* Fame necare uiros, uxores & liberos, inhumanum eſt, & contra naturam. Cum igitur nihil commeatus ſupereſſet, neceßitati parendum fuit, ne naturæ ipſi bellum inferre uideremur.

II. *Ab exemplis præſtantißimis* Spartanorum, qui patriæ commodis nihil antiquius aut iſtius habuiſſent. His auditis, Spartani pudore ſuffuſi, crimine eum ſoluerunt.

AN IVLIVS CAESAR IVSTE ſit interfectus?

Exordium à reipſa, & quidem ex theſi: Immane *eſt facinus, hominem occidere: atq; adeò crudele, ut uix quicquam atrocius excogitari poßit.* Nam *qui hominem interficit, præterquam quòd iuſtitiam grauißimè uiolat, etiam creatori* Deo *inſignem iniuriam adfert.* Deſtruit *enim & abolet illius opus præſtantißimum, quod imaginem ſuam referre uoluit, & cui ſuam ſapientiam & uirtutem communicauit.* Impius *eſt etiam talis homicida erga totam naturam, & ſeipſum.* Lædit *enim naturam, cum creaturam præſtantißimam interimit: & ſibiipſi ignominiam et iniuriam infert, cum ſocietatem humanam, quam arctißimis uinculis natura colligauit, diſſoluit, & uelut in ſua ipſius membra ſæuit.* Verè *enim & piè dicitur, homines uniuerſos eſſe unum corpus firmißimè compactum, et unumquemq; huius corporis eſſe membrum.* Quare *qui hominem trucidat, is naturã ipſam lædit, & ſuum odit corpus atq; mactat.* Quod *cum ita ſit, quis non uidet quàm grauiter accuſandi ſint homicidæ, quamq; iuſtè capitis iudicio arceſſantur?* De *huius uerò grauißimi & fortißimi uiri* C. Iulij *Cæſaris cæde quid dicam?* Etenim *mea quidẽ ſentẽtia nihil ſol lucidißimus quidquam uidit unquam iniuſtius, quàm tam ſapientẽ, moderatum & præſtantẽ uirum, & (ut uerè dicam) lumen totius* Reipub. Romanæ, *tam nefariè & ſceleratè interfici.* Cum *autem authores huius cædis eò impietatis, & impudentiæ proceſſerint, ut et rectè ſe feciſſe dixerint,*

dixerint, & iurè hunc Iulium *abs ſe occiſum gloriati ſint: conabor argumentis quibuſdam ſolidis & claris oſtendere, quàm iniuſtum & crudele hoc ſit facinus, à* Bruto *et illius ſocijs deſignatum, quamq́; grauiter puniri debuerit.*

Primum argumentum, à natura, ſeu iurè diuino.

Magiſtratum *omnes nouiſtis à* Deo *eſſe ordinatum: & illius munus,* Dei *eſſe munus.* Eſt *enim* Magiſtratus *miniſter* Dei, *fungens officio illius, faciēs iuſticiam & iudicia, puniens iuſta, et præcipiens recta.* Quare *cum diuina ſorte* Magiſtratus *ſit electus, & uicarius* Dei *meritò habeatur: facilè quiuis intelligere poteſt, quàm nefariū ſit ſcelus,* Magiſtratū *lædere aut occidere.* Eſt *enim ſacroſanctus atq; inuiolabilis, iure diuino & humano.* Quòd *autem* C. Iulius Cæſar *legitimus fuerit magiſtratus, nemo, opinor, facilè negabit: ac ſi quis de eo dubitat, is duabus his rationibus conuinci & confirmari haud difficulter poteſt.* Primum *enim* Dictator *perpetuus electus eſt et nominatus, ſummaq́; attributa eſt ei poteſtas.* Deinde *geſsit etiam & præſtitit ea omnia, quæ bonum, legitimum, pium et modeſtum magiſtratum decent.* Ac *de magiſtratu illius hæc ab hiſtoricis prodita reperimus.* Cum Pompeium *iam uiciſſet, ab* Antonio *abſens creatus eſt* Dictator *in annum, ut legitimi magiſtratus nomen haberet.* Deinde *altero anno electus eſt cōſul cū* Lepido. *et iterū altero anno, cum ex bello in* Africa *aduerſus reliquias* Pōpeianas *geſto* Romā *redijſſet creatus eſt* Dictator

in annos

in annos decem. Tandem cū Hiſpaniam ſubiugaſſet, & omnes prouincias pacaſſet, domum reuerſus nouis honoribus ornatus eſt, & Dictator et Imperator perpetuus appellatus, dictusq́; ſacroſanctus & inuiolabilis, ἱερὸς καὶ ἄσυλος: ita ut ſumma uniuerſæ gubernationis poteſtas penes eum eſſet, & omnes magiſtratus in illius acta iurarēt. Ex his ſatis liquere arbitror, Iulium Cæſarem prorſus legitimū fuiſſe magiſtratum. De gubernatione uerò eius multa præclara commemorantur, omniq́; laude & prædicatione digna. Ac de moderatione illius, qua in uictoria uſus eſt, non multa dicam, cum nemini eam inauditam eſſe exiſtimem. Tā enim modeſtus ſemper fuit, ut etiam alienas uoluntates allexerit, & in tanta fortunæ proſperitate nihil unquā crudeliter egerit. Sæpe etiam Pompeio æquiſſimas conditiones pacis obtulit, & precibus eum obſecrauit, ut iracundiam deponeret, & pacem faceret: et in ipſa etiā pugna ad Pharſalum, in qua uicit Pompeium, trucidatis quindecim millibus in illius exercitu, fugientibusq́; iam & diſſipatis hoſtibus, alta uoce clamauit: MILES PARCE CIVIBVS. Hac uirtute nulla maior rebus humanis cogitari poteſt. Nam per ſe ſuperba eſt uictoria: tum etiam eos ad quos peruenit, plerunq́; inſolentiores reddit. Deinde cum tertiò iam Dictator eſſet factus, egit cenſum, conſtituit iudicia, ordinauit Senatum, & prouincijs gubernatores præfecit. Ad extremum, cū pacem iam firmaſſet, pacatis prouincijs, leges condidit, iura reſtituit, & politiam inſtaurauit: & cum anni ratio con-

fuſior eſſet, adiecit animum ad emendationem eius, & ad uerum curſum ſolis eum reuocauit: inſtituitq; de cōſilio Soſigenis, præſtantis mathematici, quē Alexandria uſq; ſecum adduxerat, hanc politici & ſolaris anni rationem, qua hactenus tota poſteritas uſa eſt. unde etiam Iulianus annus appellari conſueuit. Deniq; in tota ſua gubernatione omnia modeſtißimè egit, adeò ut ne ueſtigium quidem crudelitatis in eo unquam deprehenſum ſit. Ciues exules non ſolùm recepit, uerumetiam uerbis amicis reuocauit, & eoſdem eſſe paſſus eſt, qui antea fuiſſent: ſicut Cicero copioſè declarat in multis locis, & præſertim in oratione pro Ligario, & M. Marcello. Hæc cum ita ſint, quis legitimū magiſtratum C. Iulium Cæſarem fuiſſe dubitabit? Etenim et creatū eſſe ordine, & moderatißimè Rempub. gubernaſſe, ex his ſatis manifeſtum eſt. Quocirca iudicare facile eſt, quàm iniuſtè, quàm impiè, quàm nefariè interfectus ſit à Caßio & Bruto. Cum enim atrocißimum ſcelus non immeritò habeatur, magiſtratui uim inferre, aut quocunq; modo eum uiolare: cur non iniuſtißimos eſſe Caßium & Brutum fatebimur, quòd tam bonum, iuſtum, pium, moderatum & clementem magiſtratum, patrem patriæ, lumen Reipub. Romanæ, crudelißimè inflictis uiginti tribus uulneribus, in curia occiderunt?

A lege ſcripta.

Etſi autem nulla eſt tam barbara gens, quæ non ſæuerißimè puniendum cenſeat læſæ maieſtatis crimē: tamen etiam leges ſcriptæ cauent, ne legitimus magiſtratus

ſtratus ignominia aliqua afficiatur. Intereſt enim plurimum Reipub. conſeruari ſummorum uirorum principatum: cùm eo deleto, publicam ſalutem periclitari neceſſe ſit. Proinde grauiſsimam pœnam decernunt illi qui magiſtratum lædit, aut occidit. Ex quo ſanè intelligi par eſt, quàm iniuſtè & impiè Iulius Cæſar ſit interfectus, cum ſummum magiſtratum geſſerit.

A iudicato.

Poſſem etiam multis inſignibus declarare exemplis, quàm ſeuerè eiuſmodi uiolatores et occiſores magiſtratuũ puniti ſint in omnibus bene moratis rebuſpub. Ex quibus omnibus id efficeretur, quod maximè docere uolumus, quàm iniuſtè C. Iulius Cæſar occiſus ſit.

Ab euentu per translationem.

Quòd ſi ad euentum reſpicere uolumus, nónne ſatis uobis uidetur iniuſtè cum Cæſare eſſe actum, cum illius interfectores paulo pòſt diuinitùs ad ſuppliciũ rapti ſint, & teterrimam obierint mortem? ita enim plerunq; uſuuenire uidemus, ut ſi homines grauia delicta negligant, & homicidas punire nolint, diuina uindicta puniantur. Caſsius ſtatim tertio anno poſt interfectum Cæſarem ſibijpſi mortem conſciuit. Brutus quoq; paulo pòſt punitus multis magnis moleſtijs & calamitatibus, & de ſaluſte prorſus deſperans, à Stratone ſe occidi iuſsit. Ita iniuſtè interfectum eſſe Iuliũ, hic triſtis & tragicus exitus oſtendit: ut natura ipſa authores cædis odiſſe uideatur, eosq; uiuere amplius non ſit paſſa. Ideo diuina uindicta abrepti ſunt, & in

reprobam

reprobam adacti mentem, ut in ſua membra & uiſcera ſæuierint, & luce hac ſeſe priuauerint. Ac grauiter ſanè peccatis, ſi hæc exempla fruſtra aut temerè fieri exiſtimatis, & non diuinæ prouidentiæ adſcribitis, quæ iniuſtas cædes inultas eſſe non patitur: ſed ad commonefaciendos & abſterrendos alios, homicidas ſemper è medio tollit.

Confutatio.

At tyrannidis accuſauit Brutus C. Iulium Cæſarē, quòd bellum patriæ & ciuibus ſuis intulerit, & rempub. è ſuo ſtatu dimouerit, ſoluſq; ſumma rerum potiri uoluerit. Nemini autem ignotum eſt, tyrannos iure interfici licere: & Reipub. etiam conducere eos trucidare, ut prohibeatur iniuria, & defendatur communis ſalus. Quod cum ita ſit, haud uideo, cur non iuſtiſsimè interemptus ſit Cæſar. Obiectio.

Tyrannidis equidem Cæſarem arguere graue eſt, cùm tanta ſemper uſus ſit clementia & ſapientia. Ad bellum enim non priuata libidine aut cupidine latus eſt, ſed iuſtis impulſus cauſis. Nihil enim dubium eſt, cum in caſu defenſionis legitimæ arma primùm contra Pompeium cepiſſe: deniq; nec magiſtratum ui inuaſit. Eſt enim decreto publico electus & confirmatus, et à ſenatu inuiolabilis iudicatus. Nihil etiā in tota illa ampliſsima uictoria inſolenter aut tyrannicè egit. Quæ omnia ſatis demonſtrant, eum à tyrannide longè abfuiſſe, & iniuſtiſsimè eſſe interfectum. Solutio.

Concluſio.

Quare

Digitized by Google

Quare cum legitimam defenſionem initiò ſuſcepcrit Cæſar, & publico decreto ſummum magiſtratū geſſerit, inſigni quoq; moderatione ſemper uſus ſit, præſtiteritq; quæ bonum & iuſtum magiſtratum decent: neminem tam iniuſtum exiſtimatorem eſſe iudico, qui iurè aut rectè eum interfectum eſſe cenſeat.

EXEMPLA HVIVS CONſtitutionis ſacra ex Biblijs.

Gen.14. Abraham ſuſcipit bellum contra quatuor potentiſsimos reges, qui uictis quinq; regibus Sodomæ, ſpolia ampliſsima aſportarant. Quæritur, an iuſta hæc Abrahami fuerit defenſio?

Reſpondeo: Fuit. proboq; à natura. Nam omnis defenſio noſtri & noſtrorum iure naturæ ſeu diuino conceſſa eſt. Abraham in hac expeditione tutatus eſt fratrem ſuum Loth, quem hoſtes ſecum abduxerant. Igitur iuſtè fecit.

Obiectio.

At nullum bellum eſt iuſtū ſine uocatione. Abraham nullam habuit uocationem. Igitur iniuſtum hoc eius fuit bellum.

Reſpondeo ad minorem: Duplex cauſa fuit, quæ Abrahamum ad defendendum fratrem impulit.

I. *Pietas naturalis, & amor erga fratrem Loth, cuius ſalutem negligere nullo modo debebat, cum opitulari poſſet, præſertim cum defenſio, ut antè eſt dictum, iuſtè ſuſcipi poſſet.*

II. *Iuſſus eſt à Spiritu ſancto: id quod res ipſa fateri nos cogit. Eſt enim ſupra uires humanas, unum homi-*

hominem cum trecentis decem & octo adoleſcentibus tot tamq; potentes uictores itinere tam longo inſequi, cædere atq; fugare. Quare diuinitùs hoc factum eſſe, certum eſt.

Deinde confecto bello nihil egit contra ſuam uocationem, ſed ſua contentus ſorte, in exilio, ut antè, habitauit.

¶ Gen. 34. Simeon & Leui ui opprimunt Sichē & totam ciuitatem, quòd ui compreßiſſet Dinam ſororem. Quæritur, an legitima eorum fuerit defenſio, præſertim cum ſtupratori poſtea in uxorem Dina fuerit promiſſa?

Reſpondeo: Non. Ratio eſt:

I. A conſuetudine antiquißima, quæ poſtea in lege Moyſi eſt expreſſa. Nam qui uirginem ſtuprauit, & compenſationem offert, hoc eſt, uiciatam ducit & dotat, ut eſt 22. Exodi, puniendus amplius non eſt.

II. Quòd uerò ſtuprum Dinæ ſorori illatum ulciſci uoluerunt, in eo iuſtæ defenſionis limites tranſierunt, præſertim cū non in ipſo facto ſiue in continenti deprehenſum ſtupratorem interfecerunt. Id quod euentus etiam comprobauit. nam patrem in acerbißimum mœrorem coniecerunt, & tandem maledictionem etiam ab eo acceperunt. Deinde etiam interuenerat pactum utrinq;, de coniugio inter Sichem & Dinam, quod uiolari ſine impietate non potuit.

¶ Exodi 2. Moſes occidit Aegyptium percutientem Hebræum, qui erat ex fratribus ſuis. Quæritur, an excuſari hæc cædes poßit?

Reſpondeo: Poteſt. Probatio ſumitur.

I. A lege naturæ, quæ concedit atrocem & iniuſtã uim à ſe ſuisq; repellere in continenti, ſiue eodem loco & tempore, quo uis facta eſt, et ſeruato moderamine tutelæ inculpatæ.

II. A iudicato ſiue teſtimonio Spiritus ſancti, qui in Actis cap. 7. hoc factum Moyſi tanquam pium & iuſtum recitat.

III. Si cui uerò hæc ex iure reſponſio non ſatisfacit, is ita habeat, Heroici animi hoc fuiſſe factum, & ſupra regulam collocandum. Voluit enim Deus iam tum hoc ipſo facto quaſi quodam antegreſſo ſigno oſtendere, quòd per hunc Moyſen Ebræos ab Ægyptiorum crudelitate liberaturus eſſet.

¶ 1. Regum 21. Naboth denegat regi Achab uineam ſuam, etiamſi ille compenſationem iuſtam offerret. Quæritur, num rectè fecerit?

Reſpondeo. Ita. Ratio:

I. A iure gentium ſeu definitione dominij: Dominium eſt facultas libera de re diſponendi. Dominium eſt iuris gentium. Igitur de iure gentiũ liberam diſponendi facultatem habuit Naboth de ſuo agro.

II. A lege ſcripta: Deus Leuit. 36. diſtinguit poſſeßiones, & præcipit ne ab una tribu ad aliam fundi transferantur. Igitur lege diuina retinuit ſuum fundum Naboth.

III. Similia exempla multa reperiuntur. Virginius apud Liuium recuſat filiam ſuam Appio decemuiro iniuſtè petenti.

An

An Achab iuſtè potuerit petere?

I. A lege. 1. *Samuel.8.* Hoc *erit ius regis, qui regnabit ſuper uos, &c. agros deniq; ueſtros, uineas ueſtras, & oliueta ueſtra optima tollet, & dabit ſeruis ſuis.* Igitur *ſuo iure poſtulare potuit* Achab *uineam* Naboth.

Reſpondeo: Hic *textus eſt* ἀποφαντικός, *id eſt, facti deſcriptio ſeu caſus: non* παραινετικός, *hoc eſt, iuris præceptum, ſiue ſententia, quaſi ita fieri* Deus *uelit, aut approbaturus ſit talia regis facta: ſed quòd pœna iſta ſubditorum ſit futura, ſicut ex* Deut. 17. *patet.*

II. Ex *iure Canonico. Gratianus in decretis diſtinctione* 8. *ex Auguſtino citat hæc dicta:* Iure *humano dicitur,* H*æc uilla eſt mea,* H*æc domus mea eſt.* Item: *Tolle iura* Imp*eratorum, & quis audebit dicere,* H*æc uilla eſt mea?* Item: Per *iura* Imp*eratoribus diſponere de dominijs rerum, non ſubditis.*

Reſpondeo: Nego *conſequentiam, quia eſt fallacia ſecundum non cauſam ut cauſam.* Etiamſi *enim dominia iure humano contineantur & defendantur: tamen non contrà, ſed ſecundum leges diſponere & tueri ſubditorum bona principes decet.* Dictum *præterea* Auguſtini *ſynecdochen habet: ita enim iura humana omnia accipi* oportet, *ne naturæ & diuinum ius excludatur.* Id *quod Gratianus ipſe in loco allegato comprobat, cum inquit:* Q*uæcunq; enim uel moribus recepta ſunt, uel ſcripturis comprehenſa, ſi naturali iuri fuerint aduerſa, uana & irrita habenda ſunt.*

III. *Similia exempla*: *Iulius Cæſar Deiotaro partem regni ademit. Auguſtus Cremonenſiũ & ex parte Mantuanorum agros militibus diſtribuit.*

Reſpondeo: *Exempla ſunt diſsimilia. nam hæc loquuntur de multa. præterea non exemplis, ſed legibus eſt iudicandum.*

IIII. Ex *æquo: Attamen æquum fuiſſet* Naboth *cedere regis ſui poſtulationi, præſertim cum compenſationem iuſtiſsimam offerret. Satius eſt enim, cedere etiam de iure ſuo, quàm potentiori reſiſtere.*

Reſpondeo: Naboth *exemplum monet nos, ubi* Dei *mandatũ expreſſum habemus, ibi cedendum non eſſe, etiamſi inimici ſint capiendi omnes homines.*

In *cæteris lenis, in hoc murus ahenεus eſto.*

AN IVSTVM SIT, CENſum dare Cæſari?

Matth.22. *Phariſæi per miniſtros ſuos &* Hero*dianos hanc quæſtionẽ proponunt Chriſto*: Licet'ne *Cæſari cenſum dare, nécne?* Ad *quã Chriſtus, cognita inſcriptione numiſmatis cenſus, reſpondet affirmatiuè*: Date *Cæſari quæ ſunt Cæſaris.* Atq; *hæc eſt propoſitæ quæſtionis deciſio, quia cauſam ipſam, de qua agitur, continet.* In *huius ſententiæ explicatione primùm diligenter inueſtigandæ ſunt rationes, cur Chriſtus dare cenſum Cæſari iuſſerit: ſecundò, quæ Cæſari dari uelit.* Ita *prioris partis explicatio ex hoc iurediciali ſtatu, poſterioris ex finitiuo ſumenda erit.*

Argumenta quæ probant Cæſari cenſum dari oportere.

I. A lege

I. A lege diuina: Lex diuina iubet Magiſtratui obedire. Cæſar Romanus eſt ueſter magiſtratus. Igitur debetis illi obedientiam.

Maior teſtimonijs ſcripturæ confirmanda eſt. Minor ex inſcriptione numiſmatis patet, item ex amiſsione iuriſdictionis ſuperioris.

II. A lege naturæ: Docent etiam noticiæ natura mentibus noſtris inſitæ de officijs in uita ciuili neceſſarijs, ſubditos debere magiſtratui ſuo péndere tributũ. Vos eſtis ſubditi Cæſaris. Igitur iure etiam tenemini péndere tributum.

III. A lege ſcripta: Moyſes legislator ueſter præcipit obedientiã erga magiſtratum. Igitur ueſtris ipſorum legibus ſcriptis cenſum dare Cæſari cogimini.

IIII. A conſuetudine: Per omnes gentes hæc conſuetudo æquè cuſtoditur, ut ſubditi obtemperent magiſtratui. Quid ĩgitur uos parêre recuſabitis?

V. Ex pacto: Cenſum Cæſari promiſiſtis, cum ſubditi eius facti eſtis. Igitur iure omni péndere debetis.

VI. Ab exemplis: Abraham in Ægypto obediuit Pharaoni, & alij patres ethnicis magiſtratibus paruerunt. Igitur neq; uos obedientiam Cæſari Romano denegare poteſtis.

Hactenus, quòd magiſtratui cenſum dare oporteat, oſtenſum eſt. nunc quæ Cæſari danda ſint, ex ſtatu finitiuo docendum eſt. Cum Chriſtus iubet dare Cæſari quæ ſunt Cæſaris, obedientiam ſubditorum erga magiſtratũ legitimum flagitat. Obedientia uerò tria

EXEMPLA.

An litigatio forenſis ſit conceſſa, etſi uariè diſputari poßit, una tamen definitione res tota expediri poteſt. Inquiſitio ueritatis & iuſticiæ per legitimam partium diſputationem ſine præſtigijs ſophiſmatum, ſeruata reuerentia ordinis diuini, et ſine propriæ uindictæ cupiditate eſt conceſſa. Talis autem cum ſit forenſis litigatio, nemini dubium eſſe debet, quin omnibus Chriſtianis ſit permiſſa.

Hæc definitio ſplendidè poteſt exornari & dilatari enumeratione partium litigationis in foro, quæ ſunt: 1, Amor iuſticiæ & ueritatis in partibus ſine ſycophantia. 2, Reuerentia ordinis diuini. Nam qui litigat, ſubijcit ſe Deo et legibus. 3, Modeſtia frenans cupiditatem & proprium dolorem.

Deinde explicatione parium, ſiue ſimilium collatione, tractatio illuſtranda eſt. Vt enim aliæ partes muneris politici bonæ ſunt, & conceſſæ pijs: ut magiſtratum gerere, bellum legitimæ defenſionis cauſa ſuſcipere: ſic hæc quoq; partium diſputatio à nullo debet reprehendi.

Tertiò addantur contraria & dißimilia. Altercationes, contentiones, rixæ, iurgia, conuicia, cõtumeliæ, digladiationes, iniuriæ, priuata uindicta, & diſſenſiones iniuſtæ ſunt, & pernicioſæ priuatæ uitæ & toti Reipub.

Aliud.

An Conſtantinus Magnus pontifici Romano Syluestro donauerit primatum Eccleſiæ per totum terrarum

Digitized by Google

rum orbem, unà cum politico imperio totius Occidentis, ut in Decretis diſt. 96. ſcriptum eſt? Hæc quæſtio à multis exagitata, per definitionem cõmodiſsimè explicari poterit. Eſt enim donare ſeu tradere imperiũ, iuramento obligare ſubditos ad obediendum illi, cui imperiũ traditur. Iam huius definitionis partes, conſequentia & contraria perpende, & deprehendes, quòd minimè ad pontificem Romanum congruant.

I. Eccleſiæ uniuerſæ imperium ſiue primatum non eſſe pontifici tributum à Conſtantino, hinc patet, quòd Alexandrina, Antiochena & Hieroſolymitana Eccleſia tunc ſub Conſtantino, papæ primatum non agnouerit: ut ex Synodo Nicena manifeſtum eſt, ubi Romanus epiſcopus his prædictarum Eccleſiarum epiſcopis non modò non præfertur, ſed uix æquatur.

II. Quòd uerò imperium totius Occidentis pontifici Romano non ſit traditum, inde liquet, quia non pontifici, ſed Conſtantino & eius ſucceſſoribus omnibus paruit uſq; ad Pipinum et Carolum Magnum. nec urbis Romanæ, nedum Occidentis imperium uſurparunt epiſcopi Romani ante Bonifacium nonum, qui uixit circiter annum Chriſti 393. ut ex hiſtorijs demonſtrari euidenter poteſt.

III. Toto genere diſsident & diſcrepant inter ſe politicum imperium & Eccleſiaſticum, nec in una ſede morari poſſunt: ſicut à Chriſto accuratis limitibus, tanquam in finium regendorum iudicio diſcernuntur in hoc dicto: Reges gentium dominantur, uos autem non ſic.

Digitized by Google

De Aſtrologia.

Variæ & diſcrepantes ſemper fuerunt, & nunc ſunt de Aſtrologia opiniones alij enim prorſus tanquã incertam, uanã & impiam reiecerunt: alij uerò nimis religioſè eam coluerunt, tantumq́; illi tribuerunt, ut omnium conſiliorum factorumq́; cauſas, ſucceſſus atq; euentus ab ea pendêre ingenti opinionis errore crederent. Quoniam autem reuera quodlibet eſt, aut non eſt, nec plus uno uerum eſſe poteſt, conſequitur, de Aſtrologia quoq; unam certam & ueram eſſe ſententiam, quam tenere oportet, & reliquas eſſe falſas & repudiandas. Hæc autem qualis ſit, nulla re magis quã ex definitione cognoſci poteſt. Etſi autem Aſtronomia & Aſtrologia promiſcuè ueteribus philoſophis ſignificarint eam artẽ, quæ corporũ cœleſtium motus, uarietatem, diſtantias, interualla et magnitudines cum effectionibus eorundẽ inquirit et patefacit: tamen diſtingui tandem hæc duo doctrinarum genera cœperunt, effectumq; eſt, ut Aſtrologia hodie appelletur ea doctrina, quæ uires & effectiones ſtellarum explicat, et mutationes, quæ ex earum lumine, motu, coniunctione, obſcuratione & influentia, proficiſcuntur, prædicit. Eſtq́; adeò pars doctrinæ phyſicæ καὶ οἰωνιστικῆς, id eſt, diuinationis, quia de futuris euentibus in hac elementari regione, & animantium corporibus diuinat: ceu ſunt uariæ cõmutationes aëris, tempeſtates, ſiccitas, frigiditas, pluuiæ, inundationes, fulmina, uenti, terræmotus, eclipſes, cometæ, terræ fœcunditas atq; ſterilitas, peſtis, morbi, bella, ſeditiones, et alia mala. Ex hac

deſcri-

Digitized by Google

deſcriptione manifeſtum eſt, Aſtrologiam bonam, utilem, honorandam, & ſtudioſè colendam eſſe. Si uerò adhuc dubitas, utrum omnis Aſtrologia probanda ſit, nécne: partes eius expone, & planum fiet, quatenus probari aut improbari eam oporteat.

Genera prædictionum Aſtrologicarum duo ſunt. Quædam enim ſunt phyſicæ, ſiue naturales, quæ ex aſtris, tanquã ex cauſis in natura ordinatis ſiue ſignis præcedentibus, eodemq́; modo ſe habentibus, artificioſa ratiocinatione futuros effectus ſiue euentus in aëre & temperamentis corporum elementariorum patefaciunt.

Aliæ uerò ἀνωντιολογητοι, *ſuperſtitioſæ ſunt, non ex cauſis ſiue ſignis in natura ordinatis ductæ, ſed horribili audacia diaboli & ingeniorum humanorum confictæ & excogitatæ: cuiuſmodi ſunt hariolorum uaria ſomnia de uitæ conditione, euentis & diuturnitate: item commentum anile & ſuperſtitioſum illorũ qui omnia bona & mala ab aſtris pendêre opinantur, nec quicquam ſine diuinatione agendum aut tentandũ cenſent: omnesq́; deniq; præſtigiæ magorum, auguria, & id genus alia.*

Iam hæc ſuperſtitioſa & fanatica ab Aſtrologia ſepara, & uidebis Aſtrologiam per ſe quidem utilem & neceſſariam eſſe rebus humanis: ſed per accidens, hoc eſt propter multiplicem hominum abuſum in perniciem multorum conuerti.

Aliud exemplum.

Diſputatur, an bona opera ſint neceſſaria ad ſalutem.

tem. Hæc diſputatio tum demum rectè cognoſcetur, & iudicabitur, cum definitiones ſingulorum uocabulorum diligenter examinaueris.

Definitio bonorum operum.

Sophiſtæ olim, ut Thomas, Gabriel, et Scotus, multiplicia commenti ſunt bona opera, de congruo, condigno & ſupererogationis, eaq; dixerunt concurrere cum Chriſti merito: ac poſſe hominem ſuis uiribus naturalibus elicere charitatem Dei, apertè Scotus affirmauit.

Ανθοϱισμὸς, id eſt, aduerſaria definitio. At Scriptura ſancta ſic bona opera definit, ut ſint opera certo & expreſſo uerbo Dei mandata, quæ prælucente fide in Chriſtum fiunt, in hunc finem, ut Deus glorificetur, & proximo inſeruiatur.

Definitio ſalutis.

Salus in ſcriptis Apoſtolicis eſt remiſſio peccatorum, reconciliatio cum Deo, iuſtitia, gloria & uita æterna, gratis propter Chriſtum tributa.

Has definitiones ſi inter ſe contuleris, apertè uidebis bona opera ad ſalutem nihil cõferre, quòd tum demum, cum ſalus per Chriſtum accepta eſt, hoc eſt, perſona per Chriſtum iuſta coram Deo facta eſt, bona opera fiant: nec tamen eò, ut aliquid conferant ad ſalutem, ſed ut Deus honore afficiatur, & proximus iuuetur.

Deinde, ſi neceſſarij definitionem adieceris, planius adhuc fiet, nullatenus neceſſaria eſſe opera bona ad ſalutem.

Definitio

Digitized by Google

Definitio neceſſarij.

Neceſſarium eſt, quodcunq; Deus ſanciuit, ita ut mutari non poßit: cuiuſq; oppoſitum, niſi à Deo ipſo mutetur, dari non poteſt.

Aliud abſolutè aut ſimpliciter dicitur neceſſariũ, cuius oppoſitum ſi datur, contradictionis implicatio ſequitur. Alia eſt neceßitas finis, ſiue conditionis, ſine qua finem conſequi nequeas. Tertiò dicitur etiam neceſſarium, quod ui impulſi aut coacti fecimus.

Iam patet, neq; neceßitate abſoluta neceſſaria eſſe opera noſtra ad ſalutem: quia oppoſitum non eſt impoßibile, ſed potius uerbo Dei ſtabilitum. ut Rom. 4. Ei qui non operatur, ſed credit in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides ſua ad iuſticiam. Neq; etiam finis ratione neceſſaria ad ſalutem poſſunt eſſe bona opera, quia ſequeretur, abſq; his non poſſe æternam ſalutem haberi: quod quàm falſum ſit, antea eſt demonſtratum. Coactionis neceßitatem excludit Pauli dictum Rom. 8. Non accepimus ſpiritum ſeruitutis iterum ad timorem, &c.

Relinquitur ergo, ad ſalutem bona opera non eſſe neceſſaria: quamuis interim neceſſaria ſint in iuſtificatis bona opera, tanquam effectus, qui iuſtificationem neceſſariò ſequitur. Etſi enim à ſalute ſiue iuſtificatione ſeparantur, ſicut reuera meritum à gratia ſeiungi neceſſe eſt: tamen gratiam ſiue ſalutem comitantur & ſequuntur neceſſariò, propter cauſas quas uerbum Dei recitat. Hinc uerè dicitur, confeßionem & alia opera bona in renatis eſſe neceſſaria ad ſalutem: uerum

Digitized by Google

III. *Similia exempla*: *Iulius Cæſar Deiotaro partem regni ademit. Auguſtus Cremonenſiũ & ex parte Mantuanorum agros militibus diſtribuit.*

Reſpondeo: *Exempla ſunt diſsimilia. nam hæc loquuntur de multa. præterea non exemplis, ſed legibus eſt iudicandum.*

IIII. *Ex æquo*: *Attamen æquum fuiſſet Naboth cedere regis ſui poſtulationi, præſertim cum compenſationem iuſtiſsimam offerret. Satius eſt enim, cedere etiam de iure ſuo, quàm potentiori reſiſtere.*

Reſpondeo: *Naboth exemplum monet nos, ubi Dei mandatũ expreſſum habemus, ibi cedendum non eſſe, etiamſi inimici ſint capiendi omnes homines.*

In cæteris lenis, in hoc murus ahenus eſto.

AN IVSTVM SIT, CENſum dare Cæſari?

Matth.22. Phariſæi per miniſtros ſuos & Herodianos hanc quæſtionẽ proponunt Chriſto: Licet'ne *Cæſari cenſum dare, nécne? Ad quã Chriſtus, cognita inſcriptione numiſmatis cenſus, reſpondet affirmatiuè*: Date *Cæſari quæ ſunt Cæſaris.* Atq; *hæc eſt propoſitæ quæſtionis deciſio, quia cauſam ipſam, de qua agitur, continet.* In *huius ſententiæ explicatione primùm diligenter inueſtigandæ ſunt rationes, cur Chriſtus dare cenſum Cæſari iuſſerit: ſecundò, quæ Cæſari dari uelit.* Ita *prioris partis explicatio ex hoc iurediciali ſtatu, poſterioris ex finitiuo ſumenda erit.*

Argumenta quæ probant Cæſari cenſum dari oportere.

I. A lege

I. *A lege diuina*: *Lex diuina iubet* Magiſtratui *obedire. Cæſar* Romanus *eſt ueſter magiſtratus*. Igi*tur debetis illi obedientiam.*

Maior teſtimonijs ſcripturæ confirmanda eſt. Minor ex inſcriptione numiſmatis patet, item ex amißione iuriſdictionis ſuperioris.

II. *A lege naturæ*: Docent *etiam noticiæ naturæ mentibus noſtris inſitæ de officijs in uita ciuili neceſſarijs, ſubditos debere magiſtratui ſuo pendere tributū.* Vos *eſtis ſubditi Cæſaris.* Igitur *iure etiam tenemini pendere tributum.*

III. *A lege ſcripta*: Moyſes *legislator ueſter præcipit obedientiā erga magiſtratum.* Igitur *ueſtris ipſorum legibus ſcriptis cenſum dare Cæſari cogimini.*

IIII. *A conſuetudine*: Per *omnes gentes hæc conſuetudo æquè cuſtoditur, ut ſubditi obtemperent magiſtratui. Quid igitur uos parêre recuſabitis?*

V. *Ex pacto*: Cenſum *Cæſari promiſiſtis, cum ſubditi eius facti eſtis.* Igitur *iure omni pendere debetis.*

VI. *Ab exemplis*: Abraham *in Ægypto obediuit Pharaoni, & alij patres ethnicis magiſtratibus paruerunt.* Igitur *neq; uos obedientiam Cæſari* Romano *denegare poteſtis.*

Hactenus, *quòd magiſtratui cenſum dare oporteat, oſtenſum eſt. nunc quæ Cæſari danda ſint, ex ſtatu finitiuo docendum eſt.* Cum *Chriſtus iubet dare Cæſari quæ ſunt Cæſaris, obedientiam ſubditorum erga magiſtratū legitimum flagitat.* Obedientia *uerò tria*

complectitur: honorem ſeu metum & reuerentiam: laborem, id eſt, opera militiæ togatæ & bellicæ: & tributum ſeu cenſum ad conſeruationem publicorum miniſteriorum. Hæc igitur omnia tribuenda ſunt magiſtratui, nec Iudæi *ſuo magiſtratui* Romano *Cæſari recuſare debebant.* Ex *quo concidunt omnia argumenta* Iudæorum *quæ erroris opinione de libertate & iuribus templi confinxerant.* Nulla *enim lex, neq; diuina, neq; humana, tollit obedientiam magiſtratus legitimi, niſi contraria religioni præcipiat.*

Hæc *exempla ideo accumulaui, ut habeant, in quo exerceantur,* Rhetoricæ *ſtudioſi.* Licebit *autem uel ex uno, uel pluribus, uel omnibus huius ſtatus locis argumenta ducere.*

STATVS LEGALIS, νομικός.

L*Egalis conſtitutionis, quæ & legitima dicitur, ſex numerantur partes ſiue ſpecies.*

I. *Definitio.*
II. *Ambiguum.*
III *Scriptum & uoluntas.*
IIII. Ἀντινομία.
V. *Tranſlatio.*
VI. *Ratiocinatio.*

Cicero *in* Partitionibus *tres tantum recitat, autor ad* Herennium *quinq;, ſola ratiocinatione omiſſa.* Veruntamen *cum horũ omnium ſtatuum uſus ſit, omnes ſex retinere prodeſt.* Nam *ad* Ambiguum *ſtatum ratiocinatio etiam referri debet.*

STATVS

STATVS DEFINITIVVS
ςάσις ὁρικὴ ſiue ὁριςικὴ.

I. *Sæpe difficiles & arduæ controuerſiæ exiſtere ſolent, cũ, quid ſit illud de quo diſputatur, aut quo uerbo appellandum ſit contenditur.* Et *contrà, multæ magnæ diſputationes deciduntur, cum res aut uerbum illud, quod cauſam facit, lucida & propria definitione explicatur.* Etſi *autẽ ſuprà in genere* Didaſcalico *modus dicendi & explicandi res per definitionem expoſitus ſit: tamen hoc loco de definitione iterũ agendum eſt, ut quo pacto controuerſias ex propria rei cuiuſq; deſcriptione iudicari oporteat, planius intelligi poſſit.*

II. Definitio *autem hoc loco non planè eadem eſt quæ in* Dialectica, *ſed deſcriptio & explicatio ſiue expolitio, conſtans enumeratione & explicatione copioſa & ornata, cum uocabulorum & nominum interpretatione, antecedentium, conſequentium, partium, contrariorum, diſsimilium, parium.* Eſtq; *patefactio, ut* Cicero *inquit, quaſi rerũ opertarum, qua quid quidq; ſit aperitur.*

III. Porrò *cũ de definitione diſceptatio eſt, et alius aliud defendit, duæ definitiones exiſtunt: quarum prior* ὅρ❧ *Græcis appellatur, altera* ἀνθορισμὸς, *id eſt, aduerſaria definitio.* Nam *unam oportet refelli, ut altera defendi atq; conſtare poſsit: quod ita fieri commodiſsimè poterit, ſi oſtendas, contrariam definitionem aut falſam eſſe, infirmam, abſurdam, aut inutilem, aut iniquam & turpem.*

Digitized by Google

EXEMPLA.

An litigatio forenſis ſit conceſſa, etſi uariè diſputari poßit, una tamen definitione res tota expediri poteſt. Inquiſitio ueritatis & iuſticiæ per legitimam partium diſputationem ſine præſtigijs ſophiſmatum, ſeruata reuerentia ordinis diuini, et ſine propriæ uindictæ cupiditate eſt conceſſa. Talis autem cum ſit forenſis litigatio, nemini dubium eſſe debet, quin omnibus Chriſtianis ſit permiſſa.

Hæc definitio ſplendidè poteſt exornari & dilatari enumeratione partium litigationis in foro, quæ ſunt: 1, Amor iuſticiæ & ueritatis in partibus ſine ſycophantia. 2, Reuerentia ordinis diuini. Nam qui litigat, ſubijcit ſe Deo et legibus. 3, Modeſtia frenans cupiditatem & proprium dolorem.

Deinde explicatione parium, ſiue ſimilium collatione, tractatio illuſtranda eſt. Vt enim aliæ partes muneris politici bonæ ſunt, & conceſſæ pijs: ut magiſtratum gerere, bellum legitimæ defenſionis cauſa ſuſcipere: ſic hæc quoq; partium diſputatio à nullo debet reprehendi.

Tertiò addantur contraria & diſsimilia. Altercationes, contentiones, rixæ, iurgia, conuicia, cõtumeliæ, digladiationes, iniuriæ, priuata uindicta, & diſſenſiones iniuſtæ ſunt, & pernicioſæ priuatæ uitæ & toti Reipub.

Aliud.

An Conſtantinus Magnus pontifici Romano Syl-ueſtro donauerit primatum Eccleſiæ per totum terra-

rum

Digitized by Google

rum orbem, unà cum politico imperio totius Occidentis, ut in Decretis diſt. 96. ſcriptum eſt? Hæc quæſtio à multis exagitata, per definitionem cõmodiſſimè explicari poterit. Eſt enim donare ſeu tradere imperiũ, iuramento obligare ſubditos ad obediendum illi, cui imperiũ traditur. Iam huius definitionis partes, conſequentia & contraria perpende, & deprehendes, quòd minimè ad pontificem Romanum congruant.

I. Eccleſiæ uniuerſæ imperium ſiue primatum non eſſe pontifici tributum à Conſtantino, hinc patet, quòd Alexandrina, Antiochena & Hieroſolymitana Eccleſia tunc ſub Conſtantino, papæ primatum non agnouerit: ut ex Synodo Nicena manifeſtum eſt, ubi Romanus epiſcopus his prædictarum Eccleſiarum epiſcopis non modò non præfertur, ſed uix æquatur.

II. Quòd uerò imperium totius Occidentis pontifici Romano non ſit traditum, inde liquet, quia non pontifici, ſed Conſtantino & eius ſucceſſoribus omnibus paruit uſq; ad Pipinum et Carolum Magnum. nec urbis Romanæ, nedum Occidentis imperium uſurparunt epiſcopi Romani ante Bonifacium nonum, qui uixit circiter annum Chriſti 393. ut ex hiſtorijs demonſtrari euidenter poteſt.

III. Toto genere diſſident & diſcrepant inter ſe politicum imperium & Eccleſiaſticum, nec in una ſede morari poſſunt: ſicut à Chriſto accuratis limitibus, tanquam in finium regendorum iudicio diſcernuntur in hoc dicto: Reges gentium dominantur, uos autem non ſic.

De Aſtrologia.

Variæ & diſcrepantes ſemper fuerunt, & nunc ſunt de Aſtrologia opiniones alij enim prorſus tanquã incertam, uanã & impiam reiecerunt: alij uerò nimis religioſè eam coluerunt, tantumq́; illi tribuerunt, ut omnium conſiliorum factorumq́; cauſas, ſucceſſus atq; euentus ab ea pendêre ingenti opinionis errore crederent. Quoniam autem reuera quodlibet eſt, aut non eſt, nec plus uno uerum eſſe poteſt, conſequitur, de Aſtrologia quoq; unam certam & ueram eſſe ſententiam, quam tenere oportet, & reliquas eſſe falſas & repudiandas. Hæc autem qualis ſit, nulla re magis quã ex definitione cognoſci poteſt. Etſi autem Aſtronomia & Aſtrologia promiſcuè ueteribus philoſophis ſignificarint eam artẽ, quæ corporũ cœleſtium motus, uarietatem, diſtantias, interualla et magnitudines cum effectionibus eorundẽ inquirit et patefacit: tamen diſtingui tandem hæc duo doctrinarum genera cœperunt, effectumq; eſt, ut Aſtrologia hodie appelletur ea doctrina, quæ uires & effectiones ſtellarum explicat, et mutationes, quæ ex earum lumine, motu, coniunctione, obſcuratione & influentia, proficiſcuntur, prædicit. Eſtq́; adeò pars doctrinæ phyſicæ ϰ὚ οἰωνιστικῆς, *id eſt, diuinationis, quia de futuris euentibus in hac elementari regione, & animantium corporibus diuinat: ceu ſunt uariæ cõmutationes aëris, tempeſtates, ſiccitas, frigiditas, pluuiæ, inundationes, fulmina, uenti, terræmotus, eclipſes, cometæ, terræ fœcunditas atq; ſterilitas, peſtis, morbi, bella, ſeditiones, et alia mala. Ex hac deſcri-*

Digitized by Google

deſcriptione manifeſtum eſt, Aſtrologiam bonam, utilem, honorandam, & ſtudioſè colendam eſſe. Si uerò adhuc dubitas, utrum omnis Aſtrologia probanda ſit, nécne: partes eius expone, & planum fiet, quatenus probari aut improbari eam oporteat.

Genera prædictionum Aſtrologicarum duo ſunt. Quædam enim ſunt phyſicæ, ſiue naturales, quæ ex aſtris, tanquã ex cauſis in natura ordinatis ſiue ſignis præcedentibus, eodemq́; modo ſe habentibus, artificioſa ratiocinatione futuros effectus ſiue euentus in aëre & temperamentis corporum elementariorum patefaciunt.

Aliæ uerò ἀναιτιολογητοὶ, ſuperſtitioſæ ſunt, non ex cauſis ſiue ſignis in natura ordinatis ductæ, ſed horribili audacia diaboli & ingeniorum humanorum confictæ & excogitatæ: cuiuſmodi ſunt hariolorum uaria ſomnia de uitæ conditione, euentis & diuturnitate: item commentum anile & ſuperſtitioſum illorũ qui omnia bona & mala ab aſtris pendêre opinantur, nec quicquam ſine diuinatione agendum aut tentandũ cenſent: omnesq́; deniq; præſtigiæ magorum, auguria, & id genus alia.

Iam hæc ſuperſtitioſa & fanatica ab Aſtrologia ſepara, & uidebis Aſtrologiam per ſe quidem utilem & neceſſariam eſſe rebus humanis: ſed per accidens, hoc eſt propter multiplicem hominum abuſum in perniciem multorum conuerti.

Aliud exemplum.

Diſputatur, an bona opera ſint neceſſaria ad ſalutem.

Digitized by Google

tem. Hæc diſputatio tum demum rectè cognoſcetur, & iudicabitur, cum definitiones ſingulorum uocabulorum diligenter examinaueris.

Definitio bonorum operum.

Sophiſtæ olim, ut Thomas, Gabriel, et Scotus, multiplicia commenti ſunt bona opera, de congruo, condigno & ſupererogationis, eaq; dixerunt concurrere cum Chriſti merito: ac poſſe hominem ſuis uiribus naturalibus elicere charitatem Dei, apertè Scotus affirmauit.

Ανθοριcμὸς, id eſt, aduerſaria definitio. At Scriptura ſancta ſic bona opera definit, ut ſint opera certo & expreſſo uerbo Dei mandata, quæ prælucente fide in Chriſtum fiunt, in hunc finem, ut Deus glorificetur, & proximo inſeruiatur.

Definitio ſalutis.

Salus in ſcriptis Apoſtolicis eſt remiſſio peccatorum, reconciliatio cum Deo, iuſtitia, gloria & uita æterna, gratis propter Chriſtum tributa.

Has definitiones ſi inter ſe contuleris, apertè uidebis bona opera ad ſalutem nihil cõferre, quòd tum demum, cum ſalus per Chriſtum accepta eſt, hoc eſt, perſona per Chriſtum iuſta coram Deo facta eſt, bona opera fiant: nec tamen eò, ut aliquid conferant ad ſalutem, ſed ut Deus honore afficiatur, & proximus iuuetur.

Deinde, ſi neceſſarij definitionem adieceris, planius adhuc fiet, nullatenus neceſſaria eſſe opera bona ad ſalutem.

Definitio

Digitized by Google

Definitio neceſſarij.

Neceſſarium eſt, quodcunq; Deus ſanciuit, ita ut mutari non poßit: cuiusq; oppoſitum, niſi à Deo ipſo mutetur, dari non poteſt.

Aliud abſolutè aut ſimpliciter dicitur neceſſariũ, cuius oppoſitum ſi datur, contradictionis implicatio ſequitur. Alia eſt neceßitas finis, ſiue conditionis, ſine qua finem conſequi nequeas. Tertiò dicitur etiam neceſſarium, quod ui impulſi aut coacti fecimus.

Iam patet, neq; neceßitate abſoluta neceſſaria eſſe opera noſtra ad ſalutem: quia oppoſitum non eſt impoßibile, ſed potius uerbo Dei ſtabilitum. ut Rom. 4. Ei qui non operatur, ſed credit in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides ſua ad iuſticiam. Neq; etiam finis ratione neceſſaria ad ſalutem poſſunt eſſe bona opera, quia ſequeretur, abſq; his non poſſe æternam ſalutem haberi: quod quàm falſum ſit, antea eſt demonſtratum. Coactionis neceßitatem excludit Pauli dictum Rom. 8. Non accepimus ſpiritum ſeruitutis iterum ad timorem, &c.

Relinquitur ergo, ad ſalutem bona opera non eſſe neceſſaria: quamuis interim neceſſaria ſint in iuſtificatis bona opera, tanquam effectus, qui iuſtificationem neceſſariò ſequitur. Etſi enim à ſalute ſiue iuſtificatione ſeparantur, ſicut reuera meritum à gratia ſciungi neceſſe eſt: tamen gratiam ſiue ſalutem comitantur & ſequuntur neceſſariò, propter cauſas quas uerbum Dei recitat. Hinc uerè dicitur, confeßionem & alia opera bona in renatis eſſe neceſſaria ad ſalutem: uerum

Digitized by Google

uerum non tanquam cauſa ſalutis, ſed tanquam effectus neceſſariò ſequens iuſtificationem: perinde ut motus ad uitam eſt neceſſarius, quamuis non ſit cauſa uitæ, ſed effectus Longè enim aliud eſt cauſa, quàm id quod cauſam tanquam effectus neceſſarius ſequitur.

AMBIGVVM, ΑΜΦΙΒΟΛΙΑ.

I. Ambigui ſtatus tunc exiſtit, cum in uerbis uel in rebus aliqua eſt obſcuritas, quæ uarias interpretationes admittere uidetur.

II. In uerborum ambiguorum interpretatione danda eſt opera, ut propria & natiua ſignificatio eruatur ex grammatica phraſi, figura, & communi uſu eorũ qui rectè locuti ſunt aut loquuntur, ſicut hæc communis iuriſperitorum ſententia monet: Verba debent intelligi ſecundum communem uſum loquendi.

III. Verba oportet accipi & interpretari ſecundũ res, quarum ſunt uerba. Sunt enim uerba notæ rerum. & uериſsimè dixit Ariſtoteles: οἱ λόγοι ἀληθεῖς ὥσπερ τὰ πράγματα. Item: Verba ſunt intelligenda ſecundum ſubiectam materiam.

IIII. In rerum autem dubiarum interpretatione hæc tenenda ſunt.

1 Sententia ex uerbis ipſis, quantum fieri poteſt, inueſtiganda & depromenda eſt, ſicut monet Iuriſc. ſententia: A propria uerborum ſignificatione in dubio non eſt recedendum.

2 Cum uerba nimis ſunt generalia, quærendus eſt ſenſus, qui ueritati, utilitati & honeſtati maximè congruit.

Digitized by Google

gruit. Hinc Iuriſconſulti præcipiunt, uerba ad intellectum poßibilem eſſe referenda, & in potentiori ſignificato intelligenda.

3 Sententia percepta & cognita, de uerbis non anxiè eſt inquirendum. Rebus enim intellectis, in uerborum uſu faciles eſſe debemus, auctore Cic. decetq; ſemper res magis quàm uerba ſpectare. Nec rarò illud euenit, ut dùm uerba ſtrictè ſequimur, ſenſum ueritatis amittamus.

4 Sententia autoris non ex ſingulis uerbis, ſed ex perpetua orationis ſerie, & dextra membrorum & textuum collatione, aut apertioribus locis eſt æſtimanda. debetq; in hoc interpretationis genere illud Tertulliani ualere: Oportet ſecundum plura intelligi pauciora.

EXEMPLA.

Semper graues fuerunt concertationes de dicto Chriſti: Si uis ingredi in uitam, ſerua mandata. Magna enim pars interpretatur de impletione legis per propria opera. Verùm cum hic intellectus ſit impoßibilis, quandoquidem nemo legem ſeruat, & ne poteſt quidem, ſicut Rom. 8. ſcribitur: alia interpretatio quærenda eſt, quæ ſumitur ex perpetua ſerie concionũ propheticarum & apoſtolicarum. Dicimus igitur, Seruare mandata Dei nihil eſſe aliud, quàm credere in Chriſtum, & in fide Deo obedire. Huic.n. omnes prophetæ teſtimoniũ perhibent, quòd remißionem peccatorũ per nomen eius accepturus ſit, quiſquis crediderit in eum:

in eum: Acto. 10. Huic interpretationi adſtipulatur Ireneus pagina 214. Credere Deo, eſt facere eius uoluntatem.

Matth. 1. ſcribitur: Non cognouit eam, donec peperit. Hîc multi diſputant, utrũ perpetuò uirgo manſerit mater Domini, an uerò poſt editum Chriſtum coniugali conſuetudine uſa ſit. Sed hanc dubitationem omnẽ tollit particulæ Donec interpretatio, qua phraſi Hebraica perpetuitatem ſignificari certum eſt. Quo modo etiam Lucæ 21. accipienda eſt: Et Hieruſalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tẽpora gentium. Prædicit enim Chriſtus, Hieruſalem perpetuò fore uaſtam.

Certatum eſt uehementer de hoc dicto: Fruſtra ſeruat Euangelium, qui non ſeruat Canones. Nonnulli ad pontificum decreta ſtabilienda transferunt, eorũq; autoritatem non minorem quàm ipſius uerbi diuini eſſe exiſtimant. Sed quia hæc interpretatio intoleranda eſt, oportet commodiorem ex ueteri conſuetudine loquendi petere. Certum eſt autem, canones initiò dictas fuiſſe ſententias ſiue decreta ſynodorũ de dogmatibus legitimis in ſynodis facta, & cum uerbo Dei & fidei noſtræ articulis congruentia. Atq; ſic interpretatum eſſe Rodolphum, acerrimi iudicij & omni doctrina eruditũ uirum, D. Philip. ſcribit in epiſtola ad Aemſtelredanum. Affirmat etiam Auguſtinus ad Creſconium libro 2. capite 31, Canonem Eccleſiaſticũ conſtitutum eſſe, & prophetica & apoſtolica ſcripta in eum relata eſſe, ut ſecundùm hæc de omni doctrina

cum

Digitized by Google

cum fidelium, tum infidelium iudicetur. Idemq́; dixit, cum Cypriani autoritas obijceretur, ſe epiſtolas Cypriani non habere ut Canonicas, ſed eas ex canonicis conſiderare. Iniquum enim eſt, commenta ſiue traditiones hominum æternæ Dei ſapientiæ & ſanctiſſimo eius uerbo æquare uelle.

SCRIPTVM ET VOLVNTAS,
ῥητὸν καὶ διάνοια.

I. Scriptum, τὸ ῥητὸν, uocamus, cum ſimplicem atque natiuam uerborum poteſtatem atq; ſignificationem ſequimur. Voluntas ſiue ſententia eſt, cum à uerborum proprietate receditur, & quid autor ſenſerit aut uoluerit, conſideratur.

II. In omni autem interpretatione ſcripti primùm uerba accuratè expendenda & ponderanda ſunt, & quantum per ueritatem, utilitatem & honeſtatem licet, illis inhærendum eſt.

III. Vbi uerò uerba propriè accepta abſurditatem aliquam manifeſtam, aut turpitudinem & incommodum ſecum trahunt, deflectendum eſt ad διάνοιαν, & quærenda uoluntas, mens et ſententia autoris, congruens cum ueritate, honeſtate & utilitate. Neq; aliter admittenda eſt, niſi cum ueritate, utilitate & honeſtate conſentiat. Ab his quicquid diſcrepat, tanquam iniquum, turpe, falſum & pernicioſum eſt reijciendum. Digna eſt memoria iuriſconſ. ſententia, in lege Scire oportet. D. de accuſatione tutor. Vbicunque ex uerbis ſimpliciter intellectis reſultaret iniquitas, tunc à uerbis receditur, & mens ſeruatur. Cicero pro Cecinna

N ſic

Digitized by Google

ſic de uoluntate ſcribit: Quæ lex, inquit, quod ſenatuſconſultum, quod magiſtratus edictum, quod fœdus aut pactio, quod (ut ad res priuatas redeam) teſtamentum, quæ iudicia aut ſtipulationes, aut pacti & conuenti formula non infirmari aut conuelli poteſt, ſi ad uerba rem deflectere uelimus: conſilium autem eorum qui ſcripſerunt, & rationem & autoritatem relinquimus? Et Iuriſconſulti dicunt, in legem eum committere, qui uerba legis amplexus, contra legis nitatur uoluntatem. c. de legibus.

EXEMPLVM.

Paulus paßim præcipit exuere ueterem hominem, & induere nouum. Hîc ſi uerborum proprietate retenta, exiſtimare uelis, hominis ſubſtantiam mutari oportere, abſurdum ſequitur. Non enim occidi hominem oportet, & alium denuò naſci ex parentibus naturalibus, ut Nicodemus opinabatur. Ideoq; ex phraſi Scripturæ, & præſertim concionum Pauli, ſententia concinna eſt petenda, quæ congruat cum fundamento, hoc eſt, cum fidei noſtræ articulis. Vult igitur Paulus, non quidem ſubſtantiæ ipſius, ſed qualitatum fieri in nobis mutationem: quod tum fit, cum Spiritui ſancto nouam lucem & nouos motus accendenti obtemperamus. Vetus enim homo eſt, qui uitam uiuit naturalem ſine luce uerbi Dei, & ſine Spiritu ſancto: nouus uerò, qui per uerbum & Spiritum ſanctum renouatus eſt, & Deo incipit obedire. Hæc interpretatio ἐκ τῆς διανοίας ſumta eſt, quia congruit cum doctrina uera de iuſtificatione & renouatione, habet etiam

teſtimo-

Digitized by Google

teſtimoniū Tertulliani et Chryſoſtomi: quorum prior in libro de reſurrectione carnis inquit, hominis uetuſtatem & nouitatem non ad ſubſtantialem, ſed ad moralem differentiam pertinere. Alter uerò Chryſoſtomus cap. 4. ad Eph. ait, ſubiectum quidem ueteris & noui hominis idem eſſe, ſed fieri mutationem ſecundum accidens.

EXEMPLVM, IN QVO EST DISCEptatio ex iuris & æquitatis contentione: utrum ſcilicet iuris potior, quàm æquitatis ratio ſit habenda, nec ne?

Cauſæ conſtitutio.

Textus eſt in l. 4. D. ſi tab. teſt. quòd adoptiui poſt emancipationem liberorum nomen amittant. Iam Curius filiam quæ adoptiua fuit, poſt emancipationem in animo habet ducere. Quæritur, an liceat? Reſpondeo: Per ius quidem licet, quia perſona emancipata extranea intelligitur: ſed non fert æquitas, ut quam pro filia antè habueris, poſtea uxorem ducas, ne eadem uxor & filia eſſe uideatur. Quæritur, utrius ratio potior habenda ſit? Reſpondeo: Aequitatis. Maiorem enim pudoris, quàm eius quod licet, rationem habere decet: nec tam quid liceat, quàm quid honeſtum ſit, ſpectandum eſt. Læditur præterea huiuſmodi matrimonio non parum exiſtimatio: uideri enim poterit Curius ideo emancipaſſe, ut uxorem ducere poſſet.

Aliud.

Lex eſt: Paterfamiliâs liberorum ſuorum auctor

eſto. Iam uerò conſtat, furioſi nullam eſſe auctoritatem. Quare ſi filia eius nupſerit, quæritur, an iuſtæ ſint illæ nuptiæ? Hîc ſi τὸ ῥητὸν, hoc eſt, ipſa legis uerba ſpectas, non erunt tales nuptiæ licitæ atq; ratæ: quia cum lex non diſtinguat, in genere de quouis patre intelligenda eſt, ſiue ſanæ mentis ſit, ſiue furioſus. Reſpondeo: Cum uerba legis ſenſum duriorem pariunt, non ab illis, ſed à mente legia ſtandum eſt. Non enim per τὸ ῥητὸν nubere unquam furioſi filiæ liceret.

ANTINOMIA, LEGES contrariæ.

Contrariarum legum ſtatus complectitur controuerſias, quæ ex legibus, pactionibus, conuentis, ſtipulationibus & ſcripturis inter ſe diſſentientibus exiſtere ſæpenumero ſolent, cum uidelicet eadem de re altera præcipit, altera prohibet: aut cum altera permittit, altera cogit: uel cùm una de parte, altera in genere de toto loqui uidetur. De harum conciliatione & explicatione hæc potiſſimùm obſeruanda eſt regula. Non omnia quæ in ſpeciem pugnare inter ſe uidentur, reuera pro pugnantibus aut contrarijs habenda ſunt: ſed ea tantùm, quæ eiuſdem ſubiecti & obiecti reſpectu dicuntur. ut, iuſticia, iniuſtitia: album, nigrum: uiſus, cæcitas, &c. Iudicium autem de pugnantibus ſiue contrarijs faciendum eſt partim ex phraſi, partim ex figuris, partim ex diligenti & erudita collatione textuum & circumſtantiarũ. Eſtq; norma iudicij, ad quam omnis interpretatio ambiguorum referenda eſt,

uerit as

Digitized by Google

ueritas in uerbo Dei *& artibus monſtrata,utilitas & honeſtas, ut uitetur turpitudo & iniquitas.* Ad *hunc uſum traduntur hæ regulæ:*

I. Lex *inferior cedit ſuperiori.*

II. Lex *humana cedit diuinæ.*

III. Lex *ſpecialis derogat generali.*

IIII. Lex *noua corrigit aut abrogat ueterem.*

EXEMPLA.

Lex *diuina* Deut.23.*uetat uſuram,inquiens:* Fra*tri tuo abſq; uſura dabis mutuo.* Lex *in* Codice,*titulo de uſuris,permittit. Similiter conſtitutio imperij* Auguſtæ *facta anno* 1548. Imperatore Carolo, *permittit uſuras quincunces, hoc eſt, cum annuatim nomine uſurarum ſeu redituum penduntur quinque in centum.*

Reſpondeo: Lex *diuina præualet humanæ. Sed conſtitutio* Chriſtianorum Imperatorum,*uſuras quincunces propter circumſtantias & probabiles rationes permittit.* Primùm, *quia conſuetudo ita obtinuit: deinde, quia comprimi aliter immoderatæ uſuræ & expilationes non poſſe uidentur.* Tum *conſentaneum eſt etiam, quenquam tantundem lucri ſua pecunia, ſi uel in agrorum uel redituum permiſſorum emptionem aut negotiationem collocaret,conſequi poſſe.* Ne *igitur officium mutuationis nobis ipſis noceat, cenſuerunt hanc uſuram uelut compenſationem eſſe permittendam.*

Aliud.

Lex eſt Vlpiani *l. per ſeruum,de uſu & habit. Si*

Digitized by Google

tibi fructus deducto uſu legatus ſit, inutile eſt legatum: id eſt, fructus ſine uſu legatus nihil ualet.

Eiuſdem lex eſt l huic ſtipulationi,uſufruct.quemadmodum caue. Et ſi fructus ſine uſu obtigerit, ſtipulatio locum habebit:id eſt,fructus ſine uſu legatus ualebit. Eſt autem uſus poteſtas ſiue ius utendi fructibus fundi alicuius, quantum eſt opus ad quotidianum uſum tui & tuorum tantùm. Vſusfructus uerò latius aliquantò extenditur. Eſt enim uſufructuarius,dominus prouentuum & redituum rei,quos percipit & ſeparat à terra, ita ut uendere etiam, quod ultra uictum quotidianum ſupereſt, poßit, & alienare: quod uſuario non licet. Hic quidem uideris manifeſtam uidere diſcrepantiam: ſed reuera non pugnant hæ leges, quia non reſpectu eiuſdem obiecti & ſubiecti intelliguntur. habetq; lex utraq; ſuum locum: poteſt enim legari à domino uſus fundi Curio,& ab hærede eius poteſt legari fructus Quinctio.Quòd ſi igitur Curio,cui legatus eſt uſus, omnes fundi reditus in uictum quotidianum ita inſumſerit,ut nihil reliqui faciat: fructus legatum inane eſt, hoc eſt, uſufructuarius nihil commodi inde percipit. idq; uult lex prior. Sin uerò poſt uſum aliquid fructuum ſupereſt, id illi cedit,cui fructus ſine uſu eſt legatus,ſecundum legem alteram.

Aliud.

In Antigone Sophoclis grauißima eſt de duabus contrarijs legibus diſputatio. Vna eſt pietatis & religionis,altera eſt edictum regis Creontis.

Pietas

Digitized by Google

Pietas in Antigone erga fratrem ſuadet ſepelire inhumati fratris Polynicis abiectum cadauer. Idem uetat edictum regis. Quid igitur faciet Antigone? Reſpondeo: Lex humana cedere debet diuinæ. Etſi igitur certum mortis periculum ipſi propoſitum erat, ſi fratrem humaret: plus tamen ualuit apud illam pudor & pietas erga fratrem, quàm regij edicti ſeueritas & comminatio. Sic enim inquit ad regem: Non Iupiter hoc mandauit, neq; poſſe tantum putaui tua edicta, ut non ſcriptas & certas Deorum leges poßit mortalis uiolare.

Aliud.

Gen.2. inquit Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. Paulus 1. Corinth.7. Bonum eſt, eſſe cœlibem. In his dictis φαινομένη ἐστὶν ἀντιλογία, id eſt, apparens contradictio: quod enim in uno improbatur, in altero approbatur. Sed reſpondeo: Non pugnant hæc, quia non dicuntur reſpectu eiuſdem ſubiecti & obiecti. Nam dictum in Geneſi eſt regula communis, pertinens & obligans omnes qui ad coniugium ſunt idonei, nec extra illud purè caſteq; uiuere poſſunt. Pauli uerò concio exceptionem quandam continet, & loquitur in ſpecie de his, qui uel ad coniugium idonei non ſunt, uel alioqui tales ſunt, ut in cœlibatu non contaminentur.

Ariſtoteles lib.4. Auſcultationis Phyſicæ recitat, duas ueterum ſententias repugnantes de tempore. alteram Simonidis poetæ, qui dixit tempus eſſe σοφώτατον, id eſt, ſapientißimum: alteram Paronis Pytha-

Digitized by Google

gorei phyſici, qui dixit tempus eſſe ἀμαθέστατον, id eſt, rudiſſimum. Conciliatio huius ἀντιλογίας facilis eſt, alio enim reſpectu tempus dicitur ſapientiſſimum, quod ſcilicet ad parandam ſapientiam neceſſariò requiratur temporis longinquitas, & ætatis maturitas: alio etiam reſpectu uocatur rudiſſimum, nimirum quòd rerum omnium inducat obliuionem.

RATIOCINATIO, συλλογισμός.

Incidunt interdum caſus, de quibus non extat expreſſa aliqua lex, ex qua dijudicari poſſint. Ideoq; ex legibus ſeu textibus ſimilibus ratiocinatione quadam iudicium facimus, ducto argumento ex cauſa, toto, genere, &c.

EXEMPLVM.

Lex diuina Exod. 20. præcipit ſanctificare diem ſabbati. Chriſtiani non ſanctificant diem ſabbati, ſed diem Dominicum. Igitur non obtemperant legi diuinæ. Reſpondeo: Etiamſi lex expreſſa non extat de die Dominico Chriſtianorum: tamen ex ſimilibus iudicari de hoc caſu non difficile eſt. Vt enim aliæ ceremoniæ Moſaicæ per Chriſtum abrogatæ ſunt, ita ſpecies quoq; ſabbati, quæ ceremonialis eſt, abrogata eſt ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus, retento tamen genere, quod morale eſt, & omnes obligat, ut certo die conueniant ad facienda opera ſancta audiendi, diſcendi, meditandi uerbum Dei, & precandum, & alia, quibus immediatè Deus colitur. Suntq; inducti, ut Dominicum diem religioſa ſolennitate haberent, quòd

Digitized by Google

quòd eodem uita noſtra Chriſtus ex mortuis reuixit, & nouus iuſtitiæ ſol exortus eſt: de quo die iam olim Pſalmus uaticinatus eſt: Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. ſicut ſynodus Cæſarienſis anno Chriſti 191. piè accommodauit.

Cicero pro Milone à lege XII. Tabul. per ratiocinationem probat, licere inſidiatorē occidere: Quòd ſi duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum, ſi ſe telo defenderit, interfici impunè uoluerunt: quis eſt qui, quoquo modo interfectus ſit, puniendum putet, cum uideat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus?

¶ Vſitatiſsimum deniq; eſt, ex una ſententia multas extruere conſequentias, nec tantùm theſes ualent, ſed hypotheſes etiam, quæ iuſta conſequentia inde extruuntur. ut cum Deus dicit de filio: Hunc audite, Matth. 12. hæc omnia uult nos inde elicere.

I. Neceſſariò diſcendam eſſe Euangelij doctrinam.

II. Aſſentiendum eſſe promiſsioni Euangelij.

III. Nullam doctrinam eſſe amplectendam, quæ pugnat cum Euangelio.

IIII. Eos tantùm eſſe in numero Chriſtianorum, qui audiunt Euangelium.

V. Credentes Euangelio facere uoluntatem Dei, & placere ipſi propter filium Mediatorem.

TRANSLATIO, ΜΕΤΑΛΗΨΙΣ.

I. Cum ante iudicium eſt controuerſia uel de perſona, ut, ſit ne actio illi qui agit: uel de tempore, ut, iámne ſit tempus actionis: uel de lege, ut, illáne lege

ſit agendum: uel de iudicio, naſcitur ſtatus translationis: ut, num hoc iudicio, id eſt, iudicij forma ſit agendum. Dictus *à transferendo, quòd transferat & reijciat iudicium.* Eſt *enim quaſi quædam excluſio, quæ interponitur actioni ad excludendum id quod actor intendit.* Vocatur *etiam* παραγραφὴ, *id eſt, præſcriptio, quòd modum, tempus, locum, aliasq́; circumſtantias actionis determinet, & quaſi circumſcribat.* Oſtendit *enim reus, uel coram alio iudice, uel ab alio actore, uel cum alio, uel non hoc loco aut tempore agendum eſſe.*

II. Vſus *exceptionum eſt, ut tanquam clypeus obijciantur duris & aſperis actionum quarundam telis, earumq́; rigorem mitigent.*

III. Exceptionum *aliæ uocantur dilatoriæ, quæ litem ex cauſa quadam differunt, uel iudicium & forum, in quo agitur, declinant, unde & declinatoriæ nominantur.* Aliæ *dicuntur peremptoriæ, quòd perimant & extinguant actionem.*

IIII. Exempla *ſunt, cum reus allegat actorem uel iniquum petere, uel plus petere, uel ſerò: item cum inquit, non à ſe hoc eſſe petendum, neq; his uerbis aut hoc iudicio.* Apud Ciceronem 1. de Orat. Hypſeus *pupillus accuſat* Octauium *tutorem tutelæ iudicio: & mox addita alia actione rerum diſtractarum, plus petit quàm initiò intenderat.* Quare Octauius *reus exceptione oppoſita actionem excludit, & ſe liberat inquiens, non licere hac formula agere, nec ſimul tutelæ & rerum diſtractarum agi poſſe.*

Aliud.

Aliud.

Curius debet Philologo decem aureos ad XIII. *Cal. Ianuar. anni ſexageſimi noni poſt milleſimum, quingenteſimum, à nato Saluatore. Hos in iudicio ſibi dari poſtulat Philologus* VI. *Idus Septemb. Idcirco Curius exceptionem opponit, quòd ante tempus debitum ab actore petatur. Itaq; cauſa cadit Philologus.*

DE GENERE DELIBERATIVO.

Genus deliberatiuum, συμβουλευτικὸν *ſuaſorium,* ἐκκλησιαστικὸν καὶ δημηγορικὸν, *quod cœtus, conciones & deliberationes regit, ampliſsimum habet uſum in omni uita, conſilijs, actionibus & moribus. Primùm enim in Eccleſia neceſſe eſt pleraſq; conciones ex hoc genere haberi, cum aut uiuifico Dei uerbo, certiſsimiſq; eius promiſsionibus de ſalute corporis & animæ per Chriſtum accipienda conſolari & erigere afflictos atq; incertos oportet: aut de operibus Deo placentibus, homines erudiendi ſunt. Cumq; tres ſint partes, quibus omnis ſcriptura diuinitùs tradita continetur,* διδασκαλικὴ, παραμυθικὴ καὶ παραινετικὴ, *duæ poſteriores totæ in hoc genere ſuaſionis, conſolationis & adhortationis uerſantur. Quare neceſſariò cognoſcendum eſt hoc genus omnibus, qui concionando cœtus hominum terrere, & dictis monitiſq; utilibus flectere animos atq; gubernare ſtudent.*

Secundò in ſcholis neceſſariæ ſunt crebræ commonefactiones de diſciplina, obedientia, doctrinæ, artium

&

& linguarum dignitate, utilitate & neceßitate, deq; uero earum uſu, ſcribendi exercitijs, cultu uitæ & morum, pietatis, caſtitatis, cura inuocationis Dei *pro ſucceſſu ſtudiorum impetrando, item de pœna contemtorum & hoſtium diſciplinæ, honeſtatis, religionis, iuſticiæ & aliarum uirtutum, & legum, quibus* Deus *et* Magiſtratus *nos obſtrinxerunt.* Idcirco *quotidie uti hoc genere in ſcholis neceſſarium eſt, ut & ad amorem diſcendi obtemperandiq; extimulentur nonnulli, alij uerò metu pœnæ comprimantur, quidam deniq; de curſu ſtudiorum uitæq; ſuæ anxij & ſoliciti bene ſperare incipiant & confirmentur.*

Tertiò *in foro, iudicijs, curia, & omnibus* Reipub. *partibus atq; muneribus oportet ſuadendo atq; diſſuadendo pleraq; peragi.* E*ſt enim in omnibus conſilijs & actionibus id potißimum ſpectandum, quod honeſtum, utile, neceſſarium & poßibile eſt: & in his ipſis delectus habendus, ut propoſitis duobus aut pluribus honeſtis aut utilibus, id eligatur, cuius honeſtas et utilitas eſt euidentißima.* Tum *ciues etiam geſtientes & laſciuientes oratione comprimendi ſunt, perterriti uerò & proſtrati erigendi.*

Q*uartò in priuata uita ſemper his partibus, hortationis, petitionis, ſuaſionis, uti neceſſe eſt.*

Q*uamuis materiæ omnes, in hoc genere comprehenſæ, eodem ferè modo tractari atq; explicari poßint: tamen diſtinctioris doctrinæ gratia in quatuor ordines ſiue claſſes diſtribuentur, & loci ſinguli claßibus ſingulis adſignabuntur.*

I. Com-

I. Complectitur adhortationes, dehortationes, ſuaſiones, diſſuaſiones, item admonitiones.
II. Petitiones.
III. Conſolationes.
IIII. Commendationes.

PRIMA CLASSIS.

CVm adhortari aut dehortari, monere aut ſuadere aliquid uolumus, hi loci potiſsimùm adhibendi ſunt.

I. Honeſtas ſiue dignitas, τὸ καλὸν: et contrarium, τὸ αἰσχρὸν, turpe.

II. Vtilitas, τὸ συμφέρον ἢ χρήσιμον: cui contrarium eſt τὸ ἀσύμφορον, ἄχρηστον καὶ ἀνωφελὲς.

III. Facultas, τὸ δυνατὸν poſsibile, ῥᾴδιον facile: cui opponitur τὸ δύσχερες, difficile.

IIII. Neceſſarium, τὸ ἀναγκαῖον, neceſſarium: καὶ τὸ μὴ ἀναγκαῖον, id eſt, non neceſſarium.

V. Iucundum, τὸ τερπνόν: cuius contrarium eſt iniucundum, inſuaue.

His adduntur exempla, ſimilia, contraria: quibus omnibus illuſtratur & augetur oratio.

Porrò honeſtum nec ne aliquid ſit, id ex tribus partibus ſiue fontibus atq; cauſis emanat atq; elucet. 1, Mandatum Dei. 2, Lex. 3, Virtutis doctrina, ſapientum monumentis præceptiſq; comprehenſa. Referunturq; hi fontes ad unam ſummam, nempe efficientem cauſam impulſiuam. Cum enim impellere uolumus ad aliquid faciendum, aut non faciendum, honeſtum id eſſe, aut inhoneſtum dicimus, ut appareat, uel legiti-

Digitized by Google

legitimum uel illegitimum, conceſſum aut inconceſſum, licitum aut illicitum illud eſſe, & uel legum autoritate, aut ſapientum præceptis ad id nos impelli.

Vtile *id eſſe* Ariſtoteles 1. Rhetoricorum *definit, ex cuius uſu fructum capimus.* Eſtq; *in hoc loco uniuerſa rei, de qua agitur, uis, finis & effectus, cum commodis & emolumentis, aut incommodis & nocumentis ſecuturis exponenda: ut conſtare poßit, quantum inde boni, ſi parcamus: & contrà, quantum mali, ſi recuſemus, habituri ſimus.*

Facultas *modum rei gerendæ aut efficiendæ explicat, primùm per poßibile & impoßibile, ſecundò per facile & difficile, tertiò per circumſtantias.*

Iucundum *cognatum eſt ſuperioribus* Indicandum *enim eſt, quid moleſtiæ aut uoluptatis ueræ inde conſecuturi ſimus, ſi parcamus, aut non parcamus.*

EXEMPLVM EPISTOLAE HORTANTIS, VT ſtatim ab initio ætatis doctrinæ ſtudijs nos dedamus.

Exordium habet γνώμην.

Cum monere & moneri ſecundum Ciceronem proprium ſit ueræ amicitiæ, ita ut alterum liberè fiat, non aſperè: alterum uerò patienter accipiatur, non repugnanter: non uerebor te commonefacere de his quæ ego à te animo æquißimo grauißimoq; ſemper ſum accepturus. Nũquam *enim admonitioni tuæ ueræ & utili aures meæ erunt occluſæ: neq; committam, ut quantum mihi in te ſumo atq; arrogo, non tantundem tibi in me uicißim concedam.* Accipies *igitur meam commonefactionem eo animo, quo ego tuam ſem-*

ſemper ſum accepturus: & qua libertate utor in te, eadem tu uiciſſim in me uteris. Eſt autem quod commonendum te putaui, ut annos iſtos adoleſcentiæ tuæ optimarum artium ſtudijs dedas, neq; occaſionem diſcendi ullam prætermittas. Eſt enim hoc tempus natura datum ad diſcendũ: omneſq; ſapientes monent, primos annos in optimis ſtudijs eſſe ponendos, quòd quibus in his aſſueſcimus, ea ad ſenectutem uſq; retineamus. Cumq; eadem parentum ſit uoluntas, dubitare nõ debes, quin Dei etiã mandato ad hoc officij munus impellaris. Atq; hæc ſi fortè te non ſatis mouent, quæ mouere tamen plurimum debent, moueat ſaltem utilitas. Quid.n. his literis noſtris in rebus humanis eſt utilius? Vnde plura commoda ad Eccleſiam & totam uitam humanã dimanant? Quis meretur de Eccleſia melius? Quis Rempub. plus iuuat, & patriam decorat, quàm qui doctrina liberali & neceſſaria alios erudire poteſt? Sic deniq; habeas, hanc ætatem, in qua es, percipiendis artibus atq; diſciplinis aptiſſimam eſſe. Scis quid Plutarchus noſter dicat: Vt cera, inquit, mollis facilè omnes imagines ſibi imprimi patitur: ita ingenia adoleſcentum tenera facilè diſciplinas optimas atq; doctrinas capiunt. Quocirca fac diſcas, & ita quidem, ut in hac ætate fundamentum doctrinæ ueræ iaciendum eſſe exiſtimes. Adiuuat te quoq; opportunitas, qua ad diſcendũ uix maior eſſe poſſet. Præſtò ſunt præceptores, ſuppetunt libri, ocium & alia neceſſaria. Ac ſi fortè his non abundas, certè tamen non eges. Eſtque Deo gratia habenda pro ſorte etiam tenui. Hæc tu non

Propoſitio.

Confirmatio.

A parentum & Dei uoluntate.

Vtilitas.

Ornamenta.

Facultas. Adiuuat te.

I. Aetas.

II. Opportunitas.

Epilogus.

Digitized by Google

Epilogus. *non boni ſolùm conſules, ut amicitiæ noſtræ fides poſtulat: ſed re etiam, ſtudio & opera perficies.* Et *ſi quid inciderit, me uiciſſim de eo, ut amicum decet, admonebis.* Vale.

EXEMPLVM SCHOLASTICI EXERcitij, de adhortatione ad bellum Turcicum.

Exordium a re ipſa cum attentione. *Cum omnes bellorum euentus incerti ſint & dubij, periculoſum ſanè eſt, ad bellum graue & difficile aduerſus* Turcas *gerendum adhortari.* Etſi *enim res humanæ pleræq; omnes dubiæ ſunt, & uarijs fortunæ telis propoſitæ: tamen haud ſcio an uſquam minus, quàm in bellis, reſpondeant euentus.* Quocirca *intelligo, quantum periculi ſubeat is qui ad bellum* Turcicum *cohortari animum inducit.* Vaticinati *ſunt* Prophetæ, *futurum eſſe, ut in ultima mundi ſenecta* Gog *&* Magog *longè latéq; graſſentur.* Hos *populos omnes interpretantur de* Turcis: *& hos aiunt regna mundi potentiſſima & maxima occupaturos & uaſtaturos eſſe, quemadmodum & nomen eorum oſtendit.* Nam Turca *uaſtatorem ſignificare, nemini ignotum eſt.* Cum *igitur &* Daniel *&* Ezechiel Prophetæ *prædixerint futurum eſſe, ut latè dominetur hic populus impius & iniuſtus, ſanè timendum eſt, ut bello facilè reprimi & deleri queat.* Meretur *enim iniquitas noſtra pœnas diuinas, & acceſſunt crebrò noſtra peccata uindictam.* Ideò *uereor, ne iuſta numinis ira poteſtas latius graſſandi huic immani populo concedatur à* Deo, *ut eius tyrannis ſit* πληγὴ θεήλατος, *ut Græ-*

ut Græcus poëta nominat. Verùm conſolatur me, & erigit animum, promißio diuina: quæ aſſeuerat, Eccle*ſiam nunquam interituram, ſed uſq; ad finem mundi manſuram. Sic enim inquit Chriſtus ipſe*: Ego ero *uobiſcum uſq; ad conſummationem ſeculi.* Item: Nec *portæ inferorum præualebunt aduerſus eam.* Et Pro*pheta ait,* Eccleſiam *portari in aluo* Dei. Ex *quo manifeſtum eſt,* Turcam, *ut maximè etiam rabioſißimeq́; graſſetur & ſæuiat,* Eccleſiam *tamen nunquam delere poſſe, cum* Deo *adeò ſit curæ, ut in ſua aluo eam geſtari affirmet. Conſolatur me porrò etiam illud quod in* Daniele *ſcribitur, monarchiam* Romanam *fore ultimam.* Ea *ſi ultima eſt, non ſanè alia poſt eam oriri ulla poterit. Quare etiamſi ſæuiat grauißimè* Turca: *tamen manebit* Monarchia Romana, *& ſtabit, licet mutilata et deformata, uſq; ad finem mundi: nec quintam monarchiam conſtituet* Turca. *Quod cum ita ſit, minus uereor adhortari ad bellum contra hunc ferocem, & aduerſus* Deum *pariter & homines impium populum, ſuſcipiendum.* Etſi *enim potens ſit, & grauißimam tyrannidem exerceat: tamen monarchia* Ro*mana non potietur, nec* Eccleſiam *Chriſti unquam delere poterit, etiamſi omnem ſuam uim & extremum conatum in eius perniciem meditetur & conuertat, Quamobrem adhortor uos principes, ut hoc bellum neceſſarium & pium, totiq; imperio utile & ſalutare, magno animo totiſq; uiribus ſuſcipiatis, & hunc crudelißimum tyrannum* Turcam, *hoſtem* Chriſti *& omnium hominum, procul à finibus* Imperij *ueſtri eijcia-*

Antitheſis & conſolatio.

Propoſitio.

O tis,

tis, inſultantemq; uobis expellatis, et ſæuiſsimum latrocinium in noſtros exercentem debelletis atq; puniatis: idq; partim propter eos, qui uicti & ſubacti, miſeram ſeruitutem patiuntur, & crudeliſsimè duriſsimeq; affliguntur: partim etiam propter uos ipſos, quorum ſalus hic potiſsimùm agitur. Niſi n. conatus eius nefarios repreſſeritis, & cupiditatem iſtam effrenatam ac furioſam reſtrinxeritis, latius graſſari non deſinet.

Loci confirmationis.

I. Honeſtum.

A lege naturæ. *Innata eſt lex noſtris mentibus, uim ut iniuſtam à nobis noſtriſq; depellamus, ſi poſsimus. Ideoq; uidemus, non homines ſolùm omnes ſe tueri, & ſuorum patrocinium ſuſcipere, ſed beſtias etiam acriter pro ſalute ſua ſuorumq; dimicare. Apes pugnant pro rege et pro grege: nec eſt ferè beſtia ulla, quæ catulos ſuos in periculo deſerat.* A lege Dei. *Deus porrò expreßè præcipit, audaciæ improborum reſiſtere, & iniuſtam crudelitatem à templis, tectis ac mœnibus, à uita fortuniſq; ciuium arcere, & inimicos bonorum, hoſtes patriæ, & Eccleſiæ peſtes profligare.* Ab officio regum. *Exigit hoc deniq; ſanctum nomen & diuinum officium regum ac principum, ut patriæ regniq; ſibi commiſsi fines diligenter cuſtodiant, ſubditoſq; ab omni iniuria defendant, religionem, ſacra, et cultus Dei ueros propugnent.* Exempla. *Id quod et exẽpla, & ſceptra inſigniaq; quæ gerunt, indicant. Quoties & quàm acriter Iſraëlitæ pro libertate ſaluteq; Eccleſiæ & politiæ ſuæ dimicarunt? Quàm difficilia*

&

& ardua bella ſæpe geſſerunt Chriſtiani Imperatores & principes, ut immaniſſimum hoſtem Eccleſiæ & totius Reipub. Chriſtianæ repellerent? Quàm pia & laudabilis eſt fortiſſimi uiri uox Ioab ad Abiſai, 2 Reg. 10. Eſto fortis, et pugnemus pro populo noſtro, & ciuitate Dei noſtri. Quàm pulchrum eſt, omniumq; principum amore imitationeq; dignum illud Neapolitani regis Alphonſi ſymbolum: Pro lege & pro grege? Quàm uero honeſta apud Homerum oratio Hectoris, qui perinde ſe ſolicitum eſſe atq; dimicare, ait, pro ſalute Troianorum, ut auis ſuorum pullorum implumium curam gerit? Horum & aliorum innumerabilium piorum principum ueſtigijs inſiſtere, & communem patriæ atq; adeò ipſius filij Dei ſaluatoris hoſtem arcere dubitatis?

II. Vtile.

Quid porrò facere poteritis melius, quàm ut hoſtem tam ſuperbum, tamq; contumelioſum aduerſus filium Dei, imminentem ceruicibus ueſtris repellatis? Ex quo bello unquam emolumenta maiora dimanarunt, quàm ex hoc ueſtro percipiet totus orbis Chriſtianus? Liberabitis triſti ſeruitutis iugo Chriſtianos quamplurimos, qui nũc abnegata uera in Chriſtũ fide, abominandam Turcarum religionem ſequuntur: releuabitis uos ipſos cura & metu, quo iam in dies ſingulos angimini: reprimetis peſtem Imperij, & delebitis malum, iam penitus in uenis atq; uiſceribus Reipub. Chriſtianæ incluſum: comprimetis denique eum, qui de ueſtro noſtrorumque omnium interitu, urbium

Digitized by Google

incendio, atq; adeò totius Eccleſiæ Chriſti *&* *politiæ* Chriſtianæ *exitio dies noctesq́; cogitat.* Hunc *ſi debellaueritis, quantũ gratiæ à* Deo *inibitis? quàm præclarè de* Eccleſia Chriſti *merebimini? quanta læticia omnes* Chriſtianos, *atq; adeò angelos ipſos in cœlo afficietis? quantis præconijs ipſemet filius* Dei *iudex uiuorum & mortuorum, pietatem hanc ueſtram ornabit, ſi pro gloria ipſius aduerſus blaſphemum hoſtem, contortorem religionis, legum & bonorum omnium, fortiter pugnaueritis? Quòd ſi uerò hoc officium* Deo Eccleſiæq́; *eius & politiæ debitum neglexeritis, ulteriusq́;* Turcas *graſſari ſineritis, quid facietis aliud, niſi ut patriæ peſtem ueſtra lenitate & inertia alatis: audaciam confirmetis: & tum ad breue quoddam tempus à periculo metuq́; releuationem quæritis, omnium ſcelerum, ueterisq́; furoris & audaciæ maturitatem cumuletis? At religionem tamen non penitus delet hodie* Turca *apud eos quos bello ceperit.* Nouæ *hæ ſunt technæ & inſidiæ, quo occultiores, eo nocentiores. Quanti enim præſtaret, apertè profiteri id quod ſentit & molitur, nempe interitum* Chriſtianæ *religionis, quàm prætextu fallaci conſcientijs inſidiari, & ſpe falſa propoſita ad ſecuritatem & contemtum omnis religionis* Chriſtianos *inducere?* Fit *enim hoc pacto, ut non ui, ſed ſponte ſua effundant* Chriſti *profeßionem, qui à* Turca *ſubiugantur. hocq́; prætextu multi nefariè decipiuntur, quibus melius eſſet multò, pro ſua religione uitam, uxores, liberos fortunasq́; omnes effundere, quàm ſpe liberæ religionis, pietatis curam omnem amittere.*

Antitheſis de incommodis neglecti belli.

Præoccupatio de libertate religionis ſub Turca.

III. Fa-

III. *Facultas.*

At graue atq; difficile eſt, tantum tamq; potentem debellare hoſtem, magnasq; opes, neruos & uires talis expeditio poſtulat. Eſt ſanè res ardua, præſertim in hac elangueſcenti ſenecta, qua animorum & corporum humanorum minor firmitas & celſitas eſt, quàm alijs mundi ætatibus. ſed tamen, ſi uires coniunxeritis, & Deo obſequi in hac militia ſtudueritis, aderit ille ueſtris conatibus, eosq; gubernabit & fortunabit, ut quod impoßibile etiam uobis fortè uidetur, per ipſum facilè perficiatis. Vetus eſt, & ab omnibus approbatum, non poſſe eſſe diuturnum illud regnum, quod ſcelere partum & impietate conflatum eſt. Quantumuis igitur ſuperbè hoſtis ueſter regni ſui potentiam opesquè iactitet: certum tamen eſt, diuturnum non fore. Eſt enim mera colluuies hominum impiorum, & ex profeſſo filium Dei contumelia afficientium. His artibus cœpit, iiſdem creuit, & hodie durat. Tuebitur Deus certißimè hanc quartam ueſtram Monarchiam, ipſumq; legitimo ueſtro imperio reſiſtentem, tanquam latronem, et omnes illius ſubditos, ſcelerũ fœdere inter ſe ac ſocietate nefaria coniunctos, ſupplicijs æternis uiuos mortuosq; mactabit. Nouiſtis quæ uaticinia de interitu eius ſint edita, quæ uos non fallent. Deniq; Deus ab initio mundi impietatem, blaſphemias, & alia atrocia ſcelera puniuit: delebit etiam certißimè iſtos horrendos idolatras & graſſatores, nec patietur ſuam gloriam unigenitumq; & dilectum filium ſuum contumelia affici & deludi, Chriſtianosq; ſibi chariſ-

I. Coniungendæ ſunt vires.

II. Deus opitulabitur.

III. Infirmũ Turcæ regnũ.

IIII. Quarta hæc Monarchia non interibit, ſed ſtabit mulcta contra latrocinũ Turcæ.

V. Vaticinia.

VI. Vindicta diuina.

Digitized by Google

VII. Exempla. ſimos diutius afflictari. Repreßit impium Pharaonem, præcipitans eum in mare rubrum: uictoriamq́; ſuo populo illuſtrem tribuit, & potenti manu cum à ſeruitute liberatum in libertatem optatißimam uindicauit.

VIII. Non numerus hoſtium, ſed fiducia in Deum vincit. Non ſemper multitudo, non uis, non opes ſunt, quæ uictoriam pariunt: ſed ſpes ſalusq́; in Deo ſaluatore fixa atq; locata triumphat.

Epilogus per inflammationem. Hæc cum ita ſint, dubitatis, quin totis uiribus omniq́; contentione bellum iſtud ſuſcipere, gerere & conficere debeatis? Expergiſcimini tandem, ô principes, & propulſate hanc immanißimam beſtiam, repellite iugum triſte, quod imminet ceruicibus noſtris, priſtinumq́; Reipub. ueſtræ decus recuperate. O beatam Germaniam omnesq́; nationes orbis Chriſtiani, ſi hoc honeſtißimum maximeq́; neceſſarium bellũ rectè adminiſtraueritis. Gaudebit Eccleſia, lætebuntur omnes ciuitates, omnis deniq; poſteritas gratias uobis agere geſtiet. At contrà infelices nos & miſeros, ſi neglexeritis. Non enim tuti unquam ab hoc immanißimo hoſte eſſe poterimus, ſed in periculis inſidijsq́; ſemper uerſabimur.

εὐχή. Adſit ueſtro conatui is, cuius gloria maximè hac in re quæritur: & felicitatem ſucceſſumq́; optatißimum largiatur.

EXEMPLVM ALIVD *adhortationis.*

Epiſtola hortatoria ad ſcribendum.

Exordiũ ab affectu ſuo erga amicum. Etſi eos amicos plus diligere ſoleamus qui præſtò ſunt, & quibus coràm fruimur: tamen mihi ij quoque magni-

magnifaciendi uidentur, qui abſentes fidem & beneuolentiam retinent. Non enim poſtremam uoluptatem eſſe exiſtimo, habere amicum, licet is abſit, cui tua conſilia referas, & unde opem petas: aut certè cui tuã ſalutem curæ eſſe intelligas. Cùm autem nunc certis de cauſis aliquo interuallo diſiuncti ſimus: omnino mihi faciendum eſſe putaui, ut te ad cõſtantiam in tuenda dulciſſima noſtra amicitia, qua cùm unà eſſemus fruebamur, adhortarer: ut etiamſi corpore diſiuncti ſimus, animo tamen & φιλοφροσύνῃ coniuncti maneamus ſemper. Proinde te uehementer etiam atq; etiam moneo, ut crebras ad me literas mittas, quæ me non ſolùm de ſalute & omnium rerũ tuarum ſtatu, ſed etiam de animo tuo, & pietate erga me priſtina & alijs multis edoceant. Scis quàm honorificè de hoc ſcribendi genere ſenſerint omnes eruditi, & quàm præclara præcepta tradiderint, quibus id nobis commendare uoluerunt. Quàm me delectat lepidiſſima ſententia Ambroſij in epiſtola ad Sabinum, ubi epiſtolam imaginem abſentis referre, & mentem animumque ſcribentium copulare aſſerit. Noſti, quantopere adamauerit epiſtolarum ſcriptionem Cicero. Quàm iucundus eſt locus ille in epiſtola ad Curionem, ubi ait, Epiſtolas eò inuentas eſſe, ut certiores faceremus abſentes, ſi quid eos ſcire aut noſtra aut ipſorum intereſſet? Sed quid longinqua commemoro? uideamus domeſtica. Nónne natura ipſa nos inuitat, ut familiaritatem omnibus modis complectamur & ſeruemus? Quòd ſi hoc naturæ inſtinctu facimus, quid dubitas, quin

Propoſitio.

Honeſtas.
I. A ſapientũ iudicio & ſententia.

II. A natura.

quin etiam ad ſcribendum natura duce feramur? Euolue modò animi tui complicati notionem, & conſidera quò per ſe inclinet rectus animus: reperies, mihi crede, nihil ferè tam eſſe ſecundum naturam, quàm mutua per literas colloquia, & familiares de rebus iucundis & neceſſarijs ſcriptiones. Quare ut præclaræ ſapientum admonitioni & naturæ ipſi pareas, ſedulò ad me literas ſcribe.

Vtilitas.

Quid uerò dicam de utilitate, quam hoc ſcribendi genus adfert? Equidem fructuoſa ſemper habita eſt familiaris collocutio de rebus bonis, & ſcitu dignis, adeò ut mater omnis eruditionis nominetur.

Alit eruditionem.

At quid aliud ſunt amicorum Epiſtolæ, quàm eiuſmodi collationes, in quibus alter alteri ſua conſilia communicat, & quàm poteſt fieri familiariſſimè de rebus neceſſarijs cum eo diſſerit? Quo ſanè fructu quis maior eſſe poteſt? Etenim cùm hoc modo ſententias ſcriptis communicamus, ſimul de multis magnis rebus erudimur, & iudicium etiam acuitur, & intelligentia augetur.

Promouet ſtilum.

Accedunt alia plura, quæ etiamſi leuiora ſunt aliquanto, tamen contemni non debent. Adiuuat mutua literarum miſsio mirum in modum ſtilum. Nam qui ſæpius literas ad amicum exarat, ſimul ſcribendi haud aſpernandum exercitium capit: & qui epiſtolam elegantem ſcribere ſcit, cum in eruditorum numero meritò habendum eſſe cenſeo.

Eruditionis magnam parit laudem.

Videas multos, qui famam ſibi apud exteros pararunt, non alia re niſi ſcriptione epiſtolarum. Sed ut hæc omnia adhuc leuiora ſint, quàm ut animum tuum ad ſcribendi diligentiam inflamment: illud tamen magni

ponderis

Digitized by Google

ponderis mihi eſſe uidetur, quòd hæc res amicitiam & ſeruet & confirmet, nonnunquam etiam gignat alatq;. Nam ut alia omittam, exemplum à nobis ipſis capiamus. Si neq; ego neq; tu ſcripſerimus, quid aliud ſecuturum eſt, niſi ut amicitia noſtra ſenſim diſſoluatur & aboleatur? Sin uerò epiſtolis certabimus, nullo unquam tempore diſſoluetur aut ceſſabit: ſed nō ſolùm retinebitur, uerùm augebitur etiam. Porrò illud etiam *fructus maximè inde capiemus, ſi frequenter ſcripſerimus, ut mihi tua ſalus, & tibi mea uiciſſim ſit commendatior, & maiori curæ.* Nam *ſi de tuis rebus crebrò me certiorem feceris, lætabor, &* Deo *gratias pro te agam, oraboq; ut porrò tibi illam felicitatem largiatur: ſin, quod tamen nolim, incommodi aliquid tibi accidiſſe cognouero, quod pro conditione, quæ omnibus mortalibus communis eſt, facilè fieri poteſt, dolebo, & communi tecum mœrore afficiar: rogaboq;* Deum *aſſiduò, ut iſtud malum auertat, & te pro ſua clementia iuuet, tueaturq;.* Idem *ſanè te quoque in mea cauſa facturum eſſe confido.* Q*uapropter quid utilius facere poſſumus, quàm ut hoc modo alter alterum de ſuis rebus quàm ſæpiſſimè certiorem reddat?* At *dicas:* Placet *quidem hoc tuum conſilium: uerùm quid ſcribam, non reperio.* Non *enim ſemper argumenta ſeſe offerunt, de quibus ad te literas mittam.* Noli *quæſo committere, ut hæc cogitatio te ſolicitum habeat, aut à ſcribendo deterreat.* Eſt *enim ignauorum, & plus quàm curioſorum proprium.* Q*uin exiſtima, eſſe aliquid ſcribendum, qualecunque id ſit.*

Auget ſalutis curam mutuam.

Facultas.

Non ſemper exquiſita argumenta ad ſcribendum requiruntur: ſed interdũ ualent quotidiana illa & uulgaria, quæcunq; uel in mentem ueniunt, uel experientia ſuppeditat, uel neceßitas ipſa cuiuſq; offert. Non ſanè quicquam tibi deeſſe arbitror. Habes nouarum rerum plurimum. quam multa enim quotidie ad uos perferuntur noua? Sed quid noua dico? quæ non ualde expecto. Scribe de tuis ſtudijs, Occurrunt tibi multa, quæ cum amicis communicare cupias. At ſi neque id genus tibi placuerit, ſume quæſtiones utiles, & ſcitu neceſſarias: expone quid de ijs ſentias. Ego, ſi uera dixeris, aſſentiar tibi, & confirmabo te: ſin minus, refutabo. ita fiet, ut multæ epiſtolæ de una ſolummodo materia nobis ſcribendæ ſint, et nunquam deſit argumentum. At ſi fortè nihil reperies, quod tamen fieri haudquaquam poteſt: ſcribe idipſum. Neq; enim ulla negocia tam grauia eſſe poſſunt, quæ, ne interdum amicorum petitionibus ſatisfaciamus, impediant.

Concluſio. *Quare & quàm ſæpißimè ad me ſcribe, & quamplurimis de rebus, de maximis, mediocrib. et minimis: ego nihil intermittam, quin te ſcribendo expleam. Vale.*

EXEMPLVM HORTATORIAE EPISTOLæ, *ex Cic. lib. Epiſtolarum famil.* 5.

Epiſtola 17. cuius initium eſt, Non obliuione, &c.

Propoſitio epiſtolæ, &c. Hortor ut magno & excelſo animo exilium feras. Diſpoſitio hæc eſt. Partes habet quinq;: Exordium, Narrationem, Propoſitionem,

nem, Confirmationem, & Concluſionem. Exordium eſt à loco cauſarum. reddit enim rationem, cur, cum diu nihil literarum dederit, nunc potiſſimum ſcribat. Narratio continet expoſitionem ſeu declarationem ſui ſtudij & induſtriæ in defendendo Publ. Sextio, cuius initium eſt: Ego te Publ. Sexti & in primis, &c. Propoſitio incipit: Quamobrem omnibus officijs, &c. Confirmationis loci hi ſunt. Primus ſumitur ab honeſto. Vir es, ergo fortiter tuum caſum ferre debes. Et hoc in loco aſperguntur alia quoq; argumenta à communi ſorte hominum. Homo es, igitur omnibus fortunæ telis te expoſitum eſſe exiſtimare debes. Item à communitate mali: Nemo noſtrûm non ſimul affligitur. ſic enim inquit: Quem neq; uitare quiſq̃ noſtrûm poteſt. Secundus locus ab utili, ſeu iucundo: Nihil boni aut emolumenti ex uniuerſa Republica capere poſſes: ergo haud ægrè exilium ferre debes. Incipit: Illud autem utinam. Ex hoc loco oritur tertius, de facultate: Eſt præclara in tuo filio uirtus, pietas & induſtria: ergo in illo acquieſce, & te eo conſolare: ita fiet, ut urbe facilè careas. Additur argumentum à conſcientia. tandem pollicetur ſuum ſtudium: Ego quibuſcunq; rationibus, officijs & ſtudijs efficiam, ut dolor tibi leuetur, & facilius à te feratur.

ALIA EXEMPLA PROPOSITA auditoribus ad tractandum.

I. Adhortatio ad diligentiam, pietatem, obedientiam, caſtitatem, temperantiam, &c.

II. Ad-

II. *Adhortatio ad Græcam linguam.*

III. *Adhortatio ad Theologiam.*

IIII. *Adhortatio ad Medicinam, Phyſicam.*

V. *Adhortatio ad Ethicam.*

Cum delectu etiam legantur quædam orationes Ciceronis in hoc genere: ut, uerbi,cauſa,prima in Catilinam. hortatur enim ibi Catilinam, ut ex urbe diſcedat. Item quarta, in qua hortatur Senatum, ut ſupplicium dignum de coniuratis in cuſtodia poſitis ſumat. In primis uerò legatur artificioſiſsima oratio pro lege Manilia, quæ continet illuſtrem adhortationem ad bellum Mithridaticum mandandum Cn. Pompeio.

In conuentu Vuormacienſi, anno 1540. die Nouemb. 25. Nicolaus Granuellus nomine Cæſaris hortatus eſt principes & ordines Imperij ad concordiam hoc fermè modo, referente Sleidano lib. Commentariorum 13.

Excuſatio abſentiæ Cæſaris & regis.

A perſona Cæſaris, ſeu paterno erga Rēp. animo.

A principum perſona.

Propoſitio: Date operam vt diſsidia cōponantur.

Primùm quòd neq; Cæſarea maieſtas, dominus noſter clementiſsimus, neq; inclytus rex Ferdinandus, in hoc auguſtiſsimo conuentu adſint, cauſæ iuſtiſsimæ ſunt, de quibus meritò à uobis excuſati debent haberi. Interim Cæſareæ maieſtati nihil eſt optatius, quàm ut diuturno nocentiſsimoq; diſsidio, quo & Eccleſia & Reſpub. multum eſt labefactata, ſopito, pax aliquando & concordia reſtituatur. Neq; dubitat, quin uos etiam animo & oculis cernatis, quàm neceſſaria ſit Eccleſiarum emendatio. Quare & ueſtri muneris eſſe exiſtimabitis, in id unicè incumbere, ut huic naſcenti malo medicina inueniatur. Quemadmodũ enim ad

Digitized by Google

ad reſtinguendum fortè in urbe exortum incendium omnes certatim accurrunt ciues: ſic uos etiam omnem dabitis operam, ut funeſtum in Germania diſsidiorum incendium deleatur. Conſiderate quæſo, quot quantaq́; mala ex diſſenſione in totam Rempub. profecta ſint. Multi ad internecionem cæſi ſunt, religio labefactata eſt, charitas refrixit, & omne priſtinum Eccleſiæ ueteris decus amiſſum eſt, aliaq́; innumerabilia mala conſecuta ſunt. Deplorandum eſt adeò Germaniam degeneraſſe, quæ & uirtutis & religionis cultu olim floruit. Quòd ſi conſilio maturo huic malo non occurretur, inualeſcet in dies ſingulos & grauius uehementiusq́; affligabimur. Quò autem id fieri poßit commodius, ſuſceptum eſt à Cæſarea maieſtate hoc colloquium, ut de re tota conferri ſententiæ poſſint, & ratio aliqua concordiæ iniri. Ad quam quidem rem in primis opus eſt animorum æquitate & moderatione, ut ſine ambitione & affectibus cæteris mentes & cogitationes omnes ad gloriam Chriſti & ſalutem Eccleſiæ referatis. Id quod præcipuè optat Pontifex ſummus, Cæſar, & Ferdinandus, Domini noſtri clementißimi. Quocirca per Chriſti uulnera omniaq́; ſacra uos obteſtantur, ut afflictam & acciſam Eccleſiæ concordiam ſanare & reſarcire ſtudeatis, propter ſanctißimi nominis Chriſtiani profeßionem, patriæq́;, communis parentis, ſalutem. Quod niſi feceritis, uobis acceptum referetur, quicquid mali acciderit. Sin uerò parebitis, gratiam à Deo & Cæſare ſummam inibitis.

Mala ex diſſidiis nata, quæ ad locū inutilis pertinent.

Facile, de modo componēdi diſsidia.

Epilogus repetens cauſam, & mouens affectus. Ex loco honeſti, vtilis & inutilis.

DE

DE SVASIONE ET diſſuaſione.

Adhortationi affinis eſt Suaſio & Diſſuaſio. qui enim confirmationis loci in adhortatione uſurpantur, ijdem etiam in ſuaſione & diſſuaſione adhibentur. Quare paucis exemplis in monſtrandis ſuaſionibus diſſuaſionibusq; contenti erimus.

Epiſtola Ciceronis ad Marcellum ex quarto familiarium: Etſi eo te adhuc vſum conſilio, &c.

Suadet Cicero Marcello, ut mutato conſilio domum reuertatur.

I. *Exordium ducit à perſona Marcelli, & ſuo erga ipſum animo.*

II. *Laudat eius conſilium, cum ſuoq; comparat, tum cum aliorum conſilijs confert.*

III. *Addit correctionem: Sed ſit modus conſtantiæ animi.*

IIII. *Cæſar non malè tibi uult.*

V. *Vbicunq; es, non potes effugere Cæſaris poteſtatem.*

VI. *Patriam debes præferre omnibus alijs opportunitatibus.*

VII. *A conſenſu amicorum: Omnes cenſent tibi redeundum eſſe.*

VIII. *Res tua familiaris ſalua eſt domi.*

IX. *Deprecentur te lachrymæ fratris & dolor meus.*

Poſtremo pollicetur ſuum ſtudium nulla re defuturum.

Digitized by Google

Aiax apud Sophoclem ſeipſum exuſcitat, quamuis ſimulatè, ad modeſtiam, ſumpto argumento grauiſsimo à communi ordine naturæ.

Nos igitur poſthac ſciemus dijs
Cedere, ac diſcemus Atridas venerari.
Duces ſunt, quare illis obtemperandũ eſt. quid ni?
Nam & quæ firmiſsima ac potentiſsima ſunt,
Magiſtratibus cedere ſolent: faciunt hoc niuoſæ
Hyemes. Nam frugiferæ æſtati cedunt.
Cedit & noctis obſcuræ circulus,
Cum lucida dies orbem illuminat.
Et ſæuorum nymborum flatus aliquando ſopiunt
Frementem pontum. atque ipſe validus ſomnus
Nunc membra ligat, nunc eadem rurſus dimittit.
Cur igitur & nos non diſcamus eſſe modeſtiores?

Cyrus παιδείας octauo moriturus, hortatur filios ſuos ad ſtudium cultumq; amicitiæ atq; concordiæ, hoc modo.

Non hoc aureum ſceptrum eſt, quod regnum conſeruat: ſed amici multi ſceptrum ſunt regibus ueriſsimum & tutiſsimum. Neq; *uerò exiſtimabis, natura homines fidos. Sic enim ijdem fidi omnibus uiderentur, ſicut res cæteræ quæ natura gignuntur, eædem apparent omnibus. Sed fidos ſibi quiſq; reddat neceſſe eſt.* Neq; *etiam ui comparantur tales, ſed potius beneficentia. Si igitur alios quoſdam uolueris tibi conciliare, quorum præſidio uti in regno poßis, non aliunde*

Vtilitas amicitiæ, quod ſit ſceptrum, hoc eſt, firmamentum regni.

Amici fidi nõ naſcuntur, neq; vi adiunguntur, ſed beneficentia conciliantur.

prius

prius incipe, quàm ab eo qui ex eodem loco natus eſt. Vnde homines ciues alienigenis coniunctiores ſunt, & ſodales extraneis. Qui uerò ex ſemine eodem ſunt orti, & à matre eadem nutriti, et in domo eadem adoleuerunt, ab iiſdem parentibus amati, & patrem matremq; eandem appellantes, hi propinquitate omnium ſunt coniunctiſsimi. Nolite igitur ea bona, quæ Dij immortales ad propinquitatem fratribus inducunt, irrita unquam facere: ſed ea ſtatim augete alijs amicitiæ officijs, & ita ſemper inuicta inter uos erit amicitia. Sibi profectò ipſi conſulit, qui fratri proſpicit. Cui enim alij maiori ornamento eſt frater ornatus, quàm fratri? Quis alius ſic honorabit uirum potentem, ut frater? Quis eſt adeò ab iniuria aliorum tutus, ut is qui habet fratrem magnum? Nemo certè neque citius tibi obtemperauerit, neq; promptius adfuerit. Huius enim cùm bona tùm mala nemini erunt propiora, quàm tibi. Inſuper & hoc in animo cogitate, à quo pro tuis beneficijs maiorem compenſationem ſperabis, quàm à fratre? Quis à te adiutus ſocius firmior tibi uiciſsim eſt futurus? Quem deniq; adeò turpe eſt non amare, ut fratrem? Et contrà, quem honeſtius eſt anteponere, quàm fratrem? Solus frater, ô Cambyſes, ſi primas partes teneat, facit ut ne inuidia quidem aliorum te attingat. Quin per Deos patrios, ô filij, colite uos mutuò, ſi quid & mortuo mihi gratum facere uoletis.

Natura artiſſime copulauit conſanguineos, & præſertim fratres germanos.

Congeries cōmodorum fraternæ concordiæ

Turpe.
Honeſtum.

Concluſio habēs πάθος paternum.

SECVNDA CLASSIS MATERIArum generis Deliberatiui, quæ eſt petitio.

Loci

LOci in hac claſſe adhibendi ſunt ijdem, quos in ſuperiori uſurpauimus. I. Ab honeſto. II. Ab utili. III. A facili. Quidquid enim petimus, id & honeſtū & utile eſſe debet, & tale ut dari poßit. Nam impoßibilia nemo petit.

EX loco honeſtatis argumenta ſumūtur in hoc genere: à Cauſis efficientibus, à Mandato Dei, ſeu uoluntate: item è Doctrina ſapientum.

Erudite autem intertexi debent petitionibus cauſæ, quæ προηγούμεναι & προκαταρκτικαὶ nominantur. προηγουμένη impulſiua cauſa uocatur, interior affectus animi & uoluntatis, declaratus uerbis & exemplis. Hac præcipuè niti noſtra petitio debet, ut cùm quis ait: Noui tuam ſingularem humanitatem, pietatem, & beneuolentiā, quam non ſolùm uerbis ſæpe oſtendiſti, ſed re ipſa etiam comprobaſti. Quare fretus hoc tuo animo egregio prorſus, confido me aſſecuturum quod cupio. προκαταρκτικὴ eſt cauſa obiectiua, quæ nos mouet uel irritat ut petamus. ut ſi oſtendimus nos ualde opus habere ope alterius: idcirco intermittere non poſſe, quin petamus. Hoc in genere recenſenda ſunt & exponenda obiecta. Vt, ſtudioſus petens à parentibus ſumptus ad ſtudia, nominat obiectum, quo irritatur, uel potius impellitur ad petendum. monſtrat enim inopiam. Qui à Deo opem petunt, aut liberationem, commemorant mala ſua, ſeu ærumnas & calamitates, ex quibus eripi cupiant.

Locus Ab utili, in hac claſſe potißimum conſiſtit in enumeratione finium & conſequentium. Finiū nomine

Digitized by Google

mine comprehenduntur ea, ad quæ referri uolumus illa quæ petimus. Vt ſi à Deo aliquid petimus, hi fines nominandi ſunt: Gloria & celebratio nominis diuini, atq; Eccleſiæ ſalus. Omnia enim bona quæ à Deo petimus, referri debent ad gloriam Dei, & Eccleſiæ ſalutem. Sic in alijs petitionibus omnibus fines exponendi ſunt, ſeu utilitates, quæ, ſi noſtræ petitioni ſatisfactum fuerit, peruētur æ ſint ad nos pariter, et illū q petitur. Ad conſequentiū titulum pertinet gratitudo noſtra, cū pollicemur nos non ſolū memoriā accepti beneficij ꝑpetuò conſeruaturos, ſed alijs quoq; id prædicaturos eſſe.

EXEMPLVM HVIVS CLASSIS
primum.

Cupit adoleſcens intrare in familiaritatem magni viri, ideo petit illum, vt ſe recipiat.

Ἀξίωσις. *Sapienter ſimul & utiliter à Cicerone præceptū eſt, ut hi quorum prima ætas propter humilitatem & obſcuritatem in hominum ignoratione uerſatur, ſimul ac iuuenes eſſe cœperunt, magna ſpectent, et ad ea rectis ſtudijs contendant: idq; eo, ait, firmiore animo illis faciendum, quòd non modò non inuideatur illi ætati, ſed etiam faueatur. Hoc præceptum quoties conſidero, mirum in modum recreor, & uel ad me ſolùm pertinere illud arbitror, quem & obſcurum & humilem natura generauit.*

Etſi autem hæc mea humilitas ſæpe me abſterrere conatur, ne præſtantium uirorū familiaritatem aucuper: tamen cum huic ætati, in qua iam Dei benignitate uerſor, fauere ſoleant omnes, inuidere nulli niſi

pror-

*prorſus mali: ſpero mihi quoq; iuxta hoc ſapientiſſi-
mum præceptũ Ciceronis ueniam dari à tua præſtan-
tia, ſi nunc ipſius familiaritatem precibus mihi con-
ciliare ſtudeam. Vtrunq; enim hæc ſententia docet,
& ut ij qui iuuenes ſunt, & obſcuriores, in magno-
rum uirorum familiaritatem ſeſe inſinuent: & ut illi
qui natu maiores ſunt, & prudentia celebritateq; no-
minis cæteros antecunt, iuniores ad ſe confugientes
non repudient. Quocirca minus nunc uereor tuam* Propoſitio.
*præſtantiam appellare, omnibusq; precibus orare, ut
me iuuenem, humilem quidem & imperitũ, ſed tamen
multa quotidie addiſcere cupientem, placidè ſuſcipiat,
complectatur, & totum commendatum ſibi habeat.* Confir. I. argumentum a cauſa προηγουμένη.
*Ineſt in te uerè inſignis illa & rara uirtus, quam hu-
manitatem, facilitatem & comitatem uocare ſolemus:
qua non ſolùm ſummos, ſed etiam infimos quoſq; tibi de
uincis. Quo ſanè quid facere poſſes melius? Non enim
triumphus, non uictoria, non diuitiæ, non potentia,
non gloria deniq; ulla præſtantior & laudabilior eſt,
quàm hæc erga iuniores lenitas & modeſtia. Hanc
enim qui præſtat, non ego cum magnis uiris comparo,
ſed ſimilimum angelis & propè dixerim Deo ipſi iu-
dico. ſiquidem nihil eſt quod tam propè ad angelorũ
uirtutem & Dei naturam accedat, quàm natu iunio-
res & humiliores complecti, fouere, & conatus eo-
rum ad laudẽ pietatis integritatisq; tendentes iuuare
et prouehere. Hac uirtute inſigni præ cæteris ornatus
mihi uideris, cũ ſemper minores ad te confugientes nõ
ſolùm benignè ſuſceperis, ſed ultrò etiã tua libertate*

Digitized by Google

atq; beneuolentia allexeris atq; prouocaueris. Quid quòd etiamnũ multi, à te familiariſsimè et officioſiſsimè adiuti, teſtes ſunt tuæ uirtutis & beneuolẽtiæ perpetui, & locupletes? Hi enim uno ore tuam pietatem & amicitiæ fructũ ampliſsimum prædicant, & quanta facilitate à te ſuſcepti primùm, & poſtea tractati cultiq; ſint, crebris ſermonibus non obſcurè teſtantur. Hæc ſanè cum ita ſe habeant, quiduis potius mihi euenturum puto, quàm ut à te tam facili, tam benigno & pio uiro repudier aut reijciar.

II. a cauſa. προκαταρκτικῆ.

Nec uerò temerè, aut ambitione aliqua adductus, hoc à te peto: ſed res meæ me ut id faciam cogunt. Scis imbecillitatem iuuenum, qui non poſſunt ſeipſos abſq; ſeniorum prudentia regere. Eſt enim omnis adoleſcens, Homero & Cicerone magnis teſtibus, inops conſilij, & inconſulta temeritate plenus. Quamobrem maiorum ope & iudicio neutiquam carere poteſt. Multæ ſeſe res quotidie offerunt, quas meo iudicio nec aſſequi nec expedire ullo modo poſſum. Quare magnopere mihi tua prudentia ad multa neceſſaria eſt, & utilis. Atq; hæc cauſa me potiſsimùm urget atq; inſtigat, ut ad tuam præſtantiam confugiam, & grauiſsimo tuo iudicio meum confirmare cupiam.

III. a fine & conſequentibus.

Ego uerò ſi tua prudentia mihi uti, & inſignia tua facta cernere, & diſertos ſermones audire contigerit, in tota mea uita nihil aliud ſtudebo, niſi ut mea qualicunq; eruditione, induſtria atq; diligentia tibi honori, patriæ emolumento, & amicis ornamento ſim, omnibusq; promptè & officioſè ſeruiam. Hic erit omnium meorum ſtu-

diorum

diorum finis, hoc ultimum, hic ſcopus, hæc meta, ad hanc tota animi contentione nitar, & non niſi perfe-cta re quieſcam: imò niſi effecero, totam uitam mihi acerbam eſſe putabo. Quocirca noli uir grauiſsime hoc tuum officium denegare. Non enim ad me ſolum illud pertinere arbitrabor, ſed & alijs communicabo, & ut ad quamplurimos dimanet & transferatur cu-rabo. Quod uerò ad meam gratitudinem attinet, ſan-ctè tibi polliceor, me non ſolùm memoriam tui benefi-cij perpetuò conſeruaturum eſſe, ſed etiã omnibus of-ficijs, omni tempore te culturum, & tanquam alterum parentem obſeruaturum atq; dilecturum. Et ſi hoc fortaſſe minus uidetur tibi, quàm ut magnitudini of-ficiorum reſpondeat. promitto tibi, & recipio me ope-ram daturum, ut etiam cum mortuo monumenta tui in me meriti permaneant. Cumq; honeſtorum factorum plerunq; comes ſit gloria, quæ eſt conſentiens laus bo-norum, et incorrupta uox bene iudicantium de aliqua uirtute: efficiam etiam, ut alij impulſi tuis in me be-neficijs, tuam hanc eximiam beneuolentiam & hu-manitatem prædicent & collaudent. Precabor etiam miſericordem Deum, æternũ patrem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui omnium factorum locupletem remu-nerationem pollicetur, ut tibi tuiſq; faueat: & hîc temporalia, in altera uerò uita æterna præmia tibi tri-buat. Habebis etiam tuorum in me meritorum ſpectato res angelos, qui ſupra modum lætabuntur, cum iunio-res, qui pietatis & honeſtatis amore flagrant, erudie-ris & amaueris. Nam & ipſi iuuenibus pijs, & ad

Gratitudinis pollicitatio.

uirtutem laudemq; rectis ſtudijs contendentibus fa-
uent, & quibuscunq; officijs poſſunt eorum conatus ſubuehunt, diligentiſsimeq; illos obſeruant & diligunt. Ita porrò ſi in tuam familiaritatem ſuſceptus fuero, me moderabor, ut nulla moleſtia nullumq; planè incōmodum à me tibi oriatur. Non enim committam, ut quicquam ægrè unquam tibi à me fiat: ſed te ceu pupillam oculi obſeruabo, & ad nutum uoluntatemq; tuam me totum conuertam. Quare non difficile hoc quod peto, factu tibi erit, cum ſine omni impedimento & citra omnem moleſtiam fieri poſsit. Quin cum ſeniores uel præcipuam uoluptatem inde capiant, ſi uiderint iuuenes ſtudioſè, modeſtè, piè ſuum officium facere: ſpero me effecturum eſſe meo obſequio, moderatione & induſtria, ut plus delectationis quàm difficultatis ex me percepiſſe uidearis. Proinde te maiorem in modum oro, ut cum nihil honeſtius facere poſsis, aliosq; ſemper tua benignitate adiuueris, me quoq; tua ope uehementer indigentem placidè ſuſcipias. Mihi certè in omni uita res nulla tam erit propoſita, quàm ut quotidie uehementius te de me optimè meritum eſſe læteris. Vale.

Facile.

Iucundum.

Epilogus.

PETITIO VICTVS
à parentibus.

Impreſsit Deus parentibus & liberis inſignē imaginem ſuæ erga nos ςοϱγῆς, ſeu naturalis affectionis. ut enim à ſe uult peti bona, ita etiam filios iubet parentes rogare, ſi quid ab ijs ſibi ſuppeditari cupiant. Hinc ſanè fit, ut quoties liberi aliqua re egēt, audacter

Exordiū ab affectu parentū in liberos.

eam

eam à ſuis parentibus petant. Vt autem Deus, *benignus noſter parens, nihil nobis petentibus denegare poteſt præſertim ſi honeſta & utilia flagitemus: ita etiam parentes pro ſuo ingenti erga liberos amore, non poſſunt non omnia neceſſaria & bona illis poſtulantibus ſuppeditare.* Non *enim ſinit naturalis eorum pietas, ut filijs indigentibus & petentibus opem non ferant: quin uideas pleroſq; parentes adeò natos ſuos amplecti & diligere, ut non ſolùm fortunas ſuas illis impertiant, ſed etiã uitam pro ijs effundere non dubitent.* Id *quod nos ſuo exẽplo perſpicuè docent multæ beſtiæ, in quibus tanta uis naturalis amoris ſeu* ϛοργῆς *erga ſuã ſobolem ineſt, ut non ſolum uictũ illi præbeant, ſed etiam ſuum defraudent genium, & ſeipſos negligant, ne quid cibi aut uictus liberis deſit. Quòd ſi in brutis tanta uis eſt naturalis beneuolentiæ erga ſobolem, quomodo rationales parentes affectos eſſe erga ſuos liberos putemus? Cum autem me quoq;* Deus *benignus filiũ ueſtrum eſſe uoluerit, et uobis parentibus in hanc lucem ediderit ac emiſerit: nihil mihi dubium eſt, quin uos quoq; hoc modo erga me animati ſitis, quo parentes decet naturaliter erga liberos eſſe affectos. Quod cum ita ſit, non uereor nunc & uitæ & ſtudiorum meorum ſubſidia à uobis petere.* Non *enim minus meum eſſe intelligo, omnia bona à uobis expectare, quàm ueſtrum, ardenti amore & naturali pietate me complecti atq; fouere. Quare uos debita reuerentia & pietate oro & quæſo, ut ad ſtudia mea uictũ & ſubſidia mihi mittatis, et liberaliter præbeatis.* Propoſitio.

 Id enim

Cauſa προηγουμένη. Id enim cogit naturalis ueſter in me amor, & στοργὴ ardentiſsima, quæ non ſinit ut quicquam mihi tam iuſtè tamq; honeſtos ad uſus petenti denegetis. prius .n. ſol ſuum lumen et clariſsimum ſplendorem amittat neceſſe eſt, & tota naturæ facies mutetur, quàm hic ueſter beneuolus in me animus, aut naturale hoc incendium extinguatur aut aboleatur. Neq; etiam obſcurè hanc ueſtram in me pietatem declaraſtis, cum ſemper uſq; ad hunc diem benignè me alueritis, & in ſtudijs ſuſtentaueritis. taceo interim, quòd multoties ſummũ ueſtrum auxilium in continuandis ſtudijs polliciti ſitis. Suppeditaſtis hactenus liberaliter ſubſidia omnia, quibuſcunq; opus habui: neq; adhuc paternum iſtum affectum exuiſtis. Quare ſat ſcio nunc quoq; fore, ut

προκαταρκτική. ueſtram opem non fruſtra imploraſſe uidear. Quæ ſit ſtudiorum meorum ratio nouiſtis, cum aliquos progreſſus in literis fecerim: pluribus ſumptibus indigeo, quos tum in præceptores, tum in libros emendos impendam. & nunc inſigniter & præcipuè opus habeo quibuſdam libris, quibus tam ægrè careo, ut non panẽ quotidianum tantopere deſiderem. Debeo etiam præceptoribus precium docendi ſoluere: & ut gratitudinem meam cognoſcant, & ad erudiendum me paratiores reddantur. Hæc ſanè neceſsitas me impellit, ut ſeriò nunc à uobis efflagitẽ ut pecuniam mittatis. Non eſt autem quòd ullo modo de meo erga uos animo, &

Finis & conſequentia. de ſtudijs meis dubitetis. Ego enim & animum pium & honeſtum adhuc erga uos habeo, & quidem eundẽ quem diſcedens præ me ferebam: & literis, ſi unquam

alias

aliàs, certè nunc ſtrenuè & tota animi contentione incumbo. Decreui enim in ijs omnem meam operã et induſtriam, cogitationem & mentem deniq; omnem figere atq; locare. Tantum enim diligentiæ in ijs hactenus præſtiti, ut ſperem omnes bonos, meos conatus probaturos eſſe, atq; laudaturos. Neq; etiam ocio aut deambulationibus tempus tranſmitto, neq; belluatione delector: ſed omnes horas in diſcendis literis conſumo. Adhibeo Deo æterno patri Domini noſtri Ieſu Chriſti crebras & pias preces, ut ſuo Spiritu ſancto meos conatus fortunet, & felices ſucceſſus præbeat. Ita ſanè ſpero futurum eſſe, ut breui mediocri cognitione artium & linguarum percepta, patriæ meæ utiliter inſeruire, & uobis ornamento honoriq; eſſe poſſim. Id .n. uobis de me perſuadeatis uelim, me omnem meam operam, induſtriam & conatũ ad gloriam Dei, ſalutem Eccleſiæ, utilitatem ſcholarum, & Reipub. honorem, ueſtrum deniq; decus eſſe relaturum. Non mihi certè unquam tam erit quicquam curæ, quàm ut debitæ pietatis & gratitudinis erga uos memor ſim: quin efficiam meo pertinaci ſtudio & diuino auxilio, ut plurimum honoris & fructus ex me percepiſſe uideamini. Nec obliuiſcar Epaminondæ uocis, qui dixit ſe nullam maiorem uoluptatem ex ſuo triumpho clariſſimo percepiſſe, quàm quòd habuiſſet parentes ſuarum laudum ſpectatores. Valete.

ALIVS MODVS EFFERENDI materiam eandem.

Paulus tria à parentibus requirit: nutritionem ſcilicet, A χρεία, hoc eſt, Pauli præcepto.

ſcilicet, diſciplinam, & doctrinam. Nutricatio complectitur uictum & amictum, ad corporis ſuſtentationem neceſſarium: diſciplina, morum confirmationem: doctrina, cognitionem uerbi diuini, artium & linguarum Eccleſiæ & communi conſociationi neceſſarium. Cum autem mihi hactenus, iuxta hoc ſaluberrimum mandatum Apoſtoli, uictum atq; diſciplinam liberaliter præbueritis, & tertio loco ad ſtudia honeſtarum artium adhibueritis: non diffido, uos porrò etiam in inſtituto ſtudiorum curriculo benignè mihi ſubuenturos eſſe.

Propoſitio. Quare oro & quæſo propter ardentiſsimam στοργὴν, quæ eſt inter uos meos parentes, & me ueſtrum charum filium, ut me diutius ueſtris ſumptibus ſuſtentetis.

προκαταρκτική. Non equidem credo uos paternum ueſtrũ erga me animũ depoſuiſſe: quem ſatis declaraſtis, cum mihi ad ingredienda & ſuſcipienda hæc ſtudia authores eſſetis: quamobrem non dubito, quin ſimili etiam pietate & liberalitate nunc eadem promoturi ſitis. Te uerò in primis, chariſsima mater, quæ me ſub pectore tuo geſsiſti, & uberibus tuis aluiſti, obteſtor, ut propter eadem ubera tua mei miſerearis, & porrò tuis ſumptibus alere non deſiſtas. Neq; uerò, quod ſat ſcio, ſinet pietas, neq; concedet naturalis ueſter amor, ut quem genueritis, & in hunc uſq; diem nutriueritis, in poſterum ulla re egere patiamini, aut in hac inopia uictum illi denegetis. Quemadmodum enim Iacob patriarcha non potuit nõ affici infelici ſorte filij ſui Ioſeph: ita fieri non poteſt, quin cum intelligatis mihi uictum deeſſe, ueſtra benignitate mihi ſuccurratis.

Facultas. Non autem

pcto

peto immodicos aut inutiles ſumptus, ſed mediocres et neceſſarios, quibus me utcunq; ſuſtentare poßim. Video hoc uobis difficile uideri: ſed mihi credite, is qui omnia facta remuneraturus eſt, ampla præmia uobis tribuet, & pro uno nummulo quem mihi miſeritis, ſexcentos reddet. Nec eſt quòd id uos ſolicitet, quaſi non poßitis me amplius ſuſtentare in literarum ſtudijs uerſantem. Non enim ideo quòd exiguæ uobis ſint facultates, à ſtudijs deficiam: ſed ſcio Deum cui ſeruio, mihi ſuggeſturum uictum & amictum. Nam illius res agitur, non mea. Quare ſi uult me diſcere literas, quibus ipſi inſeruiam, dabit etiam utiq; ſubſidia neceſſaria, quæ alioqui ſuo ſeruo debet dominus. Non enim ueſtræ opes ſunt, quæ mea ſtudia promouent. Nam ſi diuitiæ cauſa eſſent eruditionis, opulenti eſſent eruditißimi. Sed Deus plerunq; uocat ad Eccleſiæ ſuæ & ſummorum officiorum gubernationem, pauperes, relictis diuitibus. Ideo ipſi curæ erit, quomodo ego & alij pauperes, quos ſuos miniſtros elegit, alamur & ſeruemur. Vos modò pro modo facultatum, quas Deus uobis largitus eſt, ſubuenite mihi, & neceßitati meæ: cætera dabit abundè Deus. De mea autem gratitudine id uobis perſuadeatis uelim, me omnem daturum operam, ut meam pietatem & beneuolentiam iterum cumulatè experiamini: rogaturumq; Deum miſericordem & propitium patronum pauperum & orphanorum, ut uobis uicißim benefaciat, & pro ueſtris in me meritis æterna præmia tribuat. Gratitudo.

Digitized by Google

EXEMPLVM EX CICERONE LIbro 2. Epiſt. famil. Epiſt. 5. Nondum erat auditum,&c

Petijt conſolatum Milo. Quia uerò Curio plurimum & authoritate & potentia in ſenatu ualebat, petit ab eo Cicero, ut Milonem in adipiſcendo conſulatu adiuuet. Eſt igitur propoſitio totius epiſtolæ: Oro ut Milonem tua opera, gratia & induſtria in conſulatus petitione iuues.

Diſpoſitio.

Exordium multum habet artis: ſumitur à circumſtantia temporis. Oſtendit enim hoc tempus maximè ſibi idoneum uiſum fuiſſe ad mittendum has literas. poſtea inſigni utitur inſinuatione, in qua ſua erga Curionem beneficia extenuat, ut audacius petere poßit, ne uideatur remunerationem pro exhibitis beneficijs exigere. Accedit deinde aduerſatiua, qua paulatim ad propoſitionem ſibi aditum facit: Sed quia antea plurimum beneficij mihi præſtitiſti, et animi ingenui eſt, quo plus debeat, eo plus debere uelle: non dubito, hoc quoq; officium à te petere, quod maximum eſt, et quidem ualde neceſſarium. Addit rationem à ſua perſona: Ego nullum officium tam magnum eſſe puto, quod non accipere & cumulatè referre poßim. Deinceps ſuum erga Milonem ſtudium prædicat, ut honeſtatem rei quam petiturus eſt, exaggeret, quo digniorem eam eſſe cenſeat Curio, in qua elaboret. Nam cum ipſe tantopere ſe in negotio Milonis iactet, oſtendit dignam

rem

rem eſſe, quam etiam Curio agendam ſuſcipiat. Propoſitio petitionis ualde modeſta eſt. Confirmationis loci hi ſunt: Facile & utile. Argumentũ à facili hoc eſt: Omnia nobis ſuppetunt quæ quidem ad conſequendum conſulatum requiruntur, tantùm duce nobis & authore opus eſt. Sed nemo eſt aptior dux & gubernator quàm tu: ergo ſubueni, & ſtudium tuum nobis præſta. In loco ab utili tractatur argumentum à conſequentibus. Oſtendit enim, ſi hoc fecerit, futurũ eſſe, ut Milonem, uirum magnum, grauem & conſtantem, ſummo officio, ſummaq; obſeruantia & beneuolentia in perpetuum ſibi deuinciat: & ſibijpſi quoq; multum dignitatis et emolumenti inde acceſſurum eſſe ait. Tandem additur reiectio: Plura ſcriberem, & pluribus uerbis hæc à te peterem, ſed officij mei magnitudo non ſinit. Sequitur igitur concluſio: Commendo tibi totam cauſam, & polliceor me gratum fore.

ORATIO ARISTAGORAE AD Cleomenem, ex 5. libro Herodoti.

Ariſtagoras tyrannus Mileti ad Cleomenem regem Spartanorum uenit, petens auxilium & defenſionem patriæ aduerſus hoſtes.

Oratio fermè in hunc modum enunciatur: Miraris fortaſſe Cleomenes, cur ego te nunc acceſſerim, & te alloqui cupiam. Verùm deſine quæſo mirari. non enim ſine graui cauſa huc pedẽ tuli. Nihil neq; nobis ipſis, Exordium à cauſa. A turpi.

ipſis, neq; uobis indignius aut turpius eſſe poſſet, quàm gentem Ioniæ liberam in triſtem ſeruitutem redigi ſinere. Et in primis uobis maximum dedecus & nominis maculam fœdiſſimam adferret, qui toti Græciæ

Propoſitio. potentia & laude antecellitis. Quocirca propter Deum propitium et ſeruatorem Græciæ, liberate ab impendente ſeruitute Iones. Sunt enim ſanguinis uinculo arctiſſimè uobis copulati & deuincti.

A facili. Neq; uerò eſt quòd exiſtimes rem difficilem & arduam me petere. Barbari enim non ſunt fortes: nihil animi, nihil neruorum habent. genere pugnandi utuntur, ſeu armatura leui, & contemnenda potius quàm metuenda. Habent breues arcus, & ſpicula breuia: longasq; in capitibus gerunt criſtas, quibus facilimè prehendi & capi poſſunt.

Ab utili. Bona uerò ſunt illis tanta, quanta non ſunt cæteris omnibus: abundant auro, argento, ære, ueſtium magnificentia, iumentorum copia, tum mancipiorum multitudine. his omnibus, ſi uolueritis, potiemini. Sunt.n. longè maxima uobis bona inde expectanda. Nam poteſtis etiam multos uicinos populos uobis adiungere, qui auro, potentia, re pecuaria & diuitijs cæteris excellunt. Nam Ioniæ confines ſunt Lydi, ditiſſimi argento. Hos conſequuntur Cilices accolæ Cypri inſulæ, quæ quingentorum talentorum tributum regi annuatim pendit. His iterum uicini ſunt Armenij, Armenijs Matieni. Matienis terra Ciſſia confinis eſt, in qua iuxta fluuium Choaſpen ſita ſunt Suſa, quæ Regi magno domicilium præbent. Hic demum opum uariarum theſauri reperiuntur. Et hanc urbem

ſi ex-

Digitized by Google

ſi expugnaueritis, non tunc qui uobiſcum certet ex Aſia reperietur: tanta eſt ſpes auri argentiq́;, & cæterarum rerũ omnium, in hoc bello. Quare cũ iam adeò commodam & optatam habeatis occaſionem totius Aſiæ capiendæ, quid impedit quin libenter totisq́; uiribus hoc bellum ſuſcipiatis?

PRECATIO, QVAM STVDIOSI SINGVlis diebus Deo, vt felicem det ſucceſſum, exhibere debent.

Gratias ago tibi omnipotens Deus, æterne pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, quòd inde uſq; ab initio mundi tuã Eccleſiam tibi collegiſti, et precioſo filij tui ſanguine redemiſti: & me miſerũ æternarumq́; pœnarum reum, in ea ciuem aſciuiſti, cùm in ſacroſancto baptiſmate ſanguine filij tui me aſperſum ab omnib peccatis abluiſti, et hæredẽ uitæ æternæ ſcripſiſti: quodq́; adhuc tuam Eccleſiam conſeruas, regis, doces & tueris, concedis illi pacem & hoſpitium tranquillum. Ingens eſt hoc tuum beneficium, & maius quàm ut cogitatione illud aſſequi, aut oratione & gratiarum actione celebrare poßim. Ago etiam tibi gratias, quòd me ſingulari conſilio ad literarum ſtudia uocaſti, et hactenus mediocrem felicitatem in ijs largitus es mihi, dediſti ingenium, præceptores, & alia neceſſaria omnia. Te oro & obſecro, ut porrò etiam tuam Eccleſiam, cuius membrũ & ciuis ſum, tuearis, & doctrinam puram et ὀρθοδόξαν, quam ipſe tua uoce populo tuo Iſraëlitico tradidiſti, & quam profeſſus eſt Chriſtus filius tuus unigenitus, & circumtulerunt

Apoſtoli

Apoſtoli, ſerues, & ad omnem poſteritatem propages: dones fideles & idoneos doctores: concedas pacē & concordiam, repulſis hoſtibus & repreßis furoribus ſophiſtarum & hæreticorum, qui eam extinctam uolunt. Serua etiam Scholas pias: & artium linguarūq; theſaurum, quem dediſti nobis, clementer cuſtodi. imperti nobis præceptores bonos, fideles, pios, & ſolidæ ueritatis amantes, à quibus rectè, piè & utiliter erudiamur. Rege nos Spiritu ſancto, & effice ut pariter præceptores uera doceant, & ut nos utilia & ſalutaria nobis ipſis, Eccleſiæ & toti Reipub. diſcamus. Da nobis ingenium felix, & doctrinæ bonæ capax: redde mentem docilem & perſpicacem, ut ſeriò & magno cum fructu uerbum tuum & bonas artes diſcamus: acue & procude linguam, ut res mente comprehenſas expeditè & diſertè efferre poßimus: tuere ualetudinem, ut opera uocationis ſtudioſè faciamus: & ſuppedita nobis alia quæ ad ſtudia neceſſaria ſunt, ut uera pietate & literarum cognitione inſtructi, utiliter inſeruiamus Eccleſiæ tuæ, iuuentuti, & toti uitæ humanæ, per Chriſtum Ieſum filium tuum unicum, noſtrum ſaluatorem, interceſſorem, & pontificem ſummum: Amen.

EXEMPLVM ORATIONIS DVCIS Saxoniæ Ioannis Friderici, habitæ anno 1548. ad Granuellanum & Atrabatenſem epiſcopum, legatos Cæſaris.

¶ Propo-

¶ Propoſitio eſt: Oro & obſecro, ut Cæſar meam cõſtantiam profeßionis doctrinæ Euangelicæ, placidè & animo quieto ferat, meq́; tandem ex diuturna captiuitate dimittat. Superiori quoq; anno Cæſar mecum egit, & uoluit perſuadere, ut decretũ de reformatione doctrinæ acciperem: ſed cum uideret meam conſtantiam, deſtitit. Quod ſanè beneficium Cæſaris maximũ eſſe putaui: & ex eo etiam meas ærumnas, uincula, exiliumq; patientius tuli. Verùm cum nunc denuò urgeat, ut huic de religione decreto ſubſcribam: non poſſum intermittere, quin liberè quod ſentio dicam. Profiteor equidem genus doctrinæ, quod uideo maximè conſentaneum eſſe doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ, nec ullius poſſe conuinci erroris: eius ſummam etiam pater meus, ego & alij principes quidam Cæſari in conuentu Auguſtano exhibuimus, ut ea comprehenſio eſſet perpetuum monumentum doctrinæ eccleſiarũ noſtrarum. Cum igitur certò ſciam, hanc doctrinam ueram et orthodoxam eſſe: nihil minus poſſum quàm huic Cæſaris decreto, quod multa à ſacroſancta Scriptura aliena continet, aſſentiri atq; parêre. Quid etiã poſſet eſſe ſceleratius, quàm metu periculi, ueram & ſemel agnitam, tantaq; conſtantia hactenus retentam doctrinam Chriſti abijcere, & contrariam recipere? Quantum peccatorum committerem, quantam pœnã mererer? quantum mali mihi accerſerem? quantopere etiam Eccleſiam Domini meo exemplo offenderem? Hæc nimirum eſt ſatis magna cauſa, cur Cæſari hac in re morem gerere non poßim. Quid præterea Cæ-

Ab ante actis.

Doctrinæ genus honeſtũ, hoc eſt, cum verbo Dei congruens.

Confeſsio ante exhibita.

A turpi.

A conſequentibus.

Digitized by Google

ſari ingratias eſſet, quàm ſi ore aliquid loquerer, et pe-ctore aliud clauſum tenerem? Quare oro & obteſtor Cæſarem, per miſericordiã Dei, & ſanguinem filij eius unigeniti, ut æquo animo hanc meã conſtantiam ferat, quam non poſſum citra ſalutis æternæ diſpendium abijcere. Audio quoſdam ad Cæſarem deferre, me non propter animæ ſalutem, ſed gloriam & propria commoda hanc doctrinam retinere, & defendere. Verùm ego teſtor Deum, qui omnium hominum corda inſpicit, quòd nullum priuatum commodum hac in re ſpectem, ſed ſolius Dei gloriam & æternam uitam quæram. Quod niſi ita ſe haberet, quid mihi melius & optabilius eſſet, quàm tandem ex hoc carcere liberari, & ad meos redire? Quid enim grauius mihi contingere poſſe exiſtimatis, quàm tanta corporis mole oneratum, tam triſte exilium diutius tolerare? Alioqui promitto Cæſari omnia debita officia in omnibus rebus, ſicut uirum generoſum decet, precorq; ut ex his uinculis liberer.

Petitionis propoſitio.

Præoccupatio.

ORATIO ANNIBALIS DVCIS CARthaginenſium, in qua pacem à Scipione Romano imperatore petit, ex Liuij lib. 10. Decad. 3.

Exordium a circumſtantiis.

Si hoc ita fato datum erat, ut qui primus bellum intuli Populo Romano, quiq; toties propè in manib. uictoriam habui, is ultrò ad pacẽ petendam uenirẽ, lætor te mihi fortè potiſſimùm datum, à quo pacẽ peterem. Tibi quoq; inter multa egregia, non in ultimis laudum hoc fuerit, Annibalem, cui tot de Romanis ducibus

uictoriam

uictoriam dij dediſſent, tibi ceßiſſe, teq; huic bello, ueſtris plus quàm noſtris cladibus inſigni, finem impoſuiſſe. Hoc quoq; ludibrium fortuna, an caſus ediderit, ut cum patre tuo Conſule ceperim arma, cum eodem primùm Romano Imperatore ſigna contulerim, ad filium eius inermis ad pacem petendam ueniam. Optimum quidem fuerit, eam patribus noſtris mentem datam à dijs eſſe, ut & uos Italiæ, & nos Africæ imperio contenti eſſemus. Neq; enim ne uobis quidem Sicilia atq; Sardinia ſatis digna precia ſunt pro tot cladibus, tot exercitibus, tot tamq; egregijs amißis ducibus. Sed præterita magis reprehendi poſſunt, quàm corrigi. Ita aliena appetiuimus, ut de noſtris dimicaremus. nec in Italia ſolùm uobis bellum, nobiſq; in Africa eſt: ſed & uos in portis ueſtris propè ac mœnibus, ſigna armaq; hoſtium uidiſtis, & nos ab Carthagine fremitum caſtrorũ Romanorũ exaudiuimus. Quod igitur nos maximè abominaremur, uos autẽ ante omnia optaretis, in meliore ueſtra fortuna de pace agitur, agimuſq; ij quorum & maximè intereſt pacem eſſe, & qui quodcunq; egerimus, ratum ciuitates noſtræ habituræ ſint. Animo tantùm nobis opus eſt, non abhorrente à quietis conſilijs. Quod ad me attinet, iam ætas ſenem in patriam reuertentem, unde puer profectus ſum, iam ſecundæ, iam aduerſæ res ita erudierunt, ut rationẽ ſequi, quàm fortunã, malim. Tuam & adoleſcentiã, & perpetuã felicitatem, ferociora utraq; quàm quietis opus eſt conſilijs, metuo. Non temerè incerta caſuum reputat, quẽ fortuna nunquã deceptit

ἄτιον belli, id eſt, alienorũ affectatio in Romanis & Carthaginenſibus. Effectus, hoc eſt, mala quæ inde conſecuta ſint.

Facultas faciendæ pacis, petita ex circumſtantiis.

Impulſiua cauſa pacis, ſcilicet animus quietis cupidus.

Obiectiua cauſa eſt fortunæ varietas & inconſtantia.

cepit. Quod ego fui ad Tranſimenum, ad Cannas, id tu hodie es: uixdum militari ætate imperio accepto, omnia audaciſsimè incipientem nuſquam feſellit fortuna. Patris & patrui perſecutus mortem, ex calamitate ueſtræ domus decus inſigne uirtutis, pietatisq́; eximiæ cepiſti, amiſſas Hiſpanias recuperaſti, quatuor inde punicis exercitibus pulſis. Conſul creatus, cùm cæteris ad tutandum Italiam parum animi eſſet, tranſgreſſus in Africam, duobus his exercitibus cæſis, binis eadē hora captis ſimul, incenſisq́; caſtris, Syphace potentiſſimo rege capto, tot urbibus regni eius, tot noſtri imperij ereptis, me ſextum decimum iam annum hærentem in poſſeſsione Italiæ detraxiſti. Poteſt uictoriam, inquā, malle, quàm pacē, animus? Noui uobis ſpiritus magis magnos, q̄ utiles: et mihi talis aliquādo fortuna affulſit. Quòd ſi in ſecundis rebus bonā mentem quoq; donarent dij, non ea ſolùm quæ eueniſſent, ſed etiam ea quæ euenire poſſent reputaremus. Vt omniū obliuiſcaris aliorū, ſatis ego documēti in omnes caſus ſum. Quē modò caſtris inter Anienem atq; urbem Romam poſitis, ſigna referentem ad mœnia Romana uideras, hic cernis duobus fortiſsimis uiris, fratribus, clariſsimis imperatoribus orbatum, ante mœnia propè obſeſſæ patriæ, quibus terrui ueſtram urbem, ea pro mea deprecantem. Maximæ cuiq; fortunæ minimè credendum eſt. In bonis tuis rebus, noſtris dubijs, tibi ampla ac ſpecioſa danti eſt pax: nobis petentibus magis neceſſaria, quàm honeſta. Melior tutiorq́; eſt certa pax, quàm ſperata uictoria: hæc in tua, illa in Deorum manu eſt.

A ſuo exemplo.

Ab honeſto: Specioſum eſt in felicitatis curſu pacem dare petenti.

Ne

Ne tot annorum felicitatem in unius horæ dederis diſcrimen. Cum tuas uires, tum uim fortunæ, Martemq; belli communem propone animo. Vtrinq; ferrum, corpora humana erunt. Nuſquam minus, quàm in bello, euentus reſpondent. Non tantum ad id, quod data pace iam habere potes, ſi prælio uincas, gloriæ adieceris, quantum ademeris, ſi quid aduerſi eueniat. Simul parta ac ſperata decora unius horæ fortuna euertere poteſt. Omnia in pace iungenda tuæ poteſtatis ſunt, Publi Corneli: tunc ea habenda fortuna erit, quam dij dederint. Inter pauca felicitatis uirtutiſq; exempla M. Attilius quondam in hac eadem terra fuiſſe fertur, qui ſic uictor pacem petentibus patribus noſtris abnuit: ſed non ſtatuendo tandem felicitatis modum, nec cohibendo efferentem ſe fortunam, quantò altius elatus erat, eò fœdius corruit. Eſt quidem eius qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis: ſed forſitan non indigni ſimus, qui nobiſmetipſis multam irrogemus, qui non recuſamus, quin omnia, propter quæ bellum initum eſt, ueſtra ſint, Sicilia, Sardinia, Hiſpania, quicquid Inſularum toto inter Africam Italiamq; continetur mari. Carthaginenſes incluſi Africæ littoribus, uos, quando ita dijs placuit, externa etiã terra mariq; uideamus regentes imperia. Haud negauerim, propter non nimis ſynceré petitam aut expectatam nuper pacem, ſuſpectam eſſe uobis Punicam fidem. Multũ per quos petita ſit, ad fidem tuendæ pacis pertinet Scipio. Veſtri quoq;, ut audio, patres, non nihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negauerunt pacem.

Ab utili.

Exemplum Attilii.

Conditiones pacificationis.

Occupatio de fide Punica.

Epilogus repetens ſummam petitionis cum enumeratione cõſequentium.

Digitized by Google

pacem. Annibal peto pacem, qui neq; peterem, niſi utilem crederem: & propter eandem utilitatem tuebor eam, propter quam petij. Et quemadmodum, quia à me bellum conceptum eſt, ne quem eius pœniteret, quoad ipſi non inuidere Dei, *præſtiti: ita annitar, ne quem pacis per me partæ pœniteat.*

PSALMVS SEXTVS.

Domine, a *ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me.*

Miſerere mei Domine: b *quoniam infirmus ſum. Sana me* Domine: *quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Et anima mea turbata eſt ualde. Sed tu* Domine *quouſq;?*

Reuertere c Domine, *& eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.*

Quoniam d *non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis gratias aget tibi?*

Laboraui e *in gemitu meo: lauabam per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabam.*

Tabeſcit præ triſticia facies mea, & inueterauit, dum omnes tribulant me.

Diſcedite f *à me omnes qui operamini iniquitatē, quoniam exaudiuit* Dominus *uocem fletus mei.*

Exaudiuit Dominus *deprecationem meam:* Dominus *orationem meam ſuſcepit.*

Erubeſcant g *& conturbentur uehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubeſcant ualde uelociter.*

PSAL-

a Incipit a re ipſa, hoc eſt, propoſitione ſuæ petitionis: Sis propitius mihi peccatori.

b Prima ratio ab obiecto, nempe infirmitate ſua, doloris magnitudine & cōſternatione.

c Secunda ratio a cauſa impulſiua, uidelicet miſericordia Dei.

d Tertia ratio a finali cauſa, quæ eſt gratitudo: Vt liberatus te celebrem.

e Expolitio cauſæ obiectiuæ per hypotypoſin ſigna exprimēs ueri doloris & conſernationis gemitum, lacrymas, & ſqualorem tabificum.

f Coſequens, id eſt, gratiarum actio, erumpens ex corde ex tentationū fluctu emergente, & auxilium Dei ſentiente.

g Aliud conſequens de hoſtium confuſione.

Digitized by Google

PSALMVS XIII.

Vſquequò Domine obliuiſceris mei in perpetuũ? Vſquequò abſcondis faciem tuam à me?

Quouſq; ponam conſilia in anima mea? Vſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me?

Reſpice & exaudi me Domine Deus meus: illumina oculos meos, ne obdormiam in morte. a

Ne dicat inimicus meus, b *Præualui aduerſus eũ: & qui tribulant me, exultent, ſi motus fuero.*

Ego c *autem in miſericordia tua ſperaui: exultabit* d *cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino, quoniam retribuit mihi.*

PSALMVS XXV.

Propoſitio Pſalmi eſt, precatio remiſsionis peccatorũ, donationis Spiritus ſancti, defenſionis in periculis, & vniuerſalis liberationis Eccleſiæ. Hæc propoſitio explicatur per cauſas impulſiuam & obiectiuam. Opponitur enim identidẽ peccatum ſiue delictum, tranſgreſsio, afflictio & miſeria, promiſſæ Dei bonitati, miſericordiæ & veritati. Tum finalis etiam cauſæ paſsim meminit.

Ad e *te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido: non erubeſcam,* f *ne exultent inimici mei ſuper me.*

Etenim uniuerſi qui expectant te, g *non confundentur: confundentur præuaricantes ſine cauſa.*

Vias h *tuas Domine demonſtra mibi: & ſemitas tuas doce me.* Q 4 Deduc

h Propoſitio: Verbi tui luce rege me, ne aberrem.

Querela de dilatione auxilii & liberationis, pertinens ad cauſam obiectiuam.

Propoſitio precationis: Iuua reddens vitam & læticiam.

a Cauſa finalis: Ne deſperem.

b Alia cauſa finalis: Ne mea clade hoſtis impietas confirmetur.

c Cauſa impulſiua liberationis in Deo, videlicet miſericordia.

d Cõſequens, id eſt, lætitia cordis & gratiarum actio.

e Affectus & geſtus precantis, in fide ſcilicet Chriſti.

f Cauſa finalis: Ne ludibrio ſim inimicis.

g A certitudine promiſſionis, cũ antitheſi eorum qui Deo non fidunt.

Digitized by Google

Deduc me in ueritate tua, & doce me: quia tu es Deus ſaluator meus: in te ſperaui tota die.

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & bonitatum tuarum quæ à ſeculo ſunt.

Delicta a iuuentutis meæ et tranſgreßiones meas ne memineris.

Secundum b miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.

Bonus & rectus Dominus: propterea docebit peccatores in uia.

Diriget manſuctos in iudicio: docebit humiliatos uias ſuas

Vniuerſæ c uiæ Domini miſericordia & ueritas cuſtodientibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius.

Propter d nomen tuum Domine propitius ſis peccato meo, quia multum eſt.

Quis eſt homo e qui timet Dominum? docebit f eum in uia, quam elegit.

Anima g eius in bonis commorabitur: & ſemen eius hæreditabit terram.

Secretum h Domini timentibus eum: & teſtamentum ſuum manifeſtabit illis.

Oculi i mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.

Reſpice k me & miſerere mei: quia unicus & pauper ſum ego. Tribua-

Ab honeſto, hoc eſt, officio Dei.

A cauſa impulſiua, hoc eſt, miſericordia.

a Alia pars precationis, de remiſsione peccatorum.

b Iterum a cauſa impulſiua, videlicet miſericordia & bonitate Dei, recipientis & docentis reſipiſcentes peccatores.

c Gnome docens Deũ eſſe beneficum & veracem omnibus qui fide & bona cõſcientia doctrinam verã amplectũtur.

d Repetitio propoſitionis & cauſæ impulſiuæ.

e Effectus timoris ſeu pietatis.

f I. Ductus & gubernatio Dei in vocatione.

g II. Commoda vitæ & liberorum felicitas.

h III. Præſentia & auxilium Dei in calamitatibus, id enim eſt ſecretum Domini.

i Iterum a fiducia ſua & liberatione Dei, quæ arctiſsimo vinculo colligata ſunt.

k Repetitio petitionis a cauſa obiectiua.

Digitized by Google

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceßitatibus meis erue me.

Vide afflictionem meam, & laborem meum, & dimitte uniuerſa delicta mea.

Reſpice inimicos meos: quoniam multiplicati ſunt: & odio iniquo oderunt me.

Cuſtodi animam meam, & erue me: quoniam ſperaui in te. Petitio defenſionis.

Integritas a *& rectitudo cuſtodient me: quia ſperaui in te.*

Libera b *Deus Iſraelem ex omnibus tribulationibus ſuis.*

a Repetitio precationis de luce verbi & ductu Spiritus ſancti in omnem veritatem.

b Epiphonema continens votum pro ſalute totius Eccleſiæ.

TERTIA CLASSIS MATERIArum generis Deliberatiui, quæ conſolationem continet.

HVius claßis ijdem ferè ſunt loci, qui ſuperiorum. Primò ponitur neceßitas ferendi mala.

2 *Honeſtas. ut enim turpe eſt in rebus aduerſis frangi, aut ſuccumbere: ita nihil laudabilius eſt, quàm eaſdem eleganter & celſo animo ferre.*

3 *Exempla eorum qui ærumnas fortiter ſuperarunt.*

4 *Vtilitas.*

5. *Facultas, cum proponuntur aut citantur ea quæ ad leniendum dolorem aliquid adiumenti adferre poſſunt.*

Cæterùm ut duplex eſt ratio conſolationis, una Philoſophica, altera Theologica: ita etiam duo ſunt

fontes, ex quibus argumenta cõſolandi ſumuntur. Con*ſolatio* Philo*ſophica tota conſiſtit in his locis, quos re-cenſui.* At Theologica, *ex auguſto illo ſacroq; fonte cœleſtis doctrinæ dimanat.* Quare *loci huius generis conſolationis fœcundiores efficatioresq; ſunt, quàm ſuperiores.*

LOCI CONSOLATIONIS PHILO-ſophicæ, & argumenta præcipua quæ ex locis ſingulis ſumi poſſunt.

I. *Locus, à neceſſario, hæc ferè ſuppeditat argumenta.* Primum *à communi ſorte, & ineuitabili lege naturæ, cui omnes ſubiecti ſumus.* Homines *ſumus, & ea lege nati, ut omnibus fortunæ telis uita noſtra propoſita ſit: & nullum eſt tam magnum malum, quod homini non accidere poßit: neq; ferè ullus reperitur, cui non aduerſitates & ærumnæ quamplurimæ in uita contingant.* Quare *cum omnes lege naturali miſerijs obnoxij ſimus, leuius eas ferre debemus.*

II. *Ideo etiam placidius aduerſa pati debemus, quòd lugẽdo mitigari non poßint, ſed ſæpè augeantur et geminentur. plerunq; .n. uidemus homines impatientes, et nimium dolori indulgentes, non ſolùm nihil proficere, ſed etiam dolorem & luctum duplicare.* Huc re*feruntur ſententiæ ſcitæ̀* Poëtarum *&* Hiſtoricorum. Ho*merus libro ultimo* Iliados:

οὐ γάρ τις πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο.
ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι
ζώειν ἀχνυμένους, *&c. Non enim aliqua utilitas*

eſt

eſt triſtis luctus. Sic ſanè decreuerunt dij miſeris hominibus, ut uiuant calamitoſi. Sophocles in Aiace: τί δῆτ' ἂν ἀλγοίης ἐπὶ ἐξειργασμένοις, οὐ γὰρ γένοιτ' ἂν ταῦθ' ὅπως, οὐχ ὧδ' ἔχειν: Quid *quæſo doles propter ea quæ facta ſunt? Non enim fieri poteſt, ut hæc non ita ſe habeant.*

Huc referantur exempla inſignia ex hiſtorijs petita, quæ neceſsitatem ferendi ærumnas declarent, atq; amplificent.

Secundus locus ab Honeſto, exhibet argumenta talia.

I. A *uirtutis præſtantia, quæ tanta eſt, ut propter eam omnia potius ferre, quàm ſuccumbere dolori debeamus. Hæc ſuadet, ut omnia humana, quantumuis triſtia & terribilia, contemnamus, et infra nos ponamus: ac propter decus laudemq; quæcunq; occurrunt ſubeamus & toleremus. Et exornetur hoc argumentum etiam, ſicut cætera, antitheſi: Vt nihil eſt laudabilius, nihilq; tam decet bonum uirum, quàm in rebus proſperis ſimul & aduerſis eundem ſemper uultum eandemq; mentem retinere: ita nihil indignius eſt, & deteſtabilius, quàm iiſdem frangi, & animum deſpondere.*

Huc addantur exempla præclarorum uirorum, qui propter uirtutis cultũ cùm bona, tum mala eleganter & placidè tulerunt. Et è regione recenſeantur exempla mollium uirorum, qui res proſperas quidem bene, aduerſas uerò immodeſtè ſuſtinuerunt, ut dignitas uirtutis & conſtantiæ, ſimul & indignitas inconſtantiæ conſpiciatur. Huc

Digitized by Google

Huc pertinet & illud: Si fortuna proſpera uti cupimus, cur non etiam aduerſam patiamur: cum nihil perpetuò ſit felix & fauſtum in uita mortali?

II. *A conſcientia, quæ ſi integra eſt, & pura, facilè omnes calamitates poteſt contemnere.*

Hic *ſeſe aperit magnus campus conſolandi.* Primò: *Qui nullius mali aut culpæ ſibi conſcius eſt, aduerſa omnia æquius & lenius fert.* At *quem conſcientia admiſſæ culpæ arguit, is quieto animo eſſe non poteſt, ſed exhorreſcit, angitur & fremit. Secundò: Sat habemus, ſi bona cõſcientia ſuſtentamur. nam illa ſummum & maximum in uita mortali bonum eſt. Quòd ſi igitur ſummum obtineamus bonum, quid mirum ſi etiam aliquid mali interueniat & adſpergatur?*

Exem*pla huc ſpectant eorum, qui aut ſcipſos, aut alios conſolati ſunt rectitudine & honeſtate ſuorum conſiliorum, bonaq; conſcientia ſeſe ſuſtentarunt.*

III. *argumentum,* A *communitate mali.* A*ffliguntur eodem modo nobiſcum etiam alij præſtantes uiri, uicini, et amici.* Hîc *inſerantur induſtriè quædã exempla citeriora.* Leuatur *enim dolor, ſi alios quoq; communi nobiſcum calamitate affici uideamus. Quin, ne decet quidem præcipuam aliquam fortunam poſtulare, aut communem recuſare, ut toties inquit* Cicero. *Si aliquem conſolaris, qui ob mortẽ alicuius dolet, propone illi exempla recentia & præſentia mortuorum. Si ob morbum dolet, oſtende illi alios qui eodem aut grauiore morbo conflictantur.* Huc *dextrè accommodentur exempla naturæ.* Animalia *quoq; bruta graui-*

bus

bus morbis & incommodis obnoxia ſunt: & cœlum ipſum nunc ſerenius, nunc triſtius, nũc deformius apparet. Hæc omnia magnam habent uim excitandi & inflammandi animum, ad patientiam in perferendis ærumnis. Hic *inſeri poteſt occupatio:* At nemo iam *in hoc loco affligitur, præter me: nec puto quenquam tam graue malum unquam ſuſtinuiſſe.* Hæc *obiectio exemplorum oppoſitione & collatione diluenda eſt, atq; ita uelut è ſuperiori loco concionandum:* Etiamſi *tu ſolus ærumnis premereris, tamen non propterea ſatis cauſæ haberes indignationis & fremitus, quia tantùm pateris id quod hominem decet, fers quod omnes ferre poſſunt, iuſtè affligeris:* Deus *non eſt iniuſtus, & imponit tibi quod ferre potes & debes.*

Tertius locus ab Vtili, hæc parit argumenta.

Ærumnæ multa nos docent, quæ alioqui neq; intelligimus, neq; conſequi poſſumus. Sunt enim afflictiones magiſtræ noſtræ, erudientes nos multa ſalutariq; doctrina. Veriſſimè *à ſapiente dictum eſt:* Qui non *eſt tentatus, qualia ſcit?* Et *illud* Comicum *appoſitè huc quadrat:* Homine *imperito nihil quicquam iniuſtius.* Elegans *quoq; eſt ſententia apud* Herodotum: τὰ δέ μοι παθήματα, ἐόντα ἀχάριστα, μαθήματα γέγονε: *Quæ mihi nocumenta erant ingrata, ea documenta ſunt facta.* Et ἐξ ὧν ἔπαθες, ἔμαθες. Et Heſiod. παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω, Accepto dam*no ſtultus ſapit.* Eſt *igitur prima calamitatis utilitas,*

ut do-

ut doceat, & ſit quaſi quædam ſchola, erudiens nos de multis & grauibus rebus.

II. Argumentum.

Afflictiones ſunt carcer & frenũ cupiditatũ animi efferueſcentium. Vt enim equus indomitus & ferox, niſi frenetur, nimia laſciuia exultans ſibiipſi exitio eſt: ita homo ſine ægritudine & calamitate nimiũ contumax fit, & ſubinde altius ſeſe efferendo, tandem fœdiſſimè corruit. Huius efferueſcentiæ præſtantiſſ. remedium eſt calamitas, ſeu afflictio, quæ domat & ſedat nimium animi ardorem, & ad modeſtiam flectit. Quemadmodum enim luxuriantes pampinos ſuccîdi oportet, ne nimis latè ſeſe diffundentes, uitis uires corrumpant: ſic præcipites et nimis ferucntes motus cordis reſtinguendi ſunt, & comprimendi ærumnis & aduerſitatibus, ne extra modum prodeant, néue præcipitantia & temeritate longius iuſto prouecti, iudicium & rationem præcurrant, ſeq; indigna faciant. Hinc ſapienter ab Epaminonda factum eſt. is enim cũ inſignem uictoriam adeptus eſſet, omnem magnificentiam & ſplendorem exuit: & poſtera die in publicũ ſqualidus & ſummiſſus proceſſit. interrogatusq;, Cúrnam id faceret? reſpondit: Vt frenum iniiciam ſuperbiæ, quæ plerunq; felicitatis comes eſt.

III. Argumentum.

Afflictionem ſemper comitatur felicitas, ſicut noctem dies: & ſemper paruum malum, eſt cauſa magni alicuius boni. Quare nulla calamitas eſt, quin commoditatem aliquam pariat. Sicut enim bonum ferè nullũ

eſt,

Digitized by Google

eſt,quod non habeat adiunctum uel præſens, uel mox ſecuturum malum: ita malum nullum nobis accidere poteſt,cui non aliquid boni ſit admixtum. Philippus Macedo,cùm uno quodam die tria lætiſsima accepiſſet nuncia, porrectus in cœlum manibus exclamauit, O fortuna, inquiens,pro tot tantisq; bonis leui quopiam malo me affice.

Quartum.

Virtus per ærumnas fit lucidior. Vt enim cætera ferè omnia clariora et certiora euadunt,ſi ſuis contrarijs opponantur: ita uirtuti multum lucis accedit, ſi cum aduerſitatibus & malis luctetur. id quod uenuſtè hoc Græcũ dictum oſtendit, λάμπει δ' ἐν ταῖς ἀτυχίαις τὸ καλόν*: In ærumnis uirtus elucet.*

Quintum.

Calamitates faciunt, ut bona cariora habeamus. Non enim rectius intelligimus noſtra bona, quàm tũc, cùm ijs aliquandiu caruimus.Hinc percommodè dixit Cicero in Oratione ad Quirites poſt reditum: Tanquam bona ualetudo iucundior eſt ijs qui è graui morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt: ſic cætera bona deſiderata magis, quàm aßiduè percepta, delectant.

Quartus locus, A facili.

Omnium facilima & expeditiſsima ratio ferendi ærumnas eſt,patientia fortiter reſiſtens dolori,et omnia humana infra ſe ponens. Vt.n.morbi remedijs, ita calamitates tolerãtia curantur: et,ut Celſus ait,multis magnis morbis medetur abſtinentia et quies. Ita nulla calami-

calamitas tàm acerba eſt, quin patientia ſuperetur & uincatur. Sit igitur animus in ærumnis probè munitus hac ſalubri & ualde efficaci medicina, quæ Patientia nominatur. Huc quadrant feſtiui uerſiculi Ouidij in primo Amorum.

Vidi ego iactatas mota face creſcere flāmas,
Et vidi nullo concutiente mori. (aratri,
Verbera plura ferunt, quàm quos iuuat vſus
Detrectant preßi dum iuga prima boues.
Aſper equus duris contunditur ora lupatis:
Frena minus ſentit, quiſquis ad arma facit.

De hac patientia malorum & iniuriarum uictrice concionantur etiam hi uerſus: Nobile uincendi genus eſt patientia, uincit Qui patitur: ſi uis uincere, diſce pati. Sunt autem tria potißimum, quæ patientiam gignunt & augent, facultatemq; ferendi ærumnas monſtrant.

Primum, circumſtantia temporis: cum oſtenditur, eiuſmodi iam ubiq; eſſe tempora, ut nihil uſpiam reperiatur, quod non acerba multa ſentiat. item, cum ſignificatur, tam triſtem & deploratum eſſe rerū ſtatum, ut mori quàm uiuere optabilius ſit. Sic conſolaturus aliquem lugentem obitum amici aut cognati, oſtendat, tantam eſſe aſperitatem temporum, ut bene cum eo actum eſſe uideatur, cui mortem cum uita commutare contigerit.

Secundum: Facilius eſt ferre res aduerſas, quàm ſecundas. Non .n. uulgaris res eſt, ſed ardua & rara, in proſpero rerum ſucceſſu non efferri. Quare in aduerſita-

uerſitate ſemper fiat collatio felicitatis: cogiteturq́;, utriq;, cum calamitati tum felicitati, aliquid admixtum eſſe moleſtiæ, quod fortiter ferendo ſuperandum ſit.

Tertium, à longinquitate temporis. Nullus eſt do-*lor tantus, quem non uetuſtas temporis minuat atque molliat. Quare cùm omnibus afflictionibus inſit ſpes liberationis, elegantius eæ ferri poſſunt.* Huc pertinēt *communes ſententiæ, qualis eſt hæc: Quod malè fers, adſueſce, feres bene: multa uetuſtas* Lenijt.

Quartum à ſpe, fore hæc meliora.

Quintum à præſidijs uirtutis, artium, amicorum, liberorum, propinquorum, & id genus aliorum.

EXEMPLA CONSOLATIONIS Philoſophicæ, ex Cicerone.

In libro quarto, duo ſunt inſignia huius conſolationis exempla: uidelicet in Epiſtola *5. & 6.* In *5, conſolatoria eſt* Epiſt. *16. Deinde in ſexto lib. ad hoc genus pertinet* Epiſtola *1. 2. 3. 4. 5. 6. 10. 12. 13. 21.* In *ſeptimo uerò libro unum eſt pulcherrimum conſolationis exemplum,* Epiſtola *3.*

Epiſtola 5. lib. 4. quæ incipit, Poſteaquam mihi renunciatum eſſet de obitu Tulliæ, &c.

Exordium ab effectu ducitur, oſtendit enim Ser-*uius, ſe magnum dolorem accepiſſe ex allato nuncio de morte* Tulliæ.

Propoſitio eſt figurata circumductione longa.

R ſed

ſed ſenſus eſt: Etſi mea conſolatio non multum tibi prodeſſe poſsit, tamen eam tibi communicare uolo.

Loci confirmationis.

Primùm ponitur locus à facili, argumento ſumto à circumſtantia temporis, & primum quidem à maiori: Tota dignitas patriæ labefactata eſt: ergo dolendum non eſt, ſi minus quiddam amittamus.

Secundum à diuturnitate mali: Tot tantaq; mala perpeſsi ſumus, ut iam callere animus debeat et floccipendere.

Tertium à felici conditione Tulliæ: quòd melius cum ea actum ſit, quàm ſi uiueret. Hoc argumentum aliquot rationibus illuſtratur. Prima eſt: Quia nihil uoluptatis ex ea, ſi ſupereſſet, capere poſſes, etiam ſi primario alicui adoleſcenti nuberet, & liberos procrearet, cum felicitas omnis ſublata ſit. Poſtea ſuccedit occupatio: Affert enim dolorem amiſsio liberorum. Hæc obiectio diluitur oppoſito argumento, à maiori. inquit enim, Alia mala multò eſſe atrociora, quæ omnes bonos ferre oporteat. Idq; exemplo appoſito declarat: Multæ celebres & munitæ urbes & prouinciæ, multi etiam præclari uiri interierunt: ergo magnopere dolendum non eſt, ſi homuncio intercidat. Poſtea ſequitur locus A neceſſario, cuius argumentum eſt A communi neceſsitate moriendi. Tertiò recenſetur locus Ab honeſto, & argumentum quidem ſumitur à perſona Ciceronis, ſeu à uirtutis præſtantia: Is tu es, qui alijs præcipit & conſilium dat, igitur talem te etiam nunc præſta. Deinde facit ele-

gantem

gantem proſopopœiam, fingens manes filiæ hoc maximè poſtulare, ut pater dolorem deponat. Ita proponit illi quoq; obteſtationes amicorum. Vltimò recitatur pulcherrimum argumentum, quod ad honeſti quoq; locum pertinet: Secundam fortunam bene tuliſti, ergo fer etiam toleranter aduerſam.

Epiſtola 1. lib. 6.

Propoſitio totius Epiſtolæ eſt: Noli ideo dolere, quòd urbe carcas. Exordium à circumſtantia loci ſimul & temporis ducitur. oſtendit enim Cicero, talem eſſe hoc tempore Romæ ſtatum, ut nemo bonus ibi ſine magno dolore eſſe poſsit. Conſtatq; totum Exordium hoc enthymemate: Nunc Romæ eſſe miſerrimum eſt: quare non debes ægrè illa carere. Antecedens confirmatur eleganti ratione. Nam qui uidet calamitatem præſentem, multo maiorem dolorem inde capit, quàm ſi tantùm audiret. Conſequens continet propoſitionem epiſtolæ, quæ eſt: Noli dolere, quòd Romæ non ſis.

Loci confirmationis, cur uidelicet dolere non debeat, hi ſunt.

I. Ab honeſto. Argumentum ducitur à communitate mali, ac ſumma eius eſt: Quod tibi accidit, etiam alijs commune eſt, ergo minus dolore debes.

II. A Cæſaris animo mitigato, & ſalute ipſius incerta.

III. A belli exitu, qui qualiſcunq; tandem futurus eſt, nihil periculi neq; timoris adferet.

Digitized by Google

IIII. *A conſcientia optimorum conſiliorum, quæ eſt firmißima in communi* Reipub. *periculo conſolatio.*

V. *A præſcientia mali, quæ quoq; leuius illud reddit, ſi quando euenit.*

VI. *A uirtute, cuius tanta eſt uis, ut perditis rebus omnibus ſe poßit ſuſtentare.*

VII. *A communi ſpe.*

VIII. *Ab exemplo:* Tu *me antè in cauſa propria diffidentem conſolatus es. ubi ſimul cauſam ſuæ diffidentiæ exponit.* Igitur *& tu nunc eodem ſis animo, quo me antea eſſe uoluiſti.*

IX. *Qua occaſione hæc ſcribat, oſtendit.*

X. Repetit *argumentum à ſpe & conditione communi.*

XI. *Conſolatio ex ui loci:* Es *in ea urbe, ubi nata & alta eſt ratio, ac moderatio uitæ, &c.*

XII. *A præſidio amici* Sulpitij.

Poſtremò *ſuum illi ſtudium defert.*

Aliud exemplum, epiſtolæ 16. lib. 5. Epiſtolarum familiarium.

Argumentum.

Cicero *conſolatur* Titium, *grauißimè mœrentem interitum liberorum ſuorum.* Partes *ſunt:* Exordium, Propoſitio, Confirmatio, Concluſio. Exordium *ducitur à perſona.* Indicat *enim, ſeipſum non admodum conſolatione abundare.* Propoſitio *eſt:* Conſolationem *ad te ſcribere uolui, quæ dolorem ſi non ſanare,*

Digitized by Google

re,utcunq; tamen leuare poſſet. Et ſic prima periodus complectitur exordium & propoſitionem. In priori enim parte exordium, in altera propoſitio continetur.

Confirmatio.

Ea incipit hoc in loco: Eſt autem conſolatio peruulgata.

I. Argumentum, à communi & ineuitabili lege naturæ: Sumus homines, nulli non calamitatis generi obnoxij. Proinde nihil mali neq; magni neq; parui à nobis alienum eſſe putare, neq; cum adeſt, immoderatè illud ferre debemus. Et ratio eſt: Quia noſtro conſilio uitare non poſſumus, & omnium ætatum hominibus talia acciderunt.

II. A circumſtantia: Tanta eſt perturbatio temporum, & confuſio rerum, ut ſatius ſit mori, quàm uiuere. Ideo dolendum non eſt, ſi quis liberos hac tempeſtate amittat. Ratio huius argumenti dilemmate explicatur: Aut doles tua cauſa, aut propter liberos. Si tua cauſa doles, tum facilè tibi poterit adimi: ſin propter liberos, hoc te conſoletur, quòd in morte nullus mali ſit ſenſus. Additur etiam antitheſis: Sed hic multum eſt malorum: hoc tamen non dubitans, &c.

III. Ab exemplis: Non me hercule quenquam audiui, &c.

IIII. A perſona & ſapientia Titij, quæ moderationem & conſtantiam in malis requirit.

V. A temporis longinquitate, quod argumentum tamen reijcit.

VI. *Ab exemplo & quidem minori: Mulieres aliquando lugendi modum faciunt.*

Epilogus de euentu conſolationis & officio ſuo diſſerit.

EXEMPLVM CONSOLATIONIS *lationis philoſophicæ.*

Conſolatur quidam amicum, mœrentem obitum parentum.

Exordium a naturali affectione.

Rectè equidem facis amice ſuauiſsime, quòd parentem amiſſum luges. Eſt enim natura id inſitum pectoribus noſtris, ut amiſsione eorum ex quibus procreati ſumus, & aliorum etiam qui in uita chariſsimi nobis fuerunt, quàm grauiſsimè mœreamus. Et *huius quidem rei egregia de ſe documenta dant ea etiam animalia, quæ rationis expertia ſunt.* Etenim *quis adeò in natura eſt hoſpes, quin uideat turtures & alias nõnullas uolucres, beſtiaſq; cæteras, ea affectione naturaliter eſſe præditas, ut erepto compare grauiſsimè lugeant?*

Aduerſatiua.

V*eruntamen naturale eſt etiam illud, mœſticiæ modum facere, nec nimis lugendo ſeſe macerare atque cruciare.* Vt *enim in alijs rebus omnibus, ſic in luctu, natura modum aliquem deſiderat.*

Propoſitio.

Q*uamobrem tibi quoq; faciendum eſſe ſcito, ut mœrorem, quem paternus obitus peperit, modereris, atq; aliquando ad te redeas: memineriſq; hominem te eſſe, nihilq; humani à te alienum eſſe poſſe.* Cur *enim immoderatius hunc patris caſum feres, quàm res ipſa poſtulat?*

I. Ratio. Neceſsitas.

Q*uis pater ille tuus, quem tantopere mœres, fuit?* Non *ſanè Deum illum facies: ſed hominem fuiſſe utiq; fateberis.* Si De- *us*

us fuiſſet, à morte immunis extitiſſet. Verùm cum homo natus fuerit, cur doles, ſi ea quæ omnibus hominibus communia ſunt, illi etiam acciderint? Quis quæſo eſt omnium hominum, qui perpetuò uixerit, & mortis rigidæ inexorabiliſq; uincula effugerit? Eſt aũt ualde ſtultum id maximopere deplorare, & impotenter ferre, quod communiter omnibus euenit, & uitari non poteſt. At ut maximè naturali legi repugnans, dolori indulgeas, quid quæſo proficies? Num luctum luctu lenies? Non ſanè uidetur. Quinimò, mœrendo nimium facis, ut dolor, qui alioqui tolerabilis erat, difficilimus & grauiſſimus reddatur. Nam prætérquàm quòd genium tuum defraudas, etiam animum mirabiliter deformas atque affictas. Quare deſine quæſo nimium lugere, ne quid detrimenti maioris tibi accerſas. Cogita porrò, qualis ſis: utrum femina, an uerò uir. Feminas quidem interdum uideas, propter impotentiam modum omnem dolendi excedere. Sed uiri non eſt, quicquam à uirtutis dignitate, unde nomen habet, alienum in ſe admittere. Noli dici nimis mollis, quod mulieroſum eſt, & effœminatorum proprium. A uiro equidem nihil tam abeſſe debet, quàm quouis humano caſu ita frangi ac debilitari, ut ſui prorſus immemor, dolori ſuccumbat. Quin uiros decet conſtantia, quæ non patitur animum in aduerſis deijci, in proſperis nimium efferri. Propone tibi exempla eorum qui multo grauiora mala, æquo tamen & patienti animo tulerunt: & ſubductis rationibus tandem fac ſummam cogitationis, teipſum increpans & erigens.

Honeſtum.

Exempla.

Digitized by Google

En magnis uiris ingentes calamitates acciderunt, & eas tamen modeſtè & toleranter paßi ſunt: quid igitur tu tibi uis, ut quam fortunam tibi poſtulas, ſeiunctam ab aliorum præſtantißimorum uirorum ſorte? Credo, tibi placuit parentis, dum in uita fuit, iucunditas: placeat tibi nunc etiam eiuſdem obitus. Vt enim bonis delectari præſentibus, ſic etiam amißis iiſdem (natura ita ferente) nimium mœrere peccatum eſt. Ego eum laudandum nunquam cenſuerim, qui iucunda ſolùm ferat toleranter, aduerſa uerò repudiet.

Conſcientia. *Quid uerò eſt quod mortem hanc tam grauiter feras, cum certò ſcias te non eſſe autorem eius, ſed diuinitùs tuum parentem hinc eſſe auocatum? Bene ego eos caſus ferendos eſſe iudico, qui non noſtrapte culpa eueniunt. Coluiſti tu eum, ut decet filium: is te uiciſſim, ut parentis pietas exigit, amauit. Quare cum nunc è uiuis exceſſerit, conſoletur te maximè illud, quòd omnia illi præſtiteris officia, quæ filium probum decent, neq; quicquam cauſæ eius morti attuleris. Eos lugere parentum mortem mirum non eſt, qui illos uiuos contumelia affecerunt, & impiè tractarunt. iſtorum enim conſcientiam torqueri, & quaſi quibuſdam furijs exagitari neceſſe eſt, propter tantum nefas quod in ſe admiſerunt. Verùm qui pius in parentes & cognatos fuit, facilè is ſe ſolatur ſua conſcientia, quæ efficacißimum eſt in malis quibuſuis remedium.*

Exempla. *Vides etiam alijs idem euenire. quot enim putas hoc temporis breui ſpacio uiros bonos & graues mortem obijſſe, relictis quàm plurimis liberis? Ac tecum ſanè*

Digitized by Google

ſanè non malè agitur, qui ea ætate patrem amiſiſti, ut iam ipſe quid in rem ſit, cogitare & perſpicere poſſis. ita enim à patre educatus atq; inſtructus es, ut uiuendi modum ex te habere poſſis. Infelices uerò eos, quibus impuberibus patres decedunt. Hi iuſtan cauſam mœroris habent, utpote qui unicum uitæ ſuæ ſolatium emiſerint. Quantò te beatiorem eſſe iudicas liberis cognati tui Anonymi, qui pueri adhuc patre ſuo orbati ſunt? Dolebis porrò ob id quod nemini non accidit, atq; adeò toti naturæ familiare eſt? Quid enim eſt in natura ſiue paruum ſiue magnum, quod aduerſitate omnino uacet? Videas ipſum ſolem quantumuis lucidum & pulchrum, non rarò aut interpoſita luna tetra ferrugine obduci, aut obtectis nubibus lumine ſuo diminui. Nullum etiam credo eſſe uermiculum, quin aduerſa aliqua patiatur. Cur igitur tu, cum ſimile quippiam tibi accidat, tam grauiter luges? Perinde ac ſi ſolus eſſes ex omnibus creaturis relictus, qui ærumnas ferat. Quid, quòd hic patris tui obitus utilis magis tibi eſt, quàm noxius? Ignoras quàm magnificè ærumnarum & aduerſitatum commoditates ſapientes uiri nobis commendent? Ego certè ſic ſtatuo, nullum eſſe malum neq; tam magnum, neq; tam paruum, quin aliquid utilitatis inde capiamus, & doctiores euadamus. Commonefacit te ſanè hic paternus obitus de uitæ inſtabilitate, & communi omnium ſorte: & admonet te quoq; conditionis tuæ miſerrimæ. Vt enim patrem tuum uidiſti in morbum incidere, & tandem mori: ſic tibi quoq; euenturum eſſe exiſtimabis. Hæc

Facile ex circumſtantia temporis ſiue ætatis.

Communitas mali.

Vtilitas.

I.

Digitized by Google

ſcilicet cogitatio te docet, ut in tota uita ad mortem, tanquam ad unicum finem ſeu metam, te præpares, humanaq́; maiori animo contemnas: & nihil niſi quod honeſtum eſt, & Deo gratos acceptosq́; nos reddit, ſe-
II. cteris Deinde & hoc contemnendum non eſt, quòd eiuſmodi afflictio affectus feruidos reſtinguat atq; moderetur. Et ſanè niſi aliquo malo interdum corriperemur, modeſtiæ omnis obliuiſceremur. Quare plus proderit tibi, mihi crede, hæc calamitas, quàm nocebit. Vſus es hactenus Dei clementia & fauore, mediocri rerum ſucceſſu: fer etiam nunc hanc mediocrem aduerſitatem. Ita enim natura comparatum eſt, ut bona nulla ſint quæ non habeant aliqua adiuncta mala.
III. Præterea etiam uidemus, plerunq; malum comitari felicitatem aliquam, atq; commoditatem. Si igitur hoc quicquid eſt mali, bene ſuſtinueris & ſuperaueris, non deerit tibi comes calamitatis felicitas. Iam neq; hoc omitti debet, quod ad conſolandum non parum momenti
IIII. habere uidetur. Virtutem certum eſt in ærumnis tanquam aurum in igne probari, & lucidiorem fieri. Quanti igitur hoc uirtutis lumen æſtimãdum eſt? In-
V. ſuper faciet, ſat ſcio, hæc calamitas accepta, ut amicos & conſanguineos tuos, fratres & neceſſarios omnes, multo poſthac habeas chariores, quàm antè. Conſequimur enim id plerunq; ex unius boni amiſſione, ut
Facile. cætera magis curemus ac diligamus. Neq; uerò tibi difficile eſt, huic dolori reſiſtere, & lugendi modum facere. Semper enim patientiam mihi adamaſſe uideris: neq; primum hoc eſt malum quod perpeſſus es.

Quare

Quare non nouum tibi uideri poteſt. Et etiamſi non ſubitò ex animo mœror, quem eiuſmodi aliquis caſus peperit, eiici poteſt: tamen ſubinde cogitandũ eſt, non indulgendo, ſed fortiter ferendo, dolorem ſuperari. Ineſt nobis natura quædam mollicies, cui niſi reluctemur, opprimi nos & ſuccumbere neceſſe eſt. Verùm tu illud in animo & ore habeto ſemper: patientia & fortitudine dolorem quemuis uinci & minui, indulgentia uerò augeri & exaſperari. Simul illud etiam memento, tam luctuoſum eſſe iam omnium rerum ſtatum, ut felicem eum prædicare neceſſe ſit, cui ex uita migrare, & impendentes calamitates fuga anteuertere & declinare contingat. Quid enim per Deum immortalem uſquam eſt, quod aliquem ad uiuendum alliciat? Nónne mori ſatius eſt, quàm has temporum aſperitates uidere? Hoc cũ intueor, & conſidero, non poſſum non beatum exiſtimare tuum patrem, cui ea felicitas conceſſa eſt, ut à tot malis liberatus, extra periculum in tuto collocatus maneat. Ac, cum cognouerim te ſæpe proſperrimum fortunæ flatum ſatis modeſtè tuliſſe, minus dubito quin etiam hanc aduerſitatem non aliter quàm uirum decet, ſis toleraturus. Etenim qui in rebus lætis modum tenere ſcit, eum etiam mala grauiſſima ſuperare poſſe non diffido. Hoc niſi ita ſe habere ſcirem, reliquum eſſet, ut ad extremam conſolationem confugerem, ſperaremq; temporis longinquitatem dolorem tuum minuturam eſſe. Verùm cum uiri boni non ſit, temporis medicinam expectare, ſed à ſeipſo ſalutis rationem petere: nolo tibi hoc genus

Patientia.

Status temporis.

Anteactæ vitæ moderatio.

Temporis medicina, per reiectionem.

genus conſolationis proponere. Deſine igitur, & reuoca te ad id quod ſuprà ſcripſi, ut memineris patrem tuum hominem fuiſſe, & nihil niſi quod humanum eſt illi accidiſſe: teq; eſſe eiuſmodi uirum, ut uitæ humanæ caſus conſtantia uincere debeas, neq; committere ut fracto animo mulierum more perpetuò lugeas. Quòd deniq; nulla tua culpa pater uita ſit defunctus: quæ conſolatio non mediocriter certè animum erigere ſolet. Sine patres mortuos lugeant, qui cauſam aliquam necis dederunt. Præterea cur impotenti animo hoc malum feras, cùm nulla creatura ſit, cui non aduerſi aliquid contingat? Proderit tibi hæc calamitas, quam accepiſti, ad multas res: diſces inde, quæ huius noſtræ uitæ conditio ſit, & ſtatus: admoneberis etiam modeſtiæ, ne elatior aut ſuperbior factus, hominem te eſſe obliuiſcaris. Continget etiam tibi (mihi crede) pro hoc malo felicitas quædam & uoluptas talis, qualem non ſperaueris. Mitte igitur dolorem, & ad te redi: illudq; cogita, hoc infortunio uirtutem tuam explorari, corroborariq;. Viue cum tuis poſthac coniunctius, & habebis quo te oblectes. Patris uerò tui uicem nolito dolere: optimo certè in loco eius res ſitæ ſunt. & hanc difficultatem fortiter ſupera: eum deniq; te præſta, quem in felicitate ſemper cognouimus. Vale.

Epilogus repetens argumenta.

ALIA EXEMPLA.

I. *Breuis conſolatio in obitu alicuius, ſumta non ex omnibus locis, ſed præcipuis, & maximè ad rem accommodatis.*

II. Con-

II. *Conſolatio contra ærumnas.*

III. *Conſolatio aduerſus contemtum literarum.*

Breuis ratio tractandi primum exemplum.

¶ Etſi *non tantum eruditionis atq; authoritatis in me eſſe ſentiam, ut mea oratione luctum tuum acerbißimum ſanare poßim : tamen propter ſumma neceſſitudinis noſtræ officia intermittere non potui, quin breuem conſolationem ad te ſcriberem, quæ ſi non dolorem uniuerſum exhauriret, modicam tamen aliquam leuationem afferret.* Ita *enim ſtatuo, luctum tuum tantum eſſe, ut etiamſi ſolatia te non deficiant : tamen propter magnitudinem mœroris minus ea uideas, & uſurpare poßis.* Initiò *autem propone tibi peruulgatam conſolationem illam, qua omnes uti oportet, ut mortales nos eſſe meminerimus.* Hæc *cogitatio etſi leuis uidetur, atq; exilis : tamen multum ponderis eam habere manifeſtum eſt.* Etenim *qui illud in ore & animo habet, quòd homo ſit, quomodò is humanos caſus impotenter ferre poteſt ?* Hoc *enim qui facit, non ſolùm ridiculus eſt, ſed etiam ſtolidus.* Quis *dolet, cum uidet aërem ſua leuitate huc & illuc impelli à uentis? Quis curat aues, lilia, flores, pecudes, ſi quando aut maturæ factæ aut ſolis æſtu aut aëris uitio langueſcant & intereant ?* Nónne *ridiculum hunc hominem eſſe fateberis, qui dies nocteſq; interitus ortuſq; rerum naturalium conſiderans fleat ?* Eodem *prorſus modo reprehenſione non caret, qui homines eadem lege & condi-*

A ſua perſona & officio.

Propoſitio.

Communis ſors humana.

Naturæ exempla.

Digitized by Google

conditione cum cæteris rebus naturalibus natos, nimis deplorat, cùm aut calamitate aliqua, aut morte afficiuntur. Mortales ſumus, ſicut lilia & flores omnes. ut igitur gramina naturali lege exigente corrumpi, & ſolem etiam ipſum occidere non ægrè patimur: ſic etiam, cum noſtrûm aliquis interit, cur aſsiduò lugeamus? Ordo naturalis fert, ut continua uiciſsitudine & succeſsione alij naſcantur, alij intereant. At uidemus quotidie quàm plurimos homines naſci. Quæ eſt igitur amentia, tam moleſtè, ſi uiciſsim aliqui moriuntur, ferre? Quid quæſo futurum eſſet tandem, ſi, ut nos uolumus, multi ſemper homines orirentur, nulli uerò econtrà extinguerentur? Totus mundus nos non caperet. Quot homines putas centum annis naſci? Iam ſi hi omnes ſimul uiuerent, quis locus ſatis magnus illis reperiri poſſet? Quare ualde ſtultum eſt, in unius atq; alterius animulæ iactura ita commoueri, ac ſi quid inuſitatum et irrecuperabile eſſet amiſſum. Non nouum eſt hominem mori, morieris tu quoq;, moriar & ego, neq; ullus eſt cui mors parcat. Non doleo quòd ſciam me moriturum eſſe. At quid poteſt homini eſſe ſeipſo charius? Quare cum meam mortem non doleam, cur alterius cauſa magnopere mœream? At naturale eſt, dolere ob amiſſos parentes, cognatos, & amicos cæteros. Eſt, ut dicis: ſed in lugendo naturæ uehementer aduerſaris. Quid ita? Dicam. Omne nimium, eſt inimicum naturæ. Lædit enim eam, & deſtruit. Quare audi naturam, & obſequere illi, non ſanè ſuadebit tibi, ut mortem hanc impatienter feras: ſed ad mode-

Præoccupatio.

modeſtiam te potius reuocabit. Sed graue, imò intolerabile tibi uidetur, carere tuo patre, cum quo coniunctiſſimè uixeris. Reprime te obſecro, nimium indulgens es in teipſum: ad quid mollities iſthæc? Quomodo quæſo habuiſti parentem tuum, ut perpetuò co fruereris? Quis tibi unquam confirmauit, quòd patrem ſemper eſſes retenturus? Quis certò promiſit tibi tũc, cum ex utero materno egreſſus, primùm hanc lucem intuereris, fore ut unum ſaltem annum cum patre uiueres? En habes tu quoq; quos diligis, & à quibus tu uiciſſim adamaris: ſed dic mihi, potésne polliceri aut tibijpſi, aut alijs, quòd perpetuò ſis illis affuturus? Amens ſis neceſſe eſt, ſi hoc tibi perſuadeas. Non, credo, uis, ut ſi fortè tu ex hac uita ereptus fueris, à tuis nimium lugearis, quid enim tibi prodeſſet aliorũ luctus? Num aliquid commodi inde perciperes? Vide quàm ſtulti ſimus, qui aliorum mortem dolemus, cum noſtrã ipſorum defleri nolimus. Sed libet hæc aliquanto longius tecum perſequi. Vtrum tuam uicem, an uerò mortui patris doles? Si tuam, utiq; iniuſtus es, quòd propter tuum cõmodum alterius ſalutem negligis. Pater tuus lubens ex hac uita diſceſſit, & iam quieſcit atq; beatus eſt: aut certè, ut philoſophis placet, ab omnibus ſolicitudinibus uacuus, nullo prorſus malo afficitur. Si igitur is bene habet, cur inuides illi? Sanè nõ arbitror te id unquam in animum induxiſſe. Quare ſi doles, tua cauſa doles. Quod autem tantum incommodum tibi accidit, ut meritò plores? Amiſi patrem, quo nihil in uita carius eſſe poteſt. Non amiſiſti, quan-

Alia occupatio.

Ab exemplo proprio.

Dilemma.

Digitized by Google

conditione cum cæteris rebus [illegible] habuiſti. Datus deplorat, cùm aut cal[illegible] concederetur: id fa- untur. Mortale[illegible] licuit. Nunc Dominus igitur [illegible] tibi aliquandiu commodato ſolem [illegible] ſuo iure. Tuus non fuit: ergo ni- et [illegible] Obijt etiam auus tuus, & atauus, & cæ- teri qui hos anteceſſerunt. Sed num idcirco doluit perpetuò tuus pater, quòd ſuum patrem amiſiſſet? Haud ſanè ita eſſe affirmabis. Cur igitur tu tantopere patrem tuum mœres? Vis ne ut tui liberi te mortuo perpetuò lugeant? Stultus equidem es, ſi hoc poſtu- las. Quod ergo alios facere non uis, cur idem tu facis ipſe? At fortaſſe alterum doles, quòd patri tuo aliquid incommodi acciderit. nam tibi nihil mali eueniſſe, iam ipſe intelligis. Audi: Vtrum tu beatiorem aut fe- liciorem cenſes? illúmne, qui in optatum portum ex alto, curſu ſecundo ſuperatis iam omnibus difficultati- bus inuectus eſt, & quieſcit: an uerò alterum, qui in magno fluctuum tempeſtatumq; periculo conſtitutus, maximo labore atq; ſudore ad portum eundem con- tendit? Non dices, ſat ſcio, eum qui laboret, ſed qui pe- riculis omnibus perfunctus iam in tuto ſit. Sic profe- ctò fatearis oportet, utiq; patrem tuum eſſe feliciorem, quòd ea mala quibus nos adhuc obruti redundamus, ſuperauerit, & ad quietem optatam peruenerit. Mea ſic eſt ratio, & ſic animum induco meum, quo quis propior eſt morti, eo eum eſſe beatiorem: ſicut is omnino felicior exiſtimandus eſt, qui propè iam ex magna iactatione terram uidet: quàm alius, cui adhuc

Altera dilemmatis pars.

maximæ

Digitized by Google

maximæ tempeſtates ſubeundæ ſunt. Sed fortè, quid cum patre tuo agatur, dubitas. Quid, quæſo, ſollicitus es de ijs, quæ ne philoſophi quidem maximi perueſtigare ſatis potuerunt? Recenſebo tibi ſententiam philoſophorum, de ſalute animarum è uita humana exeuntium. Veri & eruditiores Philoſophi omnino exiſtimant, animas eſſe immortales: idq; ut credamus, multa ſunt quæ nos mouent. Quòd ſi uerò animæ ſunt immortales, extingui profectò nullo unquam æuo poterunt. Porrò ſi non extinguuntur, alicubi eas ſuperſtites eſſe & uiuere neceſſe eſt. At quæ poteſt eſſe uita (inquies) poſt mortem, cum corpus noſtrum in terram defoſſum putreſcat, & in mille partes dilabatur? Anima, philoſophorum opinione, uiuit, non corpus. Ex corpore reſoluto naſcuntur aliæ ſpecies, ut ſerpentes, uermiculi: ſicut eſt perpetua uiciſſitudo formarum, ut una pereunte, alia ſuppullulet. Quare de corpore non eſt quòd ſis ſollicitus. id enim, ſecundum philoſophos, nunquam recuperari poteſt: neq; etiam magnopere deſiderandum eſt fragile illud & caducum uaſculum, etiamſi maximè recipi à nobis poſſet. Quid. n. agas cum tam inepta mole? Num ut anima rurſus in illud migret, ibiq; ſicut antea habitet, optas? Geſtit atque lætatur anima, quòd ſemel ab illo quaſi contagioſo carcere liberata ſit: redire uerò nunquam deſiderat. Ea demum eſt uera uita, cùm anima ſoluta corpore, liberè uiget, agitq; omnia pro libitu: reminiſcitur, cogitat, ratiocinatur, intelligit, ſapitq; diuina. Dum in hoc inſolito corpore ſeu domicilio eſt, ſordido corpo-

Vita poſt mortem.

quandoquidem nunquam in poteſtate habuiſti. Datus *eſt tibi pater, ut frucreris eo dum concederetur: id factum eſt. uſus es eo, quàm diu licuit.* Nunc Dominus *naturæ, qui patrem tuum tibi aliquandiu commodato dedit, repetiuit, idq; ſuo iure.* Tuus *non fuit: ergo nihil amiſiſti.* Obijt *etiam auus tuus, & atauus, & cæteri qui hos anteceſſerunt. Sed num idcirco doluit perpetuò tuus pater, quòd ſuum patrem amiſiſſet?* Haud *ſanè ita eſſe affirmabis. Cur igitur tu tantopere patrem tuum mœres? Vis ne ut tui liberi te mortuo perpetuò lugeant? Stultus equidem es, ſi hoc poſtulas. Quod ergo alios facere non uis, cur idem tu facis ipſe?* At *fortaſſe alterum doles, quòd patri tuo aliquid incommodi acciderit. nam tibi nihil mali eueniſſe, iam ipſe intelligis.* Audi: *Vtrum tu beatiorem aut feliciorem cenſes? illúmne, qui in optatum portum ex alto, curſu ſecundo ſuperatis iam omnibus difficultatibus inuectus eſt, & quieſcit: an uerò alterum, qui in magno fluctuum tempeſtatumq; periculo conſtitutus, maximo labore atq; ſudore ad portum eundem contendit?* Non *dices, ſat ſcio, eum qui laboret, ſed qui periculis omnibus perfunctus iam in tuto ſit. Sic profectò fatearis oportet, utiq; patrem tuum eſſe feliciorem, quòd ea mala quibus nos adhuc obruti redundamus, ſuperauerit, & ad quietem optatam peruenerit.* Mea *ſic eſt ratio, & ſic animum induco meum, quo quis propior eſt morti, eo eum eſſe beatiorem: ſicut is omnino felicior exiſtimandus eſt, qui propè iam ex magna iactatione terram uidet: quàm alius, cui adhuc*

Altera dilemmatis pars.

maximæ

Digitized by Google

maximæ tempeſtates ſubeundæ ſunt. Sed fortè, quid cum patre tuo agatur, dubitas. Quid, quæſo, ſollicitus es de ijs, quæ ne philoſophi quidem maximi peruestigare ſatis potuerunt? Recenſebo tibi ſententiam philoſophorum, de ſalute animarum è uita humana exeuntium. Veri & eruditiores Philoſophi omnino exiſtimant, animas eſſe immortales: idq; ut credamus, multa ſunt quæ nos mouent. Quòd ſi uerò animæ ſunt immortales, extingui profectò nullo unquam æuo poterunt. Porrò ſi non extinguuntur, alicubi eas ſuperſtites eſſe & uiuere neceſſe eſt. At quæ poteſt eſſe uita (inquies) poſt mortem, cum corpus noſtrum in terram defoſſum putreſcat, & in mille partes dilabatur? Anima, philoſophorum opinione, uiuit, non corpus. Ex corpore reſoluto naſcuntur aliæ ſpecies, ut ſerpentes, uermiculi: ſicut eſt perpetua uiciſſitudo formarum, ut una pereunte, alia ſuppullulet. Quare de corpore non eſt quòd ſis ſollicitus. id enim, ſecundum philoſophos, nunquam recuperari poteſt: neq; etiam magnopere deſiderandum eſt fragile illud & caducum uaſculum, etiamſi maximè recipi à nobis poſſet. Quid. n. agas cum tam inepta mole? Num ut anima rurſus in illud migret, ibiq; ſicut antea habitet, optas? Geſtit atque lætatur anima, quòd ſemel ab illo quaſi contagioſo carcere liberata ſit: redire uerò nunquam deſiderat. Ea demum eſt uera uita, cùm anima ſoluta corpore, liberè uiget, agitq; omnia pro libitu: reminiſcitur, cogitat, ratiocinatur, intelligit, ſapitq; diuina. Dum in hoc inſolito corpore ſeu domicilio eſt, ſordido corpo-

Vita poſt mortem.

Digitized by Google

ris ſeruitio debita eſt. At laxata corpore, tum demum uiget, & actiones ſuas natiuas exercet. Quare noli uitam hanc, qua nos in terris fruimur, beatam putare: cum mors uerius quàm uita, ſecundum philoſophos, dicenda ſit. Sic enim ſentiunt ſapientes, hanc uitam in qua anima coniuncta eſt corpori, mortem eſſe. Viuere autem tum animum cenſent, cum liberatus conſortio corporis, propria agit. Vocant ijdem etiam curriculum hoc quod tu uitam nominas, deſcenſum ad inferos: eò quòd anima cœlitùs delapſa in corpus, tanquam in infernum, aliquandiu ibi alligata detineatur, donec ad ſuam ſedem ſe recipiat, & ad originem redeat. Quod equidem niſi ita ſe haberet, cur putemus tanto cum deſiderio optimos & ſapientiſsimos quoſq; ex hac uita migraſſe? Gaudebat Socrates ſe ex morte ceu carcere liberari, condemnatus à iudicibus: quò citius ad uitam, quam pridem exoptauerat, perueniret. Statuebatq; magna concepta fiducia, ſe in altera uita, ad quam tantopere aſpirabat, reperturum eſſe ſapientes omnes, quotquot pietatem uirtutemq; in hac uita coluiſſent: adeò ut colloquia etiam cum illis ſe habiturum eſſe, certò ſibi perſuaderet. Nunquid adhuc dubitas, quin mortuus pater beatus ſit, & uerè uiuat? Dubium quidem hoc ademptum eſt: ſed ubi ſit, aut quieſcat eius anima, fortaſſe ſcire cupis. Rem arduam à me quæris: ſed amen deſiderio tuo me ſatisfacturum eſſe arbitror, ſi Ciceronis tibi hac de re ſententiam expoſuero. Ita cenſet magnus ille philoſophus: animum, cum ſit diuinus, naturali ſua celeritate, poſtquam à corpore exierit, rectà ſurſum tendere: omneq; cœlum

Socrates.

Sedes animæ ſolutæ corpore.

Digitized by Google

in quo nubes, imbres, uentiq́; quos experimur, cogun-tur, penetrare: donec ſuperata elementari regione, ad naturam ſui ſimilem perueniat, ibiq́; reſiſtere, al-tiusq́; efferendi ſe finem facere. En habes *ſedem na-turalem & propriam animæ. in cœlo requieſcit, ubi nihil caducum, nihil corruptibile, nihil caliginoſum, nihil triſte eſt: ſed omnia luce cœleſti, æternitate at-que diuinitate completa ſunt.* Nec *aſſentior* Stoicis, *qui igneum aërem animam eſſe opinantes, ad aſtra eam ferri, ibiq́; cum cæteris ignibus (ſic enim ſtellas nominant) uaporibus ali & ſuſtentari ſomniant.* Sed *de hac philoſophorum ſententia ſatis dixiſſe uideor.* Non *enim iam tibi dubium eſſe poteſt, quin cùm ani-ma immortalis ſit, pater tuus in ſede aliqua felici & omni beatitudine referta quieſcat.* Illud *uerò fortaſſe te perturbat, quòd non pauci ſint, qui animam prorſus cum corpore interire arbitrentur. hoc enim ſi ita ſe habet, malè cum patre tuo agi uideri poteſt, utpote qui prorſus occiderit, & in nihilum redactus ſit.* Op-*portunè ſanè hoc mihi in mentem uenit. ſcio enim phi-loſophos quoſdam magna contentione id agere, ut animum omnino nullum poſt mortem eſſe demon-ſtrent.* Sed *uana eſt hæc opinio, & ſomnium potius inſanorum philoſophorum atq;* Epicureorum, *qui ni-hil niſi uoluptatem temporalem curant: poſt hanc uerò uitam nihil neq; boni neq; mali reſtare ſomniant. et hoc deliriũ iamdudum à philoſophis exploſum eſt, & reiectum, tanquam impium & neſarium com-mentum.* Non *enim dubitare fas eſt, animas noſtras*

Stoici de anima.

Confutatio opinionis falſæ de animæ interitu cum corpore in morte.

Digitized by Google

eſſe incorruptibiles. id enim operationes eius diuinæ ſatis demonſtrant. Sed tamen ut maximè pereat anima cum corpore (demus enim hoc Epicureis) num quid inde mali tuo patri eueniret? ſi nihil eſt, nihil etiam ſentit: ſi nihil ſentit, nihil quicquam etiam incommodi percipit. Concluſio. *Quare malè cum eo agi certè non poteſt, utpote qui nihil ſit omnino. Aut igitur immortalis eſt tuus pater, & quiete beatitudineq; cœleſti perfruitur: aut ita extinctus eſt, ut neq; ſenſus neq; motus reliquus in eo ſit ullus. utrumlibet eligas, nihil certè mali patrem tuum pati ſtatuas oportet. Nullam itaq; planè habes cauſam doloris. Cur ergo angeris? aut quid tibi uis? nimium ineptus es, & Siſipho infernali magis deridendus. Quinimò parenti atq; authori naturæ gratias age, quòd tuum parentem tot annis incolumem in uita ſeruauerit, & tandem à corporis huius mortalis cuſtodia euocauerit, ad optatamq; quietem traduxerit: precareq;, ut quam primùm tu quoque hinc ereptus, in eundem locum uenias, cumq; patre tuo & omnibus dijs æuum agas: uel certè moleſtijs omnibus ſolutus, perpetuò in morte quieſcas. Alterutrum enim uerum eſſe oportet. Sed ego utraq; manu totoq; pectore amplector priorem ſententiam, quæ immortalitatem noſtrarum animarum tuetur. Non enim temerè à Cicerone illud confictum eſſe arbitror de Scipione, qui in ſomno Africanum mortuum uidiſſe ſibi uiſus eſt. ſed eò ſpectare, ut immortalitati animarum in cœlo patrocinetur. Quomodo enim apparere Africanus potuiſſet, niſi uixiſſet? Vt igitur is ſuperſtes*

Digitized by Google

perſtes fuit poſt mortem, & in templo amœno, illuſtri, ſtellarum pleno, candoreq́; ſplendidiſſimo, inter flammas elucentes uerſatus eſt: ita iudico nos quoq; in eundem locum ex hac mortali uita migrantes peruenturos eſſe, ibiq́; luce et beatitudine uera in omnem æternitatem perfruituros. Hæc ferè ſunt, quæ ad conſoládũ te in hoc grauiſſimo luctu ſcribere uolui. Quid profecturus ſim neſcio: hoc tamen certè conatus ſum, ut ſi quid uſpiam in philoſophia eſt quod maximè dolorem lenire, aut mœſticiam adimere poſſit, id euolutum & explicatum tibi proponerem, ſi quid fortè, ut ſpero, adiumenti attulero, bene erit: ſin minus, officio tamen boni amici perfunctum me eſſe putabo. Vtut uerò erit, medullam certè conſolationis philoſophicæ habes: qua ſi non iuuaberis, Fortunam (ut aiunt) inuoces neceſſe erit. nihil enim philoſophia habet amplius aut melius, quodq́; ad conſolandum ſit efficacius, quàm hoc, quod hæc ipſa epiſtola continet. Vale. Epilogus totius conſolationis.

Exemplum conſolationis aduerſus calamitates ingruentes.

Nunciatum eſt mihi, chariſſime Anonyme, te magnis ærumnis fatigari, & graui triſtitia affici. Hoc ſanè poſtquam audiui, non aliter mihi uiſum eſt, ac ſi cor meũ repentino aliquo ictu ſauciaretur. Scis enim, quantopere te ſemper dilexerim, quamq́; tuam ſalutem meæ antepoſuerim. Quid uerò faciam? Num in dolore permanendum eſt? Non equidem committendum nobis ullo pacto eſſe uidetur, ut opprimi nos ſinamus: Ab affectu ſeu doloris ſenſu ex amici calamitate.

& ſpe omni abiecta, inſtar militum ab hoſte exutorum, animum deſpondeamus. Non inquam, hoc ſuadet ratio, non ſinit honeſtas. Quid igitur faciendum aliud? Conſolatio nobis quærenda eſt, quæ has ærumnas ſi nō penitùs ſanet, aliquo modo tamen mitiget. Vt n. ſtultum eſſet, ſi quis accepto uulnere medelā omnem reſpueret: ita nos non minus peccaremus, ſi in hoc caſu conſolatione neglecta, de ſalute deſperaremus. Etſi

Propoſitio. aũt ipſe etiam cum dolore luctet, nec ſatis ad te conſolandum idoneus ſim: tamen ſcribam tibi ea quæ meum dolorem non mediocriter imminuerint, et animum recreauerint: ut tu quoq; eodem remedio utens, ſimiliter inde afficiaris.

Communis neceſsitas. Primùm repetens altius quædam apud animum, & uetera cum recentibus conferens, deprehendi, penitùs nihil unquam fuiſſe in rebus humanis, neq; etiam eſſe nunc, ſine calamitatibus: cogitauiq; ſeriò illud colloquium, quod eſt apud Herodotum in πολυμνίᾳ, habitum inter Xerxem & Artabanum: quàm pulchrè ibi exercitatiſſimus uir, & omnes fortunæ flatus expertus, uitæ noſtræ ſortem xprimit? Cum ad Xerxem regem ſpectantem è lapide ſuas copias terreſtres et claſſes, & tandem ob nimiam fortunæ inſtabilitatem & rerum humanarum fragilitatem lachrimantem, ita inquit: (deſcribam enim tibi locum, ut in conſpectu & animo ſit tibi: quemadmodum ego ſubinde cum à me repetens non ſolùm cogito, uerùm etiam ad uerbum recito, ut efficacius me moueat, & quaſi aculeos in pectore meo relinquat. Sic autem ſcribit Herodotus:) Cum Xerxes dixiſſet, reputanti

ſibi

ſibi quàm breuis eſſet omnis uita humana,ſubiiſſe graucm commiſerationem, & effuſas eſſe lachrimas,quòd cum tot nunc eſſent homines fortißimi, ut mare penè & continentem implerent, nemo tamen ex illis omnibus poſt centum annos ſuperfuturus eſſet. reſpondit Artabanus: Atqui ô Xerxes, ſunt alia adhuc in uita noſtra multò miſerabiliora, quàm hoc eſt. non ſolùm non uiuet ullus noſtrûm poſt tot annos: uerùm etiam in tam breui uitæ curriculo quod nobis concedetur, nullus hominum, neq; horum neq; aliorum, adeò felix erit,cui non crebra, nedum ſemel, ſubeat animo moriendi uoluntas potius quàm uiuendi. Nam multæ magnæ calamitates irruentes, morbiq; uarij, adeò uitam perturbant, ut etiamſi breuis reuera ſit, longißima tamen uideatur. ita mors optatißimum eſt perfugium ærumnoſæ uitæ: quam cum Deus dulci guſtu aſperſerit, minus ob id inuidus fuiſſe deprehenditur. Quòd ſi igitur communis eſt ea neceßitas omnibus, ut calamitates ferant: cur tu tibi propriam fortunam optes, quodquè ſors adfert pati renuas? Quem unquam putas hominem fuiſſe, cui non uel maiores ærumnæ acciderint quàm tibi: quemque nunc futurum exiſtimas, cui non multa grauiora mala euenire queant? Aſpice exempla magnorum uirorum, Themiſtoclis, Socratis, Aiacis, Herculis, & aliorum quamplurimorum. Quin ita tibi perſuadeas uelim, te eſſe unum eſſe ijs qui ad perferendas ærumnas maximè idonei ſunt. Conſidera modò: habes animum mœroris, ægritudinis, perturbationisq; capacem:

Exempla.

Hominis natura & conditio.

cem: corpus uerò omnium morborum ac nocentiſſimorum malorum receptaculum. Ac ſi uerè rem æſtimes, fateberis certè hominem nihil aliud eſſe, niſi uas in quo fex omnium malorum ſubſidat atq; quieſcat. Quare noli arbitrari, te immunem à calamitatibus eſſe poſſe, aut unquam futurum eſſe, dum in uita mortali manebis. Naturam habes patibilem. Nec deeſt etiam cauſa altera, quæ calamitates temperat & gubernat, Fortuna: quam cum nemo effugere poſſit, quin aut bene aut malè ab ea afficiatur, neq; tu etiam uitabis unquam, quo minus proſperos ſimul & aſperos eius afflatus experiaris. Præpara te modò ad excipienda tela Fortunæ, ſicut uirum decet probè eſſe munitum ad omnis generis mala quæ à Fortuna immittuntur toleranda. Vides iam te non neceſſariò, tanquam hominem unum ex multis, calamitate affici. Docebo etiam nunc, quomodo perferre hoc præſens tuum infortunium debeas. Malorum quibus homines puniuntur, in uniuerſum duo genera habentur. Primùm enim quædam ſunt mala, quæ quis propria ſua culpa atq; petulantia attraxet: eaq; à Græcis nominantur αὐθαίρετα πήματα. alia uerò non noſtra uoluntate attrahuntur, ſed ſua ſponte obueniunt, appellãturq; αὐτόματα, mala quæ ſponte accidunt, uitariq; nulla diligentia ſiue prudentia poſſunt, ideoq; etiam leuius & patientius feruntur. eſt enim magnum in malis ſolatium, uacare culpa. Quæ uerò noſtra culpa irritantur, acerbiora ſunt & toleratu multo difficiliora. Grauius enim urget & premit malum, cuius ipſi architecti ſeu

Fortuna.

Modus ferendi ærumnas.

Malorum diuiſio.

autores

autores ſumus. Neq; *fieri etiam poteſt, quin conſcientia ſæuius crucietur, cum ream ſe eſſe agnoſcit, & cauſam infortunij efficacem dediſſe: quàm ſi præter ſuum meritum, ærumnam aliquam patiatur.* Iam *huc tuum malum confer, & cuiuſmodi ſit conſidera. Si tua culpa eſt acceſitum, meritò doles: ſin minus, perinde ut culpa uacas, ſic etiam dolore carere debes.* Neque *uerò uel ipſe, credo, dices, neq; ego facilè exiſtimauerim teipſum mali tui autorem extitiſſe.* Quod *cum ita ſit, magnum utiq; habes ſolatium in teipſo, quòd non tua culpa affligaris?* Quid *autem eſt propter fortunam dolere, niſi fruſtra ſe macerare, &* Gigantum *more naturæ repugnare?* Eſt Fortuna *domina & gubernatrix rerum humanarum, huic reluctari multo ſtultius eſt, quàm uentorum flatus prohibere uelle.* Quoties *igitur dolor occurſat, conſcientiam opponito: quæ te opprimi non ſinet, cum nullius perpetrati ſceleris argui poßit. ea enim eſt quouis muro fortior in aduerſis, & ſatis habet uirium ad arcendam et uincendam ærumnam.* Vetus *dictum eſt,* Conſcientiam *eſſe iuge conuiuium. quo pulchrè certè ſignificatum eſt, quantum ſit in rebus aduerſis bonum, conſcientiæ rectitudine ſe ſuſtentare poſſe.* Præterea *illud quoque cogita, quàm inſtabilis ſit fortuna, quamq; uerſatilis eius rota.* Iam *te præcipitauit, & ærumnis ſubiecit: mox uerò te iterum euehet, & felicitati priſtinæ reſtituet.* Vt *enim non perpetuò ſinit aliquem eſſe felicem: ita quoq; non ſemper affligi quenquam patitur.* Hæc *enim eſt perpetua uiciſsitudo fortunæ, ut nunc*

Conſcientia.

Rerum viciſsitudo.

eleuet, nunc deprimat: ſicut in rota quæ circumagitur, continua eſt partium conuerſio. Qua de re placet tibi aſſcribere ſuauiſsimos uerſus Virgilij, qui in lib. II. Aeneidos extant, & ſunt hi:

Multa dies, variusque labor mutabilis æuj
Rettulit in melius: multos alterna reuiſens
Luſit, & in ſolido rurſus fortuna locauit.

Vides grauiſsimum uirum, cuius hæc eſt oratio, nolle ideo deſperare de ſalute, quòd aliquid aduerſi interdum accidat: ſed meliora ſemper expectare. Idem tibi quoq; faciendum eſſe exiſtimato. Cum iam ærumnis exercearis, certiſsimè ſperato te mox experturum eſſe bona: & econtrà, ſi bene tibi fuerit, metuenda eſſe iterum mala. Vt enim continua eſt uiciſsitudo noctis & diei, lucis & tenebrarum, tempeſtatum & ſerenitatis: ita etiam calamitatis perpetua comes eſt felicitas, & econtrà felicitatem e veſtigiò ſequitur calamitas. Quod cum ita ſit, non præter modum dolere debes propter præſentem hanc ærumnam. Certò enim ſcis, non perpetuò eam duraturam, ſed aliquando ceſſaturam eſſe, & ſecuturam læticiam. Hæc eſt conſolatio, quam in hac ærumna ad te ſcribere uolui: tu fac ut quamplurimum ponderis apud te habuiſſe uideatur. Vale.

Epilogus.

Conſolatio contra contemptum literarum.

Ex temporis circumſtantia.

Cum tantus iam ſit bonarum literarum contemtus, magnopere neceſſarium eſt tenere aliquam conſolationem, qua animi diſcentium ſuſtententur, ne succumben-

cumben-

cumbentes ſtudia bona abijciant, aut certè ſegnius illa colant atq; proſequantur. Abſterrentur enim multi à cultu bonarum artium, cum uident eas paßim nunc ſperni, & præferri artes quæſtuoſiores & ſplendidiores. Et ferè, ut Cicero ex Platone ait: Honos alit artes quaſuis, omnesq; accenduntur ad ſtudia gloria: latentq; ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur. *Ac ut de meipſo loquar, magnopere ſæpe commoueor, cùm quanto nunc in contemtu ob artium bonarum cultum ſimus, attentè conſidero. & quamuis: quantum poſſum dolori reſiſto, tamen opprimor interdum, & uix eluctari poſſum. Sed exponam tibi, quo remedio in hac perturbatione utar: ut tu quoque eodem te aduerſus eiuſmodi cogitationum fluctus obfirmes.* Propoſitio. *Primùm ingens diſcrimen facio inter uulgi & ſapientum iudicium: nec quod uulgus probat, ego quoque approbandum duco.* Vulgi iudicium contemnendum. *Sed cogitationem, quantum fieri poteſt, ſeiungo à uulgo, meque ad ſapientum iudicia refero: indignum exiſtimans, à uulgi opinionibus, quibus nihil eſt uanius & peruerſius, pendêre. Qua quidem in cogitatione dum uerſor, neſcio quomodo mihi obrepit quædam animi celſitudo: qua ductus uulgi opinionem adeò infra me pono, ut omnino deſpiciendam eſſe arbitrer. Intelligit certè mens, artes eſſe ſolidum & diuinum bonum, quod omnes ſapientes omnium ætatum expetiuerunt: & idcirco illud citra controuerſiam omnibus alijs rebus eſſe anteferendum.* Artium dignitas. *& tandem eò deducor, ut quæ uulgus magnifacit, atque amplectitur, illa ego*

magno

Digitized by Google

magno animo contemnam tanquam ſpumas & fugacia poma, quæ Tantalum *in aquis infernalibus captare poëtæ finxerunt. Hæc duo oppono, & diligenter inter ſe comparo, artium ſcilicet noſtrarum dignitatem, & illa quæ uulgò habentur bona: examinationeq́; facta, utrum præponderet attentè cogito.* Reperio *autem adeò meliora eſſe ſtudia hæc noſtra, quæ* Liberalia, *quæ ingenua uocantur, bonis cæteris quibus uulgus confidit, ut hæc non ſatis digna uideantur, quæ illorum ſint pediſſequæ.* Hac *cogitatione non dici poteſt quantopere oblecter atque recreer. quæ enim maior eſſe poteſt conſolatio in hoc bonarum literarum contemtu, quàm quæ ex dignitate, præſtantia atque perennitate illarum capitur? ſicut contrà nulla re magis moueri poſſumus ad deſpiciendam peruerſam uulgi opinionem, quàm ſi uanitatem eius conſideremus, & quanto in errore uerſetur, quamq́; longè à ueris bonis abſit perpendamus. ita enim eſt mea ratio: nos ſectari fontes bonorum omnium, nempe honeſtas & diuinas artes: noſtramq́; functionem quàm proximè ad angelorum munus accedere. qui uerò hanc profeßionem deſpiciant, eos longißimè à* Deo *recedere.* Præterea, *etiamſi nullum aliud argumentum haberem, quo in hac cogitatione confirmarer: tamen illud ſufficeret, quod certum ſit, omnium doctorum uocibus & literis comprobatum,* Quo *res quæque eſt apud uulgus contemptior, eò ſolet eſſe dignior: ſicut econtrà, quicquid eſt in mundo ſuperbum, precioſum, & in admiratione poſitum, illud ſapientum opinione & re-*

& reuera etiam eſt uiliſſimum. Quare uel hinc ſolùm aduerſus ſiniſtrum hoc uulgi iudicium de noſtris artibus, animus munitur, ut exiſtimes tanto cariora eſſe ſtudia debere, quanto uulgo ſint contemtiora. Hæc *conſideratio adeò me conſolatur, ut mirificè inde literarum amore accendar, alacriorq́; reddar, & uulgi ſermones ex alto deſpiciam.* Attamen *cum audiuntur blaſphemæ indoctorum de literatis uoces, aut cum indignius tractantur eruditi: fieri non poteſt, quin animus ad dolorem commoueatur.* Non *equidem nego, graue eſſe audire conuicia in doctos homines iactata: & multo intolerabilius, ea ferre: ſed tamen eſt remedium huic malo aptiſſimum. Vlyſſem mihi ad imitandum in hoc genere propono. Vt enim is, cum ad Sirenum inſulam appulſus, ſonoros illarum cantus & modulationes audiret, aures obſtruit, donec præteruehatur: ita ego quoq;, cum eiuſmodi leuium hominum ſermones ad me deferuntur, aures occludo, et piſce me magis mutum præbeo. Sicut enim Vlyſſes illectus certiſſimè fuiſſet modulamine Sirenum, ſi auſcultaſſet: ita fieri non poteſt, quin commoueamur grauiſſimè, cùm calumniatoribus bonarum artium aures patefacimus. Conſtringi ſe etiam inſuper & uinciri iubet Vlyſſes, ne fortè capi poſſit dulcedine cantus: ſic nos obſtructis auribus, uinctisq́; pectoribus, negligamus oportet hanc peruerſam uulgi opinionem, inſanosq́; clamores eius, ne fracti iniuſto dolori indulgeamus, & indigna nobis faciamus.* Non *mediocriter etiam delector, cum Socratis facta apud animum reputo. Quantus enim*

Præoccupatio.

Remedium conuiciorum

Vlyſſes.

illo

illo quoque tempore ueræ ſapientiæ neglectus fuit! quanta opinionum uanitas? Omnes quidem ſapientes uideri uolebant: ſed non erant. Hanc autem perſuaſionem falſam cum Socrates taxaret, & ueram ſolidamq; ſapientiam profiteretur, quantam ſibi inuidiam conflauit? Adeò certè fuit inuiſus & contemtus, ut non ſolùm deriderctur, uerùm etiam multis inſignibus iniurijs afficeretur. In primis uerò placet mihi, atq; etiam conſolatur hoc illius factum, quod recenſet Plutarchus. Cum enim ab improbo & ſuperbo quodam iuuene calcibus impeteretur, aſtantesq; quidam homines ob id indignarentur, & uindictæ cupidos ſe oſtenderent, dixit Socrates: Num quæſo, ſi aſinus me percuſsiſſet calce, uos illum recalcitrare uelletis? Adeò hic eximius uir nebulonem iſtum nefarium contemnit, ut non dignum putet uindicta, ſed aſino eum ſeu bruto comparet. Quàm bellè hoc ad noſtrum negocium quadrat? Vt enim ille iniuria uulgi nunquam ſe commoueri paſſus eſt, ſed fortiter eam ſuperauit, non aliter ac leo aliquis ſeu equus generoſus canum latratus deſpicit: ſic nos quoq; aſininas uulgi uoces aſpernari debemus, & cum Socrate dicere, cùm calumnias aduerſus bonas artes audimus: Quid ſi aſinus ruderet aduerſus regẽ, nũ propterea is ſuccenſeret aſino, aut pulſaret eum? Summa mearum cogitationum eſt, contemnendum eſſe uanum uulgi de literis iudicium, nec audiendum quid uulgò dicatur, ſed quid uerè ſentiendum ſit, & dicendum. Hæc eſt firmiſsima conſolatio, qua ſi animus probè munitur, non ullis inſulſis

Socrates.

Epilogus.

Digitized by Google

ſulſis uulgi clamoribus à ſtudiorum curriculo ſe deterreri ſinet. Siml etiam illud adiungere ſoleo, quòd ſciam auguſta præmia eſſe propoſita artium & uirtutum cultoribus, contemtoribus uerò triſtiſsimas pœnas. Vale.

Sequitur conſolatio Theologica.

Vt præſtantior & efficacior eſt conſolatio Theologica, quàm philoſophica: ita etiam multo latius patet. Philoſophica enim ſicut ex humano ingenio, quod anguſtis limitibus circumſcriptum eſt, nec latè ſe extendit: ita etiam exhauriri facilè poteſt. Sed Theologica latiſsimè patet, quia non eſt prodita ab homine, neq; ab angelo, ſed à Deo omnipotente, infinitaq; ſapientia & uirtute prædito. Quo ſanè fit, ut multo utilior ſit conſolatio Theologiæ, neq; unquam exhauriri poſsit. Manat enim non ex anguſto fonte, ſicut Philoſophia: ſed ex auguſto & perenni fonte cœleſtis Paradiſi. Veruntamen ut ſtellas cœli, alioqui innumerabiles, in certam tamen ſeriem utcunq; diſtinguimus, & ab infinitate quaſi ad quandam compendiariam rationem reuocamus: ita amplitudinem quoque ſacræ conſolationis ad Rhetorices noſtræ præcepta referemus. Sunt autem loci conſolationis hi:

Diſcrimen conſolationis philoſophicæ & Theologicæ ex cauſa efficiente.

1. Honeſtum. 2. Vtile. 3. Facile. Ex his locis ſingulis argumenta, ſicut riuuli è fontibus ducuntur. Primùm omnium ſciendum eſt, conſolationem perpetuò cum calamitate eſſe copulatam. Vbi enim non

Loci conſolationis Theologicæ.

Digitized by Google

Omnis conſolatio oppoſita eſt dolori.

non eſt afflictio, ibi conſolatio certè non expetitur. Quare cōſolationem ſemper oportet antecedere mœſticiam: ſicut medicinam præcedit morbus. Nemo autem eſt, neq; unquam fuit (ut opinor) qui non expetat in malis ſolatium, & leuamen. Intolerabilis eſt enim omnis dolor, niſi conſolatione aliqua leniatur. Porrò uniuerſa conſolatio in his tribus potiß. conſiſtit. Cum enim affligimur, ſtatim cum primis anxij quærimus, unde illud malum profectum ſit? an caſu acciderit, nec ne. Ita fit, ut primus locus conſolationis ſit cauſa efficiens, ſeu fons mali quo premimur. Nam ſi ſcimus Deo ita uideri, ut hoc quidquid eſt ærumnæ patiamur, leuius illud ferre illico incipimus. Minus enim premit malum, quod ab amico, non quidem nocendi, ſed noſtræ utilitatis cauſa imponitur, quàm quod inimici in perniciem noſtram parant. Quare cum ſcimus Deum eſſe noſtrum amicum, imò patrem beneuolentißimum & clementißimum, cui noſtra ſalus tantæ curæ ſit, ut etiam unigeniti ſui filij ſanguine & morte eam redemerit: poſſumúsne, cum benignè ab illo corrigimur, & à uitijs turpitudineq; ad meliorem uitam traducimur, immodeſtiores eſſe quàm filios bonos decet?

I. Cauſa ſiue origo mali.

II. Ordo naturalis inter patrem & filium, ſeu creatorem & creaturas, obligàs ad obedientiam.

Secundum argumentum huius loci ab honeſto, eſt naturalis ordinatio inter Deum patrem & nos eius caros filios, qua ad obedientiam obligamur. Ac manat hoc ex ſuperiori. Nam cum cognouimus Deum nobis imponere crucem propter ſalutem noſtram, placidè illius uoluntati nos ſubijcere debemus, ſicut filios conuenit

Digitized by Google

uenit parentibus ſuis obedire: ne noſtra contumacia ad iram illum commoueamus, & nobis ipſis deſimus. Hoc argumentum multum habet in conſolando ponderis. Non enim parum reficitur animus mœſtus & perturbatus, cum de hac congruentia uoluntatis noſtræ cum diuina cogitat. In hominis, quem nobis fauere putamus, gratiam ſæpè aliquid aduerſi patienter toleramus, ut hoc noſtro obſequio illius fauorem & beneuolentiam retineamus. Cur non idem facimus in gratiam Dei, amici noſtri & parentis ſummi, conſtantiſsimi & maximi? Quare, cum affligimur, hoc ſit alterum argumentum, quo nos conſolemur. Quòd Deo reuerenter nos obtemperare oporteat, ne eius optimo conſilio benignæq́; erga nos uoluntati repugnare, & propriæ etiam ſaluti Gigantum more reluctari uideamur.

Tertium argumentum eſt omnium efficaciſsimum & ponderoſiſsimum, ſumtum ab exemplo filij Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti. is enim cum expers eſſet omnis peccati, & Deus iuſtus æternusq́; unà cum patre ſuo coæterno pari potentia et maieſtate regnaret, adeò ſeſe ſubiecit cruci, tamq́; ingentia mala paſſus eſt pro nobis, ut nihil ad illorum magnitudinem accedere poſsit. Quòd ſi igitur filius Dei, uerus Deus, rex cœli & terræ, propter noſtram ſalutem homo factus, tantos dolores & cruciatus ſuſtinuit: cur nos propter propriam ſalutem non perferemus leuia illa et exigua mala, quæ à Deo nobis imponuntur? Certum eſt noſtras ærumnas omnes, quamuis maximas & difficilimas, uix III. Exemplum Christi.

mas,uix tamen eſſe guttam ingentis et ineffabilis cruciatus Ieſu Chriſti. Quocirca cum angimur,tertio loco nos conſoletur hoc admirabile exemplum filij Dei: cogitemusq; illud ſeriò,quòd cum filius Dei pro nobis tot mala tam placidè paſſus ſit,multo magis nos noſtræ propriæ utilitatis cauſa morbos, triſticiam & difficultates cæteras toleranter ſuſtinere & exorbere oporteat.

IIII. Exempla omnium piorum.

Quartum huius loci argumentũ ducitur ab exemplo omnium piorum,qui ante nos ab initio mundi uſq; ad hæc tempora uixerunt, & adhuc ſuperſtites ſunt. Suſtinuerunt ærumnas ſtatim primi parentes Adam & Eua,ob admiſſum lapſum,& interfectum Abelem. Fuerunt in luctu & dolore omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, & quotquot pij unquam fuerunt: patiuntur etiam hodie omnes qui cum Chriſto eſſe uolunt.

V. Miſeria noſtra & Dei benignitas.

Quintum argumentũ,ab ingenti miſericordia Dei patris,& noſtra ingenti miſeria. Sumus natura obnoxij infinitis malis,calamitatibus et doloribus. Primùm enim circumferimus nobiſcum infernum,quem noſtris peccatis meremur. Deinde, nullum malum eſt tantũ, & tam inauditum,quod nobis propter peccatum accidere non poßit. Innumera ſunt morborum genera,quibus miſerum humanũ genus infeſtatur. Horũ nullum eſt quod non uel iam, uel paulo pòſt, uel in ſenectute, uel alio quocunq; tempore obruere nos poßit. Habemus enim ſubiectum, nempe corpus & animam, receptaculum omnium ægritudinum & afflictionum.

Tertiò

Tertiò, ſi reſpicimus quoad poſſumus longiſſimè, ſpaciumq́; temporis præteriti & pueritiæ memoriam recordamur ultimam, à prima uſq; die repetentes, uidemus innumera mala nobis ſubinde occurriſſe. Quartò, intuentes exempla aliorum, cernimus tanquam in ſpeculo, quàm indignis & horrendis modis ſæpiſſimè multi interierint, iam aquarum inundatione, iam gladio, laqueo, et alijs triſtiſſimis modis. Quintò, cum circumſpicimus, deprehendimus quanta ſit multitudo hoſtium, qui undiq́; nobis inſidiantur, & omnia acerbiſſima mala machinantur. Ad dextram equidem habemus ſæuiſſimum hoſtem diabolum, qui omnes ſuas cogitationes & molitiones in noſtrûm perniciem meditatur atq; conuertit. Ad ſiniſtram ſunt tyranni, multiplices homicidæ, nebulones, qui noctes dieſq́; bonis bellum indicunt, uitæq́; illorum inſidias ſtruunt. Deniq; apparebit etiam innumerabilis multitudo maleuolorum: adſunt mendaces, qui famam, exiſtimationẽ, honorem bonorum omnium non ſolùm obſcurare, ſed omnino etiam tollere conantur. Nec deſunt inuidi ſeductores, deceptores fraudulẽti. πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα: ut cum Heſiodo loquar. Hæc tot & tam horrenda mala, quibus ſepti & circundati ſumus, cum cogitamus, non poſſumus non immenſam Dei miſericordiam agnoſcere, & prædicare: quòd in tanto malorum ſæuiſſimorum agmine, nos tamen clementer ſeruet, ne penitùs pereamus: efficiatq́;, ut ne minima quidẽ illorũ pars nos attingat. Verè.n. illud dictum eſt: Miſericordia Domini, quòd non conſumpti ſumus.

V I. Dignitas profeſsionis.

Sextum, à profeſsionis noſtræ dignitate ducitur. Chriſtiani eſſe & haberi uolumus: quare non propter leues aliquas ærumnas aut calamitates profeſsionem abijciamus, & indigna nobis faciamus: ſed ſtrenuè patiamur quicquid obijcitur. ſicut magnanimos milites nullo periculo tempeſtatum aut aduerſitatum cæterarum à ſtatione ſua dimoueri uidemus. Requirit igitur *amplitudo & dignitas noſtræ profeſsionis, ut propter ducem noſtrum ſeu anteſignanum* Chriſtum, *omnia aduerſa patienter feramus, nec committamus ut propter aliqua incommoda indignemur, & deſerta noſtra militia ad inconceſſa præſidia fugiamus.*

ἀνακεφαλαίωσις loci primi.

¶ Tot, *& fortè plura argumenta ex primo loco* Honeſti *ſumi poſſunt.* Tranſeamus *nunc ad ſecundum, qui eſt ab* Vtili: *ſimiliter quæ argumenta ex illo duci poſsint, monſtraturi.* In *loco* Honeſtatis *dictum eſt, tria potiſsimùm ad leniendum dolorem requiri: quorum primum eſt, fons mali, quo conflictamur.* Primũ *enim omnium ſcire cupimus, unde afflictio, quam patimur, proficiſcatur.* Et *cum comperimus* Dei *uoluntate eam nobis accidere, illico modeſtiores eſſe incipimus: ad ꝙ non parum etiam momenti affert cogitatio exempli* Chriſti, *fratris noſtri coniunctiſsimi, item omnium patrum & piorum hominum, & tandem ingens miſericordia* Dei *ſeruantis, & uelut per mare rubrum ducentis nos ex ingenti hoſtiũ et malorum agmine, quod undiq; nos circũdat: proſtremò recordatio profeſsionis noſtræ. quæ omnia in loco honeſtatis complexi ſumus.* Nunc *perſpecto fonte, & cognita honeſtate, pro-*

xima

xima quæſtio eſt, quorſum mala pertineant, & num etiam aliquid proſint patientibus. Cum enim intelligimus Deum uelle, ut ærumnas impoſitas placidè feramus: mox quærimus, cur Deus noſter benignus et mitis pater tot malis onerari nos ſinat, & quid fructus crux nobis afferat. Aſſeuerat enim Paulus ſanctiſſimè, pijs credentib. omnia, qualiacũq; etiã ſint, cedere in bonũ. quare quæ utilitates afflictionũ ſint, nunc dicendũ eſt. Sunt autẽ argumenta quæ ab Vtili ſumi poſſunt: Cauſa finalis ſiue fructus & vtilitas crucis.

I. *Primùm afflictiones docent, ut noſmetipſos cognoſcamus. Sunt enim omnia* παθήματα μαθήματα: *& quò quis maioribus ærumnis exercetur, eò rectius ſeſe noſcere incipit. Cum res ſecundæ ſunt, putamus nos eſſe deos, & noſtræ ſortis obliuiſcimur: uerùm cùm ærumnis premimur, tum demum in nos deſcendimus, & quàm miſera maſſa ſimus intelligimus. Quare hæc prima utilitas crucis ſeu calamitatis eſt, quæ nos conſolari efficaciſſimè debet, quòd nulla neq; magna neq; parua afflictio ſit, ex qua non hoc uel maximum emolumentum capiamus, ut noſmet ipſos rectius cognoſcamus.*

II. *Secundò, afflictiones augent & firmant fidem & inuocationem Dei. Nam cum intelligimus, nihil præſidij, nihil opis, nihilq; ſalutis in nobis ipſis eſſe: incipimus ad Deum confugere, & ardentius ab illo auxilium petere, & nos deniq; totos illi tradere. Eſt igitur primus gradus ad ſalutem, noſcere ſeipſum: hoc eſt, exploratam habere ſuam miſeriam, inopiam, nuditatem, indignitatem, labem & impotentiam. Secundus,*

Digitized by Google

dus, confugere ad opitulatorem Ieſum Chriſtum, propter quem Deus miſeris peccatoribus uult eſſe propitius. Non autẽ poteſt homo ſeipſum noſcere, niſi affligatur. Cum enim res proſperæ ſunt, alieno: ſin aduerſæ, proprio oculo utimur. peregrinamur enim in felicitate, erumpentes extra metas, & eleuamur altius quàm humana conditio fert: in calamitate uerò deſcendimus et quid boni maliue domi noſtræ reconditũ ſit, experimur. Deinde deſperantes iam de nobis ipſis, ad Deum ſuſpiramus, recreationemq; & ſalutem firmiter ab eo petimus & expectamus. Sicut ægrotus cum nullam ſpem recuperandæ ſanitatis in ſeſe reliquã uidet, ad medicum ſeſe penitus conuertit, & totum ſeſe illi commendat. Eſt itaq; hæc ſecunda conſolatio in loco utilitatis, quòd crux nos à nobisipſis ad Deum deducit, & ſpem noſtram è terra ereptam in cœlum transfert.

III. Tertiò: Hinc naſcitur quaſi ex quodam fœcundo horto, humilitas, quæ una nos Deo acceptos reddit. Hanc ſequitur deinceps timor Dei. Ex eo porrò naſcitur dilectio cũ erga Deum, tum erga proximum. Hæc quoq; magna eſt conſolatio in ærumnis, quòd ſciamus tantũ abeſſe ut nobis noceant, ut etiã uehementer proſint, & gignant exuſcitentq; in nobis præcipuas uirtutes: ut ſunt, pietas, modeſtia, humilitas, timor Dei, & dilectio.

IIII. Quartò: Hoc commodi ex ærumnis conſequimur, ut maiore ſtudio & ardentiori inuocatione aduerſus lapſus futuros nos muniamus. Nã cum affligimur, no-

ſtramq;

Digitized by Google

ſtramq́; infirmitatem & labem agnoſcimus, oramus Deum ut nos inde liberet, & pollicemur emendationē uitæ, lapſusq́; in poſterum diligentius uitaturos nos eſſe confirmamus. ſicut hi facere ſolent, qui aduerſa ualetudine conflictantur, cū ſciunt ſua culpa aut intemperantia morbum eſſe accerſitum. tunc enim promittere audent, ſe in tota uita non amplius uſuros eſſe iſtis rebus, quæ cauſam morbi dederint. Hæc eſt quarta *conſolatio in hoc utilitatis genere, quòd calamitates ad cauenda futura mala nobis conducant.*

Quintò : *Prodeſt crux ad extinguendas & ſedandas concupiſcentias carnis, & reliquias peccati. Eſt enim crux præſentiſsimū remediū &* ἀντίδοτον *aduerſus pruritum & feruorem carnis. ſicut enim carnes, quas ad tempus longius durare uolumus, ſale condimus, ne uermimentia : ita cruce caro noſtra domanda eſt, & moderanda, ne efferueſcat, & effuſè geſtiat, ſpiritumq́; gubernatorem excutiat.* Et *quemadmodum* χειροῦργοι *uulnera extergunt, ſaniemq́; expurgant, ne ante tempus coaleſcant : ita caro cruce ſubinde reprimenda eſt, ne nimis efferatur & laſciuiat.* Hæc *ratio uel præcipuè nos conſolari debet, quòd ſcimus ærumnas eſſe ſaluberrimum remedium aduerſus carnis noſtræ pruritum.* V.

Sextò : *Afflictiones ſunt ſymbolum ſeu teſſera & teſtimonium euidens profeſsionis noſtræ* Chriſtianæ. *Nā crux diſcernit* Chriſtianos *à mundo, et eſt nota filiorū* Dei: *ſicut multa dicta declarāt.* Apocalypſis *tertio:* Ego *quē diligo, corrigo, et caſtigo.* Itē: *Iudicium à* VI.

domo Dei *incipit. & Prouerbiorum tertio: Quē diligit* Dominus,*corrigit. item ad* Heb.12. *Flagellat omnem filium quem recipit, &c.* Ex *hoc fonte magna conſolatio ſumi poteſt. Primùm enim afflictio teſtatur nos* Deo *caros eſſe. 2. Oſtendit nos uerè membra eſſe* Eccleſiæ,*quam* Deus *ſemper durius in hac uita exerceri ſinit, ne cum impio mundo damnetur.*

VII. *Septimò: Afflictio eſt ſignum reſtantis uitæ æternæ, poſt hanc miſeram & calamitoſam. certiſſimum eſt enim, quod* Deus *toties aſſeuerat: pios habituros eſſe præmia. At in hac uita tantum abeſt ut tranquillitatem habeant pij,ut miſerrimi ſint omnium hominū, nemoq́; alius ſit cui tot ærumnæ & infelicitates accidant. Quare tam certum eſt ſecuturam eſſe aliam uitam poſt hanc temporalem,in qua pij felicitate et beatitudine perpetua fruentur: quàm certum eſt,* Deum *uerbo creaſſe cœlum & terram, in qua ſumus & mouemur. Quis enim uellet* Chriſtianus *eſſe, & à toto mundo contemni,tantiſq́; malis fatigari, niſi in altera uita æterna & auguſtiſſima præmia ſperaremus: & econtrà impij, qui hîc geſtiunt & inſultant nobis,habituri eſſent æterna ſupplicia?* Hæc *ratio ad conſolandum ualde eſt efficax. Cū enim in ærumnis ſumus,ita nos ſuſtentare et firmare poſſumus:*Etiamſi *hîc momētum unū atq; alterū(tantum enim eſt huius uitæ ſpacium) affligar, & impij interim ſecuri ſint & bene habeant: tamen indubitatè uerum eſt,& certo certius ſcio,me poſt hanc momentaneam & fugacem calamitatem recepturum eſſe æternum gaudium, cum* Deo

Patre,

Patre, Filio & Spiritu ſancto, omnibusq; angelis & electis. Econtrà impij habebunt cruciatum, pro hac ſubitanea uoluptate, qua hìc fruuntur.

Octaua utilitas omniũ maxima eſt, et efficaciſsima. Afflictio enim reddit nos conformes imaginis filij Dei. Sicut igitur is non ſolùm grauiter afflictus eſt in hac uita, ſed etiam ex afflictione emerſit, & morte ſuperata nunc ad dextram ſui patris ſedet, & dominatur diabolo, inferno, & hoſtibus cæteris: ita nos quoq;, cum ſimiliter affligamur, ſimul etiam inde liberari neceſſe eſt, & euehi ad immortalem uitam, poſsidereq; unà cum fratre noſtro conformi Ieſu Chriſto regnum cœlorum. Hæc conſolandi ratio multum ponderis habet ad leniendam omnem triſticiam. Nam cum hìc affligimur, ſcimus Chriſtum quoq; eſſe afflictum, & hanc momentaneam afflictionem efficere nos illi conformes, regnaturosq; tandẽ nos eſſe cũ eo in æternum. VIII.

Nona utilitas eſt, uita æterna: quam Deus promiſit omnibus fidelibus, pro hac breui afflictione, quam in mundo patiuntur. IX.

Tertius locus à facili.

¶ Cognito iam fonte calamitatum, perſpectisq; utilitatibus, tertia quæſtio eſt de modo ferẽdi ærumnas. Cùm enim audimus, honeſtum eſſe ferre miſerias, cùm quòd Deus ita uelit, tum profeſsio noſtra poſtulet: & ſcimus etiam utilem eſſe crucem ad multa, tolerare quidem obiectas calamitates cupimus, ſed tamen quo pacto illud à nobis maximè fieri poſsit, quærimus. Sit igitur tertius locus in conſolatione Theologica, de facultate,

uel de modo ferendi ærumnas. Sciendum eſt autem, uniuerſam facultatem ferendi ærumnas eſſe comprehenſam duobus argumentis: quorum primum præſentiam Dei, alterum ſpem liberationis & ſalutis continet. Cum enim ſcimus Deum nobis adeſſe, & miſeria noſtra affici, magnam nobis facilitatē tolerandi ærumnas oſtenſam eſſe arbitramur. Secundò, cum animum hac ſpe obfirmauimus, non fore calamitatem noſtram perpetuam, ſed citò deſituram, & propediem ſecuturam eſſe lætitiam & beatitudinem: tunc placidiſſimè quidquid obijciatur mali perferre poſſumus. Sunt igitur hæc duo argumenta huius loci præcipua.

I. Argumentum.

Primum, à præſentia Dei, & auxilij eius. Quo .n. durius affligimur, eo propius Deus nobis adeſt, ardentiusq; nos complectitur: ſicut multa dicta perſpicuè confirmant. Zach. 2. extat hoc ſaluberrimū elogium Dei: Qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei. Quid pupilla oculi tenerius? quid item carius homini ea eſſe poteſt? & tamen pupillam ſuam tangi affirmat Deus, cum nos incōmodo aliquo afficimur. & Pſal. 91. apertè ſignificat, Deum eſſe nobiſcum in tribulatione. item Matth. 10. ait Chriſtus: Non capillum (qui tamen ualde exiguus eſt, et uilis) cadere poſſe de capite noſtro, niſi ſciente et uolente Deo. Hæc eſt ingens conſolatio: & qui illā bene pectori infixā habet, facilè omnes acerbitates & aduerſitates perferre poteſt. Quid .n. maius cogitari aut optari poteſt, quàm quòd Deus tam propè patientibus nobis adſit, ut noſtra calamitate afficiatur: Chriſtus adeò præſtò ſit, ut ſibi cōmunem noſtrum dolorem

Digitized by Google

dolorem eſſe dicat: omneſq; angeli & uniuerſæ item creaturæ nobiſcum doleant & patiantur? Vt autem Deus opprimi non poteſt, Chriſtus cadere neſcit, angeli non intereunt: ita nos quoq;, qui ſumus in Chriſto, nunquam peribimus. Affirmat Deus ſe geſtare nos in aluo ſua, apud Eſaiam. Stante igitur Deo, ſtabimus & nos: uiuente ipſo, uiuemus unà. Non enim quiſquã unquam ex aluo Dei nos eximere poterit. Quare cadat prius cœlum, & ruat terra, totaq; mundi machina diſſoluatur, quàm noſtrûm aliquis, qui in Deum confidimus, perimatur. Hæc copulatio miſeriæ noſtræ & auxilij diuini facit, ut magno celſoq; animo contemnere poßimus omnia aduerſa: redditq; nos infractos, imperterritos, & omnium uictores. Hæc conſolatio omnes moleſtias aufert, triſticias adimit, & conſcientiam quaſi quodam æſtu fluctuantem tranquillat, & ueluti quodam pabulo gratißimo rigat & reficit: ſicut in Pſalm. 23. diſertè ait propheta.

II. Secundum, à ſpe liberationis. Scimus non diu manſuram eſſe afflictionem: ſed breui deſituram, & mox ſecuturam eſſe læticiam ineffabilem. Ideo ſacra Scriptura uocat afflictiones momentaneas, & fugaces, Ioannis 16. polliceturq; æternum gloriæ pondus. Vt .n. in diuerſorio aliquo malo morãtes, modeſtius quidquid aduerſitatis obijcitur toleramus, propterea quòd cras ſimul atq; dies illuxerit, diſcedere cogitamus, & meliora ſperamus: ita cum in hac uita affligimur, hac ſpe nos ſuſtentemus, non diu illud duraturum eſſe, ſed mox ceſſaturum & ſecuturam tranquillitatem, &

uitam

Digitized by Google

uitam beatiſsimam. Aut ſicut peregrinantes ſpe reditus totam profectionem leuius ferunt, quòd breui domum reuerſi quietem habituri ſint, & ſuos reuiſuri: ita nos etiam hoc uitæ curriculum laborioſum & tædioſum, ſpe ueniendi tandem in patriam, adipiſcendiq́; pacem & ſalutem, placatius conficere debemus: & omnes moleſtias, quæ dum adhuc in itinere ſumus obijciuntur, diſsimulare, ſicut Stephanus factitauit, de quo hic uerſiculus extat:

Ibat ouans animis, & ſpe ſua damna leuabat.

Hinc & Petrus uocat nos peregrinos, ſeu hoſpites, ſubinde ſpectantes & expectantes reditum in patriam diu deſideratam.

EXEMPLA CONSOLATIONIS Theologicæ.

¶ *Primùm conſolaturus aliquem mœrentem obitum amici, aut cognati, hoc pacto perorabit.*

Exordium a re ipſa.

Sentio te in magno luctu ac ſqualore eſſe, propter extinctum cognatum. Quod etſi minimè reprehendã: tamen ne nimiũ dolori indulgeas uelim, ſed te colligas potius, & modum lugendi facias. Non prohibet ſanctum Dei uerbum, luctum, quem calamitas uel noſtra ipſorum, uel cognatorum & familiarium noſtrorum nobis exprimit: ſed modum tamen requirit, ne ſicut Ethnici, ignari Dei & reſurrectionis noſtræ, mortuos defleamus. Quocirca abduc animum tuum à luctu, & releua te, confirmaq́; ueris ſolatijs in uerbo Dei demonſtratis: quæ quamuis tibi non deeſſe putem, tamen cum minus iam propter nimiam perturbationẽ ea cer-

Digitized by Google

nas, commemorare tibi aliqua conabor. Hoc certè ignorare non potes, diuino conſilio & uoluntate Dei ſummæ, tuum cognatum ex hac uita euocatum eſſe. Neq;, etiã ſi maximè uelles, aliter ſtatuere potes: cũ certiſſ. ſit, q̃ ait Chriſtus, capillos capitis noſtri eſſe numeratos, nec unũ ex ijs decidere abſq; uolũtate patris noſtri. Quòd ſi igitur Deo ſciente, moderante & uolente mortuus eſt: cur ægrius quàm decet hominẽ, Dei creatoris uoluntatẽ feres? At fortè Deum, inuidũ aut tibi, aut cognato eſſe putas, quòd longinquiorẽ uitam illi denegauerit. Humana eſt hæc & impia opinio de Deo: quaſi uerò is non melius ſciat quid è re noſtra ſit, quàm nos ſtulti homunciones. Eſt is pater noſter clementiſſimus, et quàm optimè nobis conſultũ eſſe cupit. Quidquid igitur facit de nobis, id omne ad noſtram utilitatem redundare neceſſe eſt. Siue itaq; bene ſiue malè (ut nos opinamur) habemus, utile nobis eſſe oportet. Si cognato tuo profuiſſet diuturniore in his terris uti uita, utiq; diutius uixiſſet. Verùm Deus ſcit melius eſſe illi, nunc cum beatis quieſcere, quàm cum miſerijs in hac ærumnoſa uita conflictari. Quare bene actum eſt cum cognato tuo: quia elegit illi Deus meliorem partem, relicta mala. Huic benigniſſimæ Dei uoluntati te ſubijcito, & reuerenter illi gratias age, quòd illũ tanta felicitate donauerit, ut his terrenis exemptus, cũ cœlitibus agat æuum. Hæc cogitatio non mediocriter te conſolabitur, ſi diligenter apud animum reputaueris, Deum non odio tui, aut cognati tui, ſed potius amore & paterna ſογῆ adductum eſſe, ut illum hinc auferret,

I. Voluntas diuina.

Præoccupatio.

Digitized by Google

ferret, & in cœtum beatorum collocaret. Longè enim præſtat hæc eius conditio quam nunc adeptus eſt, quã illa, qua, ſi adhuc in terris hæreret, frueretur. Et quidem uehementer peccas, ſi uoluntati Dei, quem ſcis nobis tantopere fauere, nimium lugendo reſiſtis atq; repugnas.

II. Obedientia creaturæ erga creatorem.

Nónne iuſtũ eſt nos creaturas obſequi Creatori noſtro? Quare caue dolori amplius indulgeas, ne naturali ordinationi, qua obediendum Creatori obligamur, reluctari uidearis. Quid mirum eſt nos caducos & mortales homines occidere, aut mori?

III. Chriſti exemplum.

Aſpice Chriſtum, quanto is præſtantior eſt nobis? et tamen mori pro nobis dignatus eſt. Si ille purus & expers omnis uitij, propter alienum peccatum, quod in ſeſe deriuauerat, mori non recuſauit: quanto iuſtius eſt nos occidere, qui natura peccato obnoxij ſumus?

IIII. Exẽpla piorum.

Intuere exempla omnium qui ante nos fuerunt. nónne et ipſi ſimilem fortunam experti ſunt? Quare cùm omnibus acciderit, cur tu indignaris aut moleſtè fers, ſi unus ex tuis, confecto uitæ curſu, hinc auocetur?

V. Benignitas Dei.

Quin magni & excellentis beneficij loco numerandum eſſe exiſtimo, quòd non, ut meriti ſumus, æterna morte punimur. Hæc mors admodum tolerabilis eſt, cum conſtet eam eſſe aditum & quaſi ianuam ad aliam uitam longè iucundiorem atq; beatiorem. Sed ſi iuxta meritum noſtrum æternam obiremus mortem, tunc demum dolendum nobis eſſet omnibus modis, ſi quis noſtrûm è uita diſcederet. Hoc certè magnæ cõſolationis loco eſſe poteſt, quòd, cùm æterna morte digni ſimus, hanc temporalẽ tantùm et momentaneã experiamur.

Quare

Quare peccas, ſi nimiũ defles cognatum tuum: et facis indigna profeßione noſtra Chriſtiana, cũ immoderatius quàm decet fers mortẽ illius. Hoc potius apud animum perpende, non ſolùm cognato tuo, ſed tibi etiam hanc mortẽ prodeſſe. At quid ita? rogas? Diſces inde, qualis tu ſis, quàm momentanea ſit uita tua, et incertus exitus. Deinde hoc cognito, tanto diligentius Deũ inuoca: & ora, ut te pro ſua gratia ducat & regat, faciatq; uas non quidẽ iræ, ſed miſericordiæ ſuæ: & ſimul exuſcitet etiã et augeat in te uerũ timorem et dilectionẽ, cæteraſq; uirtutes placẽtes ipſi, propter Mediatorem Chriſtum. Ex quo ſanè etiam illud ſequi debet, ut te accuratius aduerſus tentationes diaboli armes, et lapſus caueas, ne in perpetuum exitiũ deijciaris. Circumfers quoq; multas errantes flammas in carne tua. Has uide ut extinguas, cõmonefactus exemplo cognati tui: nec ſine, ut caro tua dominetur, ne ſempiternam mortẽ ſubire cogaris. En hæc potius tibi cogitanda ſunt in obitu cognati tui, quàm ut diuturnis querelis ac fletibus eum requiras. Si hoc feceris, excidet tibi dolor, recordationeq; tui & miſeræ ſortis noſtræ eò deducẽris, ut nihil minus quàm lugendum eſſe defunctum arbitreris. Quamuis autem hæc mœſticiam non auferre uideantur: tamen à luctu animum abducunt, & ad alias pias cogitationes transferunt, quibus nihil iucundius aut potius Chriſtianis eſſe debet. Porrò non lugendi, ſed gaudendi potius occaſionem, hunc caſum tibi attuliſſe exiſtimo. Quòd n. piè ex hac uita diſceßit, magnæ felicitatis loco reputandum eſt. Vtilitatum congeries.

Scimus

Digitized by Google

Scimus enim mortem, ſicut alias quoq; afflictiones, eſſe σύμβολον profeßionis noſtræ. inde enim cognoſcitur, quòd Chriſti imitatores & diſcipuli ſimus, ſi unà cum ipſo moriamur. ex quo ſequitur etiam alterũ, quòd ſcilicet iuxta exemplum illius ex morte reſuſcitabimur, æternamq; etiã uitam & lucem cum eo conſequemur. Certum eſt autẽ, cognatum tuum inter pia uota, crebrisq; ad filium Dei ſuſpirijs ex hac uita migraſſe. Cur igitur luges, cum ſcias ita accidiſſe id quod ipſius & noſtræ omnium profeßio poſtulat? Neq; uerò dubitare debes, quin ad æternã Dei & omnium beatorum conſuetudinẽ receptus, et ut ſancta Scriptura uocat, ad ſuos aggregatus ſit: cũ hæc temporalis piorum mors certiß. indicium ſit uitæ futuræ. Sed inquies: Hæc quidem luctũ leuare, & conſolatione animum afficere poſſunt. ueruntamen dolor ſubinde recurrit, nec poſſum illi ſatis reſiſtere. Eſt enim naturâ hoc inſitum mihi, ut grauiter mœream, ſi quid aduerſi mihi obijciatur. Et ferrem libenter modeſtius hunc caſum, ſi modò poſſem. Audi obſecro, quid te in hac re facere uelim. Non naturæ tuæ indulgeas neceſſe eſt: ſed reprime te, & cohibe quantum potes, illud cogitans, Deum autorem & datorem omnis conſolationis tam propè tibi adeſſe, ut tuam fortunam ſuam eſſe exiſtimet. Si hoc tibi perſuaſum habes, facilè placatior eris: cogitabisq;, Si Deus hanc calamitatem mecum fert, ego ocioſior ero, & ipſi totam hanc cauſam committam: quid de me futurum ſit, ipſe uiderit: ſcio me curæ eſſe illi maximè, adeò ut hæream in amplexibus eius.

[Margin: Facile.]

[Margin: I. Præſentia Dei.]

Digitized by Google

bus eius. Quare ualeat luctus: conuertam me totũ ad Deum meũ, et confidam illi. Si iſtum habeo, ſat habeo nec quicq̃ mihi deeſſe poterit. Et *quamuis tua cura & ſolicitudo ſubinde recurſet, tamen fortiter ſperato, breui futurum eſſe finem calamitatis tuæ, & ſecuturum gaudium optatiſſimum.* Hac *conſolatione te erige & ſuſtenta, referens oculos & mentem identidem ad uoluntatem* Dei *benigniſſimam, cui certè reſiſtere minimè debes: propone tibi exempla inſuper anteceſſorum noſtrorum, item utilitates quas ex aliorũ obitu Chriſtiani percipere debent.* Et *tandem firmiſſimè ſtatue,* Deum *tibi adeſſe, & breui daturum pro hoc luctu læticiam perennem. Vale.* II. Spes liberationis. Epilogus.

Aliud exemplum, continens conſolationem qua ſtudioſi contra ærumnas ſcholaſticas vti debent.

¶ *Ita ferè in rebus humanis ubiq; uſuuenire uidemus, ut quo quæq; res dignior eſt & precioſior, eo magis ab impio mundo contemnatur.* Idq; *uel inde fieri maximè exiſtimo, quòd mortales propter natiuã mentium caliginem uera & ſolida bona non cognoſcant: ſed cæco quodam impetu ad ea ferantur, quæ pulchra aſpectu ſunt, & uoluptatis aliquam emolumentiq; ſpeciem præ ſe ferunt.* De *literis equidem ſeu artium bonarũ ſtudijs hoc uerè poſſum dicere, nihi eſſe illis poſt uerbum diuinitùs traditum in mundo dignius et præſtabilius: & tamen nunc perinde à plerijq; deſpiciuntur,* Exordium a ſententia cõmuni. Accommodatio ad cauſam.

V tur,

tur, ac ſi nihil utilitatis ex ijs ad uitam humanam redundare poſſet. Nullus nunc honos, nullum præmium doctis exhibetur, etiamſi dies noctesq; in id incumbant, ut ſua eruditione & arte quamplurimum opis Eccleſiæ & ſocietati uniuerſæ adferant.

Dignitas artium & vtilitates.

Quàm indignū uerò eſt, & impium, non habere honorem ijs rebus quas Deus ipſe honorauit? Hoc ſanè dubium non eſt, artes magnarum utilitatum cauſa hominibus à Deo donari: & uiros doctos eſſe quaſi quædam numina, per quæ Deus ſuam Eccleſiam uult regi et doceri, iuuentutem erudiri et inſtitui, Reſpublicas adminiſtrari & retineri. Communicat.n. Deus ſuum honorē doctis, ut diuini uocentur, & ipſi angelorum numero accenſeantur. Sed mundus tanquam καθάρματα καὶ περιψήματα odit & aſpernatur eos. Quid quæſo poteſt eſſe intolerabilius, quā uidere hæc tam utilia & præclara Dei dona, tam fœdè abijci & conculcari? Nititur bonus ſtudioſus dies & noctes, ut diſcat quamplurima, quibus patriæ & Eccleſiæ proſit. Cum alij ludunt, ipſe laborat: cum alij ſomnum capeſſunt & quieſcunt, ipſe grauiſſ. ſudat: & tamen pro his ſuis maximis & animi & corporis tam honeſtis contentionibus hoc præmij reportat, ut non quidē æquè ut cæteri ocioſi uentres, ſed etiam indignius adhuc tractetur. Hæc cum in animo cogito, quamuis quantum poſſum dolori reſiſtam, tamen opprimor interdum, et magna mœſticia afficior: & niſi ſolatia ex uerbo Dei mihi ſuppeterent, doloris acerbitate conficerer. Tanta enim hæc lucta eſſe ſolet, ut animū etiam

Antitheſis de indigno doctorum contemptu.

magnum

Digitized by Google

magnum frangere, niſi uerbū Dei opponeretur. Hoc igitur ſi mihi deeſſet, labaſcerem uictus magnitudine rei, & ad indigna ſæpe deſcenderem. Verùm cum & mandatum & promißionem Dei in uerbo extantem attentè conſidero, leuari aliquantulum & recreari uideor. Quare armandi ſunt animi ſtudioſorū firmis & ſalutaribus teſtimonijs & dictis Scripturæ ſanctæ, ut huic obrepenti tentationi reluctari ſtrenuè poßint. Ideo ſolatia nunc exponam. Primùm firmißimè tenendum eſt illud: Nos uerè eſſe à Deo uocatos, ordinatos & deſtinatos ad hanc functionem quam ſuſtinemus, nempe ad bonarum artium culturā et propagationem. Non enim noſtro conſilio fieri exiſtimandum eſt, ut relictis alijs omnibus, honeſtis ſtudijs ſolùm adhæreamus atq; incumbamus. Deus eſt qui & ingeniū ad diſcendum aptum, et uoluntatē eligentem atq; expetentē bona ſtudia, cæteraq; quibus indigemus, largitur. Nā natura profectò ita affecta eſt, ut mallet meliorem uitæ partem, quæ plus uoluptatis habeat, ſectari, quàm tanto ſudore tamq; pertinaci ſtudio literas diſcere. Quare certum eſt, non ex nobis ipſis fieri, ut literas bonas amplectamur atq; colamus: ſed potius diuino conſilio atq; uoluntate mentes & uoluntates noſtras ad honeſta ſtudia flecti, ſtatuamus. Cum autē conſtet, Deū nos uocare & eligere ad diſcendas artes utiles tum Eccleſiæ, tum uniuerſæ uitæ humanæ, quid eſt quod efficacius nos conſolari queat? Etenim qui ſcit quòd ſua functio non ſolū placeat Deo, ſed etiā ab ipſo inſtituta ſit, et approbetur, quomodo is non bono animo eſſe poteſt,

Propoſitio.

Vocatio diuina ſtudioſorum.

etiamſi aduerſi aliquid in ea patiatur? Quocirca ſi uidemus mundum aut contemnere literas, aut uiliora literatis tribuere præmia quàm ipſorum dignitas meretur, mox cogitemus: Deus nos ad hanc ſtationem uocauit, & non mundus: ergo Deo quoq; ſtrenuè inſeruiamus neceſſe eſt, etiam inuitis omnibus. Hoc modo confirmatus animus, facilè ſuſtinet & ſuperat fluctus tentationum, qui interdum ex cogitatione ingratitudinis huius ſeculi erga literatos naſcuntur. Cum enim hoc nobis perſuaſum eſt, animiſq; infixum, nos eſſe uocatos Dei miniſtros: ſtrenuè in hac ſtatione & militia, ſicut fortes milites decet, perſeuerandũ nobis eſſe intelligimus, quæcunq; tandem fortuna nos comitetur. Vt enim fortes milites, quocunq; à ſuo duce uocantur, ſequuntur, parum ſoliciti de euentu: ita nos quoq;, cũ in caſtris Dei militemus, non recuſare debemus quidquid oneris nobis imponitur: ſed ultrò ſequi, ſiue per ſentes, ſiue per amœna uireta ducamur, modò uideamus ut noſtra uoluntas Dei uoluntati ſubiecta ſit, & cum ea ritè congruat: ut quemadmodum ducis et militũ, ſic Dei quoq; & noſtra mens eadem ſit ſemper, & conſentiens uoluntas. Ita autem uoluntates noſtræ Deo congruunt, cum uocationi noſtræ, quam ſcimus à Deo eſſe, diligenter paremus, nihilq; impedire aut abſterrere nos ab ea ſinimus. Deinde quid moleſtè ferimus, ſi ab ingrato mundo non digno honore affici literatos uideamus? Non enim hoc nouum eſt, & ante hunc diem non exauditum uſquam. Quis honos habetur diuinis rebus? imò quotuſquiſq; eſt, aut fuit, qui Deum ipſum

Exempla.

ipſum ita ut par eſt & conuenit, honoret atq; colat? Nónne plures ſemper reperiuntur contemtores Dei, quàm amatores atq; cultores? Aſpiciamus Chriſtum ipſum: quis illi, dum in terris uerſatus eſt, conuenientem honorē tribuit, exceptis paucißimis? Nónne maxima & potentißima pars hominum contempſit illū, deriſit, atq; contumelijs affecit? Quòd ſi igitur hoc Deo ipſi, & eius dilecto filio accidit: cur nos indignemur, ſi ſimilem fortunam experiamur? Conſiderentur exempla Prophetarum & Apoſtolorum, & omnium piorum: quid hi quæſo honoris & præmij ab hoc perditißimo mundo reportarunt? Quis magnifecit illos? quid fuit iſtis contemtius? Si hi præſtantißimi uiri, quibus nos ne minima quidem parte comparari poſſumus, tam indignis modis in hoc mundo tractati ſunt: quid mirum, nobis quoq; tale quippiam euenire? Præterea perpendatur etiam eregionè ingens miſericordia Dei, defendentis & ſeruantis nos in tanto odio atq; ſæuitia hoſtium noſtrorū, & uelut in agmine medio leonum. Quanta ſit uirulentia multorum erga doctos, non obſcurum eſſe ijs poteſt, qui mediocriter ſaltem huius uitæ rationem explorarunt. Quàm multos eſſe exiſtimemus, qui tanto odio literarum & diſciplinæ flagrant, ut ſi poſſent, uno impetu uniuerſam honeſtā literaturā delerent? Quid uerò mali non molitur aduerſus nos diabolus? is equidem, ſi uno momento perdere nos funditùs poſſet, nihil intermitteret. Ex his tamen tam ſæuis & magnis hoſtibus, liberat nos Deus, & tam clementer cuſtodit et conſeruat, ut

Defenſio diuina.

Digitized by Google

ut ab illorum rabie tuti & incolumes hactenus maneamus. Quare agamus Deo gratias pro hac fideli et paterna cuſtodia & conſeruatione: & ſi quid fortè coincidit interdum aduerſi, patienter illud feramus: cogitemusq; hæc quæ patimur, non minimam eſſe partẽ, ſed uix ſpumam iſtorum malorum, quæ ab hoſtibus infeſtiſsimis nobis parantur. Idcirco non ideo frangamur animo, quòd non ſemper noſtris uotis fortuna reſpondeat: ſed magnæ conſolationis potius loco habeamus illud, quòd cum tantus hoſtium aceruus nos undiq; inſectetur & opprimere cupiat, Deus tamen ſua præſtanti ac ſingulari bonitate eorum conatus reprimat, & nos uelut inter medios aquarũ fluctus tam benignè tueatur atq; cõſeruet. Ac ne illud quidẽ præter cundũ eſt, quod uel præcipuè nobis ſolatio eſſe debet. Tanta enim eſt profeſsionis & ordinis noſtri amplitudo atq; dignitas, ut ueluti ſol reliqua lumina ſua claritate obfuſcat, ita hæc omnes moleſtias atq; difficultates obſcuret atq; auferat. Etſi igitur mũdus literatos contemnit, tamen Deus honorat & decorat illos ampliſsimè. Non enim ullus ordo in hac uita tantopere in ſacroſancto Dei uerbo commendatur, ſicut hæc functio eruditorum. Deus equidem ſuos nos uocat miniſtros, angeli ſuos agnoſcunt ſocios, ſancti fratres ſuos propter officij communionem nos appellant: omnes deniq; pij, qui noſtra opera grato animo utuntur, ſaluatores & lumina nos dictitant. Nam in Pſalmis paſsim & Prophetis non dici poteſt quàm honorificè noſter ordo prædicetur. Haggæus certè & Malachias

Dignitas profeſsionis.

lachias non uerentur angelos uocitare, doctos uiros: quemadmodum & Chriſtus ipſe eos nominat Matth. 11. Pſal. 68. regum & principum nomina illis attribuit. Faceſſant igitur calumniæ & ementita conuicia uulgi, de bonis literis & ſtudijs noſtris: & ſufficiat nobis honos quem Deus, angeli & omnes ſancti nobis aßignant. Atqui ſtultißimum eſſet, magnifacere mundi iudicium, & negligere Dei honorificentißima de noſtra functione teſtimonia atq; cõmendationes. Quod autem Deus honorat, illud uerè honeſtum & laudabile eſt, etiamſi ſecus uideatur impio mũdo. Hæc eſt magna conſolatio, & opponi debet cogitationi illi de contemtu bonorum ſtudiorum. Qui uerò ea non mouetur & recreatur, eum extremi iudicij & deſperati ingenij hominem eſſe neceſſe eſt. Sed tamen non Vtilitates. deſunt etiam commoditates noſtro ordini maximæ & ſaluberrimæ. nam ſi quid habet hæc uita boni aut delectationis, id certè in literaria functione conſiſtit. Hæc bona opponi neceſſe eſt malis et incommodis quæ nobis obſtrepere ſolent: itaq; fiet, ut nihil utilius literarum ſtudijs reperiatur. Primus autem fructus quem I. ex ſtudijs percipimus, is eſt maximus: quòd & noticiam Dei ueram, & conſcientiam bonam habeamus. Id enim conſequimur ex ſtudijs rectis, ut Deum rectè cognoſcentes, reuerenter illi inſeruiamus, illum inuocemus at celebremus. Errat autem uehementer, ſi quis aliud bonum præſtantius aut melius hoc eſſe exiſtimat. Non enim cultu & miniſterio Dei, homini quicquam poteſt eſſe iucundius atq; utilius. Viuunt docti in uera

Digitized by Google

agnitione Dei, omnesq; ſuas actiones & cogitationes ad illius laudem referunt, adeò ut uerè in hac uita mortali uitam agant cœleſtem. Etſi enim adhuc in terris hæreant: tamē animus uelut ab his terrenis abſtractus in cœlum penetrat, cogitationeq; & quaſi colloquio Dei ſuauiſſimè paſcitur & ſatiatur. De conſcientia bona uenuſtiſſimè dixit Nazianzenus, ὀυδὲν ὅυτως ἐυφραίνειν ἔιωθεν, ὡς τὸ συνειδὸς καθαρὸν, καὶ ἐλπίδες ἀγαθαί. Id rectiſſimè ad nos trāsferri poteſt. Primùm enim bona conſcientia fruimur, quia miniſterio diuino fungimur, & cœleſtia tractamus, diſcendis, docendis & propagandis dogmatibus ſacris, & bonis artibus. Deinde ſpes in cœlo eſt maxima, quia Deo nos totos tradimus, mundana contemnentes: & quia cœlum ſuſpicimus, et cœleſtia munera obimus, fieri aliter non poteſt, quin in cœlo cum Deo perpetuò uicturi ſimus. Quid igitur nobis eſſe poteſt felicius? quæ conditio in hac uita contingere nobis melior ulla poſſet? Deinde nec cæteris cōmodis huius uitæ carere uidentur eruditi. Etſi enim minus habeant honorum ſeu facultatum quàm cæteri, qui omnem operam, imò totam uitam in corradendis opibus locant: tamen diuinitùs etiam, & quidem ſatis largiter à Deo aluntur, ita ut in inopia ſua feliciores ſint, & tranquilliores, quàm alij in magno aceruo diuitiarum. Quis non optet atq; malit uitam tenuem & inopem Ieremiæ aut Ioannis, quàm magnas opes Aprijs aut Herodis? Neq; etiā fieri poteſt, ut unus ex illis qui Chriſto ſeruiunt, fame pereat: aut ſi fortè ita contingat, non certè ea mors pro

II. Felicitas vera.

damno,

damno,ſed pro lucro maximo reputãda eſſet. Eſt enim occaſio citius perueniendi in regnum Dei, ubi diues eſt copia & affluentia rerũ omnium. Et ſanè neq; hic uictus ſtudioſis deeſſe poteſt. Quàm multa enim conſtituta ſunt ſtipendia paſsim in ciuitatibus & pagis, quibus nemo præter ſtudioſos frui debet? Nulla eſt ciuitas tan parua, quæ non indigeat aliquibus doctis uiris: nullus pagus facilè reperitur,in quo non ſint fundati aliqui reditus ad alendum uel concionatorem,uel ſcribam. Iam ſi quis ſubductis rationibus,ſummam cogitationum facere uellet,facilè deprehendere poſſet,in una ſaltem regione uel ditione magnam copiam doctorum requiri. Etiamſi autem nunc functiones omnes fortè repletæ ſint miniſtris: tamen uel hoc ipſo anno, uel paulo pòſt aliquot uacare neceſſe eſt. Quidã enim moriuntur,nonnulli aliò uocantur. Hæc ſi quis attentè cogitat,non poteſt de uictu aut bonis huius temporalis uitæ dubitare quicquam. Et Chriſtus certè grauiter prohibet eiuſmodi ſolicitudinem de ſuſtentatione corporis, cũ ait, Omnia neceſſaria adijci pijs et amantibus uerbi diuini. Quare reiectis omnibus curis, nauiter diſcamus: & certò nobis perſuadeamus,uictũ ultrò nos comitaturum eſſe. Deſiderat noſtram operã Eccleſia, eget eruditis uiris Reſpub. & nulla eſt pars ſocietatis ciuilis, quæ doctis carere poſsit. Ideo ſtante Eccleſia, & manente hac politica conſociatione, ſtare ſimul neceſſe eſt & manere eruditos. Hoc audacter obijciamus noſtris uituperatoribus,ſine eruditis ſeruari non poſſe Eccleſiam,neq; Rempub.ullam: & quid-

Victus ſtudioſorum.

quid boni eſt in hac uita, id omne per doctos Deũ largiri. Etſi autem graue ſit, ferre importunas indoctorum uoces & contemtum: tamen hoc quidquid eſt moleſtiæ, facilè toleratur, atq; etiam ſuperatur, cogitatione primùm præſentiæ diuinæ, deinde mox ſecuturæ liberationis & æternorum præmiorum. Deum equidem conſtat nobis certiß. adeſſe, & quidem tam propè, ut nobis ſemper aßideat, nosq́; luce ſua cœleſti compleat, & accendat ad diſcendum. Angelos quoq; manifeſtum eſt diſcentibus nobis miniſtrare, & ſedulò nos iuuare. Non enim dubitare debemus, quin undiq́; nos circumſtet lepidus angelorum chorus, non ſolùm tegens nos aduerſus diaboli inſultus, ſed etiam labores noſtros adiuuans. Habentes igitur tantum opitulatorem & ducem ſtudiorũ Deum ipſum, tanq́; præſtantes miniſtros & ſocios angelos, cogitemus nihil nobis cum ingrato mundo omnino commercij eſſe: nec moremur eius inſaniam. Id enim uult & unà facit Deus, & omnes eius boni angeli, qui nequaquam abſterreri ſe ſinunt ingratitudine mundi, quo minus ſuum officium faciant. Simul uerò etiã illud in animo habeamus, non ſemper nec diu duraturum hoc eſſe, ut mundus hæc optima Dei dona aſpernetur: ſed breui futurum, ut ab hoc ingrato mundo liberati, traducamur in cœleſtem academiam, ubi nobis angeli gratulaturi ſunt, & Deus ipſe æterna præmia tributurus eſt. Tunc nulla re impediti, ſtudia noſtra hic quidem incepta, ſed manca relicta, continuabimus, & integrè conſummabimus, audituri ſumma cum uoluptate et læticia

Academia cœleſtis.

ticia

Digitized by Google

ticia præceptorem & doctorem præclariſſ. Ieſum Chriſtum. Tunc contemtores artium & ſtudiorum piorum in pœnas proijcientur, & in tenebris hærebũt ſempiternis: ſtudioſi uerò boni lucebunt ſicut aſtra. Hæc eſt conſolatio, quam tenere, & altiſſimè animis infigere debent illi, qui contemtum bonorum ſtudiorum in hoc ingrato ſeculo experiuntur, ut habeant quò ſe confirmaare poſſint, nc propter frigidos quorundam clamores ab incœpto ſuo deſiſtant, & ad ſordidum aliquod uitæ genus deficiant. Epilogus.

Exemplum conſolandi in afflictionibus.

Quàm mirabilis eſt Deus, quamq; admirabilia ſunt eius opera? Quis eſt tã ſapiens inuentus unquã, qui peruestigare aut comprehendere conſilia eius potuiſſet? Iuuat, ubi perdere uidetur: ſanat, ubi ſauciare eum arbitramur: deniq; ſaluat, ubi nihil niſi præſens exitium apparet. Hanc admirabilem Dei ſapientiã admirantur & ſuſpiciunt omnes ſancti: id quod in Pſalmo etiam Dauid confitetur, cum ſic admirabundus inquit: Cognoſcite quàm mirabiliter regat Dominus ſanctum ſuum. Securi autem & profani homines nihil omnino de ea norunt. ſed ſola Eccleſia cognoſcit illam, & quàm præter omnem expectationem & opinionem plurima eueniant, deprehendit. Quid quæſo tam eſt præter cogitationẽ humanam, quàm q, afflictiones, ærũnæ et tentationes omnes Chriſtiãis tã ſalubres ſint, atq; utiles? Malũ uidetur morbus: et tamen Chriſtianis

Ab effectu admirationis Dei operum.

Digitized by Google

ſtianis eſt magnum bonũ. Pernicies putatur eſſe mors: & tamen Chriſtianis eſt placidiſsimus ſomnus, & ad uitam ſuauiſsimam aditus. Amariſsimæ eſſe exiſtimantur ærumnæ, tentationes & afflictiones cæteræ, quibus infeſtari ſolemus: & tamen ſunt Chriſtianis Ambroſia & Nectar. Cũ enim acerba propinare nobis Deus uidetur, dulciſsima, imò mellitiſsima infundere et offerre nobis credi debet. Cum iraſci uidetur, familiariſsimè ridet. Cum ab eo premi nos putamus, maximè ſubleuamur. Cum deſeri nos opinamur, præſtò eſt, & iuuat efficaciſsimè. Cum infirmamur, confirmamur: & ut uno uerbo omnia complectar, cum peſsimè nobis eſſe iudicamus, omnium habemus optimè. Ita Deus cum ſuis agit, & talis etiam à nobis haberi uult. Qui uerò hunc mirabilem Dei morẽ ignorat, longè ab illo abeſt. fremit enim aduerſus Deum, cum ipſe ridet: lætatur, cũ ipſe iraſcitur. Ideo illi cũ Deo nulla poteſt eſſe amicitia. Hanc conſuetudinem Dei te quoq; noſſe oportet in hac afflictione & tentatione tua, ne ſecus multo de Deo ſentias, & aliter ac eſt, animum inducas. Non eſt quòd arbitreris Deum ſuccenſere tibi, & male uelle. Nequaquã ita tibi perſuaderi à diabolo & uitioſa tua carne ſinito: ſed ſcito, atq; adeò certiſsimè ſtatue, Deum tibi in hac afflictione, quam pateris, eſſe amiciſsimum, teq; in dulciſs. eius hærere complexibus. ita .n. is ſolet amicos ſuos tractare & beare: hic perpetuus eius mos eſt. Quare ſi uis amari ab eo, fac patienter feras hanc ærumnam, quã tibi impoſuit: & noli fremere aduerſus illum, qui tibi tam eſt beneuolus: ſed

Accommodatio & propoſitio.

Beneuolentia Dei.

potius

potius gratulare tibi de tali felicitate, quòd contigerit tibi in ulnis Dei & fratris noſtri Ieſu Chriſti requieſcere. Iam uerè puta illud in te perfici, quod toties ait Ieſus Chriſtus: Qui uult meus eſſe diſcipulus, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Ex quo ſanè certiſsimus es, te iam, cum crucem feras, inſiſtere ueſtigijs Chriſti, et comitari illũ tam propè et arctè, ut nihil arctius intercedere poſsit. Quò autem is uadit, & te ducit? non ſanè ad aulam magnificè extructam in hac terra, non ad palatiũ Romanum: ſed ad regnum cœleſte, illuc te trahere cupit. ideo te iam euocauit: & puta te iam pleno gradu iter eſſe ingreſſum cum illo: & quò plures habes afflictiones, eò propius te perueniſſe ad finẽ, quæ eſt ſalus, quies, læticia iuſticia, & uita æterna. Iam uerò, ſi cum Chriſto ambulas ad uitam & læticiã, quid hac tua ærumna poteſt eſſe melius atq; fructuoſius? Quis non ferat hanc qualemcunq; difficultatem, cum iter ſit ad cœlũ expeditiſsimum? Ita enim Chriſtiani ſibi perſuadere debent, ſe tunc, cum duriſsimè exagitantur, habere alterum pedem in cœlo fixum: & mox diruta maceria, pleno gradu lætiſsimè eſſe ingreſſuros. Sed audi quid dicat hac de re ſancta Scriptura? Nónne illa affirmat, præſentem maximè eſſe Deum tunc cum affligimur? Sed obijcias fortè: Deus ipſe ait, ſed derelinquere nos in ſqualore & angore. Sic enim uerba Dei apud Ieſaiam clarè extant: In momento modico dereliqui te, ſed in miſerationibus magnis congregabo te. Item: In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, et in miſericordia ſempi-

Vtilitas crucis.

Præſentia Dei.

Obiectio.

ſempiterna miſertus ſum tui. Hic ſanè fatetur Deus, ſe tunc deſerere nos, & abſcondere à nobis faciem ſuam, cum ſinit nos torquere. Idem aſſeuerat Chriſtus quoq;, cum ait: Modicum & non uidebitis me, &c. Quomodo igitur poſſum credere præſentiam Dei in morbo et calamitatibus cæteris? Heus, multa in Sacris literis dicuntur, non quidẽ iuxta naturam Dei, ſed more & reſpectu noſtri. Accommodat enim Deus miſericors & φιλάνθρωπος ſeſe ad tenuem noſtrum captum, et loquitur noſtro more, ut intelligi rectius & facilius à nobis poßit: ſicut exemplis plurimis oſtendi poſſet. Eodem modo hic quoq; nobis ſeſe omnino inſinuare ſtudens, utitur noſtris etiam uerbis. q. d. Tu opinaris te deſeri à me: eſto ut derelinquaris à me, tua opinione, cũ affligeris: ſed reuera tã propè tibi adſum, ut in momento modico te liberare poßim & uelim. Ac cogitanti mihi accuratius de hoc modo præſentiæ diuinæ in ærumnis, uenit in mentem hybernalis conuerſionis, ſiue ſolſtitij. Vt enim tunc ſol, etiamſi reuera, ſi horizontem ſpectes, nobis proximus ſit, tamen uidetur longißimè omnium diſtare, propter aëris inclementiam: ita profectò Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quem Malachias apertè uocat ſolem iuſticiæ, tunc nobis proximè aſtat, cum longißimè eum abeſſe exiſtimamus. Cæterùm ne fingi hæc à me putes, proponam tibi perſpicua Scripturæ teſtimonia. Quid quæſo optatius et melius de præſentia Dei in afflictionibus et periculis dici poſſet, quàm quod in Pſalmo 91. extat? ubi Deus, ipſa æterna maieſtas, ita Eccleſiam, et

nos

nos omnes qui in ea ſumus & militamus, alloquitur: Quoniã deſiderat me, liberabo cũ: protegam cũ quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: et cum ipſo ſum in tribulatione. Numquid amplius deſideras? nónne hoc ita ad faciendã fidem ſufficit, quòd Deus tibi in tribulatione tua adſit? O beatos nos, qui habemus Deum ſocium ægritudinis noſtræ, corrobarantéq;, & ſuis quaſi brachijs, ſeu (ut Pſal. 23. uocat) ſua uirga & baculo ſubleuantem, & ſuſtentantẽ nos in tribulationibus. Quis non modeſtè ferat morbũ, cum ſciat ſe Deum habere tam præſentẽ & auxiliatorem ſociumq; in tribulatione? Quare cũ aduerſa patimur, ſemper cogitemus: Hem, uis tu indignari propterea, quòd nunc aliquantiſper affligaris? Non pudet Deum tuis ærumnis intereſſe, qui neq; mali quicquam meritus eſt, neq; calamitati ulli obnoxius. Cur igitur non patiaris æquo animo, quod meritò & magnarum utilitatum cauſa pateris? Sed recenſebo tibi etiam alterum diuinum teſtimonium ex Pſal. 145. Sic ibi ſpiritus ait: Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in ueritate, uoluntatem timentium ſe faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et ſaluos faciet eos. Hic quid audis, niſi præſentiam Dei certiſsimam in omnibus tribulationibus, ubi is modò ſeriò inuocatur, & auxilium eius expetitur? Non pudet Deum ſeſe ita nobis inſinuare, & quaſi aggregare, ut uoluntati noſtræ ſuam alliget. Inquit enim apertè ſe facere uoluntatem noſtram: hoc eſt efficere quæcunque modò cupimus & petimus. O ſalutaris copulatio,

& uincu-

Digitized by Google

& uinculum dulciſsimum, colligans uoluntatem ſummi Dei cum uoluntate miſeri hominis. Sed quid longinqua commemoro? uideamus id quod propius eſt. Quid Eſaias cap. 57. ait? quàm ſuaue, quamq; conſolatione plenum eſt quod ait Maieſtas diuina, ſe portare nos in aluo ſua? Quid amplius requiris? num audebis dicere, te à Deo in calamitate deſeri? in aluo Dei geſtaris: quomodo quæſo aut tu propior Deo eſſe poſſes, aut ille tibi uicinior? non cades, non peribis, quod certò tibi perſuadeas uelim, niſi cadente Deo: nihilq; pateris, niſi compatiente eodem. Nam ſi in utero eius contineris, uerè es membrum illius: membrorum autem corporis ea eſt affectio & συμπάθεια, ut nullũ ſeorſim doleat, quin unà doleant uniuerſa. Quare cũ nos cuſtodiamur in aluo Dei, certiſsimum eſt, Deum nobiſcum affici: et quia Deo nihil mali euenire poteſt, impoſsibile eſt nobis quicquam accidere inſalubre. Nõ igitur malè eſſe nobis poteſt, qui in Ieſu Chriſto ſumus. Etiamſi .n. crux Chriſtianorum uideatur dura et acerba: tamen reuera ſalutaris eſt, & maximorum bonorum architectatrix, ſicut confidenter ait Paulus. Et ualde ſuaue eſt Auguſtini dictum: Dominus nihil mali euenire nobis pateretur, niſi aliquid boni ex eo facere poſſet. Cogitemus igitur, id quod res eſt, nullam eſſe crucem aut afflictionem noſtra quidem opinione malam, quin ſeges bonorum inde naſcatur. Atqui tum demum malè haberemus, ſi uacui omnibus ærumnis, uitam ocioſam ageremus. id enim indicium eſſet abalienatæ Dei uoluntatis. Quid enim Apoſtolus ait ad

Alia utilitas crucis, ſiue finis.

Antitheſis.

Heb. 12?

Heb.12? *Audacter ſanè excludit eos è numero filiorum* Dei, *& nominat ſpurios, qui caſtigationis non ſunt participes. &* 2.*ad* Timoth.3.*à* Ieſu *Chriſto alienos eos omnino cenſet, qui perſecutiones non patiantur.* Quid *multa? in* Actis 14 *præciſè ianuam cœli occludit illis, qui tribulationes non experiuntur ſic n. inquit:* Per *multas tribulationes oportet ingredi in regnum* Dei. Hic *profectò audis utrunq;, & quàm neceſſaria afflictio ſit, & quàm utilis patientibus. Si enim uacuitas tribulationum nos à* Deo *ſeparat, & ius filiorum nobis adimit: certè earundem participatio nos filios* Dei *cariſſimos reddit. Si carentia perſecutionum à* Chriſto *nos alienat: certè communio earundem, nos illi conciliauit. Si regnum* Dei *clauſum eſt his qui ærumnarum expertes ſunt: apertum profectò illis eſt, qui ærumnas experiuntur atq; perferunt. Sed iterum dicas:* Ferri *quidem afflictio poſſet, ſi breui deſineret.* Verùm *ubi* Deus *auxilium ſuum & liberationem differt, expectatio moleſtiſſima eſt, & ſæpe etiam animum probè confirmatum emollit atq; frangit.* Durum *eſt, fateor, diu ſperare, & nullum doloris leuamen aut exitum proſpicere ac experiri.* Verùm *quid in hoc genere faciendum ſit, paucis declarabo.* Cum *diutius diuinum auxilium quàm uelles differtur, cogita, tibi quidem uideri utile, ut quàm primùm libereris: ſed* Deo *longè eſſe aliam ſententiam.* Is *cum ſolus ſit ſapientiſſimus, nos uerò ſtultiſſimi: multo melius nouit quàm nos, quando liberatio proſit, quidq; nobis maximè expediat.* Huic *ſapienti*

Obiectio de mora liberationis.

enti conſuli tuam cauſam commenda: & noli dubitare, quin certiſſimè adiuturus ſit tunc, cum maximè eſt opportunum Interim tamen medijs utere, quæ Deus ordinauit, ut dolor mitigetur, & patientia accendatur. Quæ uerò ſunt illa? Primùm precare Deum ſedulò et ardenter, ut ſi diutius ſuum auxilium dilaturus ſit, patientiam tibi concedat. Deinde ora, ut fidem tibi augeat: & interim tamen expectare opem Dei non deſiſtito: et memento dulciß. ſententiarũ, quæ paßim in Pſalmis extant. Non fruſtra toties repetuntur hæc dicta: Expecta Dominum, & uiriliter age, & gaudebit cor tuum Item. Iacta curam tuam in Dominum, et ipſe faciet: In primis aũt propone tibi illud Eſaiæ 30. In ſilentio & ſpe erit fortitudo ueſtra. Vult enim Deus, ut in aduerſis quæ ipſe nobis imponit, ſimus tranquillis animis: & tamen ſpem de auxilio & liberatione nunquam deponamus. Non autem committendum eſt, ut Deo modum uel tempus liberandi ullum præſcripſiſſe uideamur. ipſe enim hoc ſibi ſoli relinqui uult, ut pro ſua bona uoluntate euentum moderetur. ſicut etiam uidemus eum tunc, cum uel minimè nobis poßibile uidetur, maximè iuuare: quemadmodum exempla multa perſpicuè oſtendunt. Et ualde inſigne eſt illud in hiſtoria Eſther, cum Iudæi iam publicè emißis literis ad internecionem deputati eſſent, nec ſpes ulla ſalutis appareret, ſubitò & de improuiſo mutata fortuna ſeruantur, & ſuos hoſtes præclarè uindicant. In ſecundo libro Moyſi, cum populus Iſrael de exitu ex Aegypto audiſſet, magnis inceßit lætitijs, & ſtatim illam libera-

[Margin: Media dolorem ex mora lenientia. — I. — II. — Exempla.]

Digitized by Google

berationem ex ſeruitute Aegyptiaca oſtenſam, ſecuturam eſſe ſperabat. Sed quid fit? Pharao non uult illos dimittere: & obijciuntur impedimenta quamplurima, adeò ut penè deſperandum eſſe de egreſſu uideatur. Et tunc etiam, cum iam egreſſus eſſet populus, & ad mare perueniſſet, inſectante Pharaone, quanto in periculo & angore uerſantur? Vbi præſentem uiris intentabant omnia mortem, ut Virgilij uerſu utar. Deniq; cùm hac quoq; difficultate liberati, ultra mare rubrum progreßi ſunt, quot tunc aduerſitates in deſerto ſeſe offerunt? Sanè multoties cogitarunt actum eſſe de Terræ ſanctæ poſſeßione, cum tanta pericula ſuſtinuiſſent, nec tamen adhuc liberatio oſtenderetur. Vt autem tunc Deus ſuum auxilium, quàmuis diu dilatum, certè tamen tandem præſtitit: ita ne nobis quidem unquam deſperandum eſt de diuina ope, etiamſi mora aliqua longa interijciatur. Quamobrem acquieſcendum eſt in bona & benigna Dei uoluntate: expectandumq;, donec ipſi commodum uideatur, & opportunum, ut nos eripiat. Liberationem autem tandem certißimè ſequi neceſſe eſt. Adeò.n. uerbum Dei liberationem pollicetur, ut de ea nihil quicquam in dubium nobis uenire debeat. Sic enim Scriptura dicit: Omnis qui in te ſperat, non confundetur. Quare, confidamus Deo, & cum Dauide illud ex Pſalmo 46. crebrò in ore & corde habeamus: Deus eſt fiducia & fortitudo noſtra. ita fiet, ut breui luctus & dolor noſter uertatur in optatiß. gaudium. ſicut ait Pſalm. 126. certißimè promittit: Qui ſeminat in lachrymis,

Certitudo liberationis.

Digitized by Google

inquiens, metet in exultatione. Hanc meſſem auidè expectemus: & interim triſtitiam, & quidquid aduerſi acciderit, patienter feramus. ſicut agricolas uidemus præ nimia expectatione meßis, quoſuis duros labores ſuſtinere, nec ullum æſtum aut ſudorem reformidare. Ac etiam ſi cogitatio aliqua diuerſa incidens animum diſtrahere ac perturbare conetur, ut propter moram de liberatione diffidere poſſe uideamur: tamen opponatur mox uerbum Dei, & ſedulò illud reputetur, quòd in hoc uerbum baptizati ſimus, ita ut non liceat nobis unquam latum ab eo digitum diſcedere: multo minus committere, ut de ope diuina deſperare uelle uideamur. Quocirca eijciatur ex animis omnis mollicies, & commendetur tota cauſa Deo, qui dixit: Nolite eſſe ſolliciti. ipſi enim curæ eſt ſalus noſtra: nec poſſumus etiamſi maximè uellemus, noſtra ſollicitudine quicquam opis nobis adferre, aut dolorem minuere.

Ex loci circumſtantia.

Si autem adhuc dolor aut afflictio difficilis uidetur, ſicut etiam reipſa eſt: tunc meminerimus, nos in eo loco eſſe, ubi ærumnæ deeſſe non poſſunt. Eſt enim mundus aula ſeu regnum diaboli: & ut is homicida eſt, & mendax, ita omnes eius ſubditi ſunt latrones, periuri, architecti malorum, faces diſſenſionum, certaminum, bellorum, & omnis ſæuitiæ atq; tyrannidis. In hoc diuerſorio cum adhuc commoremur, fieri non poteſt, quin moleſtias et acerbitates multas ſentiamus atq; experiamur. Nam hoſpes nos acerrimè odit, oderuntq; unà omnes eius miniſtri. Si illi obtemperaremus, nihil omnino iniuriæ nobis ab eo fieret. Verùm cum

Digitized by Google

cum iurati eius hoſtes ſimus, & ſub Chriſti uexillo militemus, rabioſiſſimè in nos ſæuit: ſicut etiam Domino & duci noſtro Chriſto uſuuenit. Sed bono animo ſimus, ſicut is tandem eluctatus eſt, & triumphauit: ita nos quoq; breui ex hoc latronum ſtabulo erepti, unà cum ipſo clariſſimum triumphum agemus, facti uictores diaboli & omnium eius organorum. id quod Paulus tam firmiter aſſeuerat, quaſi iam factum uideret, cum uelut triumphans inquit: ſi cum Chriſto ſimul patimur in mundo, ſimul etiam cum illo regnabimus. Antequam autem regnum noſtrum incipit, manendum eſt in ualle Achor, ſicut Oſeas 2. uocat, hoc eſt, acquieſcere debemus in Eccleſia, quæ quidem fœcunda mater eſt, & fructus gignit ſuauiſſimos, ſed calamitates multas adiunctas habet. Hoc ſi fecerimus, non deerit nobis etiam conſolatio, quaſi quodam rore perſpergens atq; refocillans corda noſtra, æſtuantia & torrefacta anxietate & mœrore. Vt enim aridæ herbæ tempore ſiccitatis rore matutino recreantur, ne æſtu diurno torrefactæ flacceſcant: ita nos quoq; in tribulationibus, quæ ſunt quaſi quidam ignis conſumens carnem & medullam, recreationem accipiamus à Deo, in quo uniuerſæ noſtræ ſalutis ſpem fixam & locatam habemus. Huius conſolationis exemplum memorabile ſuppeditat Pſalm. 42. in quo Propheta non quidem igni, ſed fluctibus impetuoſis & crebris afflictionem comparat. Quàm plenum eſt conſolatione id, quod ibi Dauid quaſi ſubinde renaſcentes ſeu gliſcentes, & uelut ui aſcendentes tentationes ſup-

Digitized by Google

primit, & identidem ſeipſum alloquens inquit: Cur te *tantopere maceras anime mi? an neſcis* Deum *adhuc uiuere, qui tibi auxilium pollicitus eſt?* Ita *nos quoq; ſubinde recurrentem luctum ſupprimamus, et omnem cogitationem ac ſpem ad* Deum *referentes, uos firmiter conſolemur.*

PSALMVS XLII.

Graphicè depingit Pſalmus luctam fidei & ſpei cum tentatione & deſperatione, monſtratq; vices tentationum dolorumq;, qui violenter tanquam fluctus in nos irruunt: & conſolationum, quibus cor æſtuans viciſsim erigitur & ſuſtentatur. Hæc viciſsitudo per totum Pſalmum deſcribitur, ita vt dolori & pauori ſubinde conſolatio ex Dei miſericordia opponatur.

Propoſitio figurata ſimilitudine cerui, qui lõgo curſu fatigatus, auidiſsime aquã expetit.

Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: a ita deſiderat anima mea ad te Deus.

b Sitiuit anima mea ad Deum, Deum *uiuum: quando ueniam, & uidebo faciem* Dei?

c Fuerunt *mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie:* Vbi *eſt* Deus *tuus?*

d Hæc *cum recordor, effundo in me animam meam: e quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſq; ad domum* Dei, *in uoce exultationis & confeßionis cum multitudine ſacrificante.*

a Accommodatio: Sic ego in meis grauiſsimis angoribus miſericordiam tuã & opem deſidero.

b Expolitio dilucidius explicans ingẽs cordis anxii deſiderium, et expectationẽ auxilii Dei.

c Cauſa προκαταρκτικὴ, ſeu querela exponens luctũ & ſqualorem ortũ ex virulentiſsimis hoſtiũ ſarcaſmis de abiectione.

d Emphaſis ardentis precationis & querelæ, qua omnes affectus cordis æſtuantis mirifice exprimuntur.

e Cauſa finalis petitionis, ſcilicet reditus ad templum & cultum Dei.

f Quare

f *Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?*

Spera in Deo: *quoniam adhuc confitebor illi: quia ſalus in uultu eius.*

Deus meus, in me anima mea conturbata eſt: g *propterea memor ero tui de terra* Iordanis *&* Hermonim *à monte modico.*

h *Abyſſus ad abyſſum ſonat in uoce cataractarum tuarum: omnes colliſiones & fluctus tui ſuper me tranſierunt.*

i *In die promiſit* DOMINVS *miſericordiam ſuam: & nocte canto illi: apud me oratio* Deo *uitæ meæ.*

Dixi *ad* Deum: Petra *mea, quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus?* Repetitio querelæ de obliuione & deſertione Dei.

k *Sicut latrocinium eſt in oſsibus meis, cum exprobrant mihi qui tribulant me inimici mei, dicentes mihi per ſingulos dies: Vbi eſt* Deus *tuus?*

l *Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in* Deo: *quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare uultus mei &* Deus *meus.*

f Conſolatio ex ſpe ſalutis in Deo.

g Cauſa mœroris, nempe memoria & deſiderium redeundi ad Eccleſiam, quam vocat montem modicum.

h Fluctus atq; concurſus pauorum varie occurſantiũ animo.

i Conſolatio ex miſericordia Dei promiſſa, & precationis ſuæ præſidio.

k Comparatio a laniena ſeu carnificina in oſsibus ſæuiente ad æſtum tentationum, quo medulla ipſa exugitur & conſumitur.

l Repetitio conſolationis ex ſpe ſalutis in Deo, qua velut ex pauorũ fluctibus emergens deſperationẽ omnem excutit & fugat.

Digitized by Google

GENVS DEMONſtratiuum.

PRimò: Vocatur hoc genus τῶν ὑποθέσεων cauſarum, ἐπιδεικτικὸν, id eſt, demonſtratiuum: item ἐγκωμιαστικὸν, id eſt, laudatiuum, quod ueris laudibus ornet probos: καὶ ψεκτικὸν, quòd uituperet improbos. Sunt enim formæ eius ἐγκώμιον ſiue ἔπαινος laus, καὶ ψόγος, id eſt, uituperatio.

II. Porrò laudantur ea ſolum quæ bona ſunt, honeſta & utilia, hoc eſt, quæ ſapienti Dei conſilio ordinata ſunt, naturæq; conueniunt. Ideoq; finis laudationis eſt τὸ καλὸν, honeſtas. Vituperantur uerò mala & turpia, utpote quæ neq; à Deo ordinata ſunt, neq; ſocietati humanæ proſunt, ſed horribiliter eam deformant, diſsipant & deſtruunt. Eſtq; uituperationis finis τὸ αἰσχρὸν, id eſt, turpitudo.

III. Bonorum genera ſiue gradus tres numerantur.

Primus & ſummus gradus complectitur animi bona, ceu ſunt habitus mentis & uoluntatis: ut ſcientia, uirtus, &c.

Secundus continet corporis bona: cuiuſmodi ſunt, ſanitas, forma, robur.

Tertius fortunæ bona comprehendit, quæ etiam externa uocantur: ut ſunt nobilitas generis, amicitia, opulentia, felicitas liberorum, felix ſenectus, gloria, honor.

Ex his quæ primo loco recitantur, precioſiſsima maximeq; laudanda ſunt, cæteriſq; propter dignitatem

tem & durabilitatem longè anteponenda. Etenim *fortunæ bona, non noſtra ſunt, ſed in fortunæ arbitrio ſita, periculis expoſita, & improbis cum probis communia.* Idcirco *neq; laudari, neq; expeti magnopere debent.*

IIII. *Magna eſt laudationis & uituperationis in uita humana utilitas.* Primùm *enim, laus eſt uirtutis merces propria.* Niſi *enim honeſtè facta laus comitetur, neminem facilè reperias, qui aliquid magni aggrediendum eſſe cenſeat.* Quemamodum *copioſè docet* Cicero *cùm alibi, tum uel præcipuè in oratione pro* Archia, *ubi inter cætera ſic inquit:* Nulla *uirtus aliam mercedem laborum periculorumq; deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta, quid eſt quod in hoc tam exiguo uitæ curriculo, & tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus?* Ac *uerißimum eſt, quod etiam de ſe confitetur* Cicero, *omnes bonos trahi ſtudio laudis, optareq́; à cunctis ſpectari & celebrari ſua dicta & facta.* Non *ineptè igitur huc fortaſſe accommodauerimus uerſum* Euripidis, οὐκοῦν πονεῖν μὲ χρὴ, πονοῦντα δὲ ἄξιον μίσθον φέρεσθαι: Q*uin laborare me oportet, laborantem uerò dignum precium ferre.*

Secundò: Laudatio *non mediocre incitamentum eſt ad amorem & ſtudium uirtutis.* Fit *enim naturali, credo, inſtinctu: ut cum aliquid laudari audimus, neſcio quomodo accendamur, & ad imitationem extimulemur: ſicut exempla multa & illuſtria in hiſtorijs teſtantur.* Et *id docere etiam uoluerunt ueteres,*

cum ſtatuas eorum qui inſigni uirtute præditi eſſent, præclaroq; aliquo facinore patriam ornaſſent, in frequentiſsimis urbium locis collocarunt, ut prætereuntes ad imitationem eorum inuitarentur. Pindarus oda 11. Olymp. *Fœdus eſt uirtutibus cum laudatione.*

Tertiò. *Laudatio eſt fidelis cuſtos uirtutis, & rerum bene geſtarum, ad omnem perpetuitatem, nullum enim eſt tam præclarum facinus, nulla tam eximia uirtus, quæ laudatione ſua deſtituta, non penitùs ex memoria hominum effluat & obliteretur: ſicut* Alexander *dixit de* Achille, *niſi* Homerum *præconem ſuarum laudum inueniſſet, futurum fuiſſe ut idem tumulus qui corpus eius contexerat, etiam nomen obruiſſet:*

Quartò: *Commendatio uel laudatio rei cuiuslibet, eſt genuina eius deſcriptio ſeu definitio.* Et *quo quid magis laudatur, eo nobis fit charius.* Quare *amandæ ſunt laudationes, cùm quòd res inſigniter illuſtrent & repræſentent, tùm etiam quòd ad earum amorem animos mirificè excitent.*

Quintò: *Eſt mirifica laudationis ſuauitas. nihil enim delectabilius eſt, quodq; tanta ſuauitate bonas mentes afficiat, quàm laudum uel propriarum, uel etiam alienarum commemoratio.* Ideo *etiam ueteres frequenter ſibi decantari poëmata de laude magnorum uirorum curarunt.* Et *uirtus ipſa apud* Xenophontem *ait:* πάντων ἥδιστον ἄκουσμα, ἔπαινον ἑαυτοῦ ἀκούειν. Vt *autem laudari honeſta neceſſarium eſt: ita econtrà uituperari uitia et malefacta oportet.* Inde

enim

enim quid uitioſum ſit, quidq; uitare quemq; deceat, maximè conſpicitur.

¶ Sunt autem in hoc genere præcepta quædam tenenda, quorum primum eſt: In laudando & uituperando uidendum eſt, ut oratio cum re congruat, néue plus minusúe dicatur quàm par eſt, & ueritati conſonum. Etſi autem laudes perſonæ nonnunquàm ideò inſtituantur, ut qualis illa eſſe debeat potius admoneant, quàm quòd talis ſit demonſtrent: tamen quia inflat plerunq; animos laudatio, cauendum eſt, ne quid alteri tribuamus, quod reuera non ineſt. Nam oratio ſine re ut per ſe uana eſt, ita etiam uanos eſſe arguit eos, de quibus & à quibus habetur. Secundum, ut perſona laudans ac uituperans ſit aliena ab affectu uel amoris, uel inuidiæ. Vt enim iudicium ſententiæ liberæ, ſic quoq; orationes laudationis & uituperij omnes apertæ ac candidæ eſſe debent, nihil cuiquam aſſentando tribuentes, uel calumniando detrahentes. Tertiò uidendum, ut perſona quoq;, quæ uel commendat uel uituperat alium, ſit probatæ fidei. multum enim refert qualis ſit is, à quo laudaris uel uituperaris. Hector Næuianus non tantùm laudari ſe lætatur: ſed etiam addit, à laudato uiro. Sic qui reprehẽdit uel uituperat alium, & ipſe eſt reprehenſione dignus, fidem non meretur. Quartò, Faciendus etiam eſt laudandi modus. Vt enim aliarum rerum omnium, teſte Homero, ita etiam laudationis eſt ſatietas. Quare danda eſt opera, ne immodicæ laudes congerantur:

[margin: I. Præceptũ. — II. — III. — IIII.]

ſicut

Digitized by Google

ſicut nec conuicia nimis multa ſunt coaceruanda. Huius *præcepti exempla ſunt in* Homero : *& uenuſtum eſt illud in decimo libro* Iliados, *ubi* Vlyſſes *non uult ſe nimium laudari, neq; uituperari. &* Euripides *ait,* ἐπαίνεσθαι λίαν φάρος ἐστὶ : *id eſt, laudari nimium onus eſt.*

¶ *Claſſes materiarum generi* Demonſtratiuo *ſubiectarum ſunt tres.* Quicquid *enim laudatur uel uituperatur, eſt*

aut { Perſona, Res, Factum. }

DE PRIMA CLASSE, QVÆ CONTINET LAUDATIONES & VITUPERATIONES PERSONARUM.

Loci *ex quibus argumenta laudandi aut uituperandi perſonam ducuntur, decem præcipuè numerantur.* 1, Patria. 2, Sexus. 3, Parentes. 4, Educatio. 5, Mores. 6, Vitæ genus. 7, Res geſtæ. 8, Euentus. 9, Aetas. 10, Mors.

Primus, de patria.

Patria *bona ualde commendat hominem, ſicut mala dedecorat. Hinc igitur argumenta laudandi & uituperandi ſumuntur. Commendaturus ciuem* Athenienſem, *argumenta illuſtria ex hoc loco ducere poteſt.* Primùm : Athenæ *nomine pietatis & humanitatis inſigniter antecelluerunt : quare ciues eius quoque pios & humanos eſſe conſentaneum eſt.* Secundum

Digitized by Google

dum: Athenæ fuerunt domicilium doctrinæ & artium optimarum, ideo Thucidides eas uocat παιδεύσιν ἑλλάδος: *idcirco ciues optimis artibus eruditos profert. Tertium: Quo quis propius ab origine abeſt, eo ſapientior & fide dignior putatur. Athenæ autem ea ſunt uetuſtate, ut ipſæ ex ſeſe ſuos ciues genuiſſe dicantur: & eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur, ut ait Cicero. Quare ciues eius quoque ſapientes & ſpectatæ fidei eſſe, credi debet. Quartum: Autoritate etiam, & fortitudine ſemper excelluit hæc urbs: ideo graues etiam & magnanimos uiros progenerat. Deniq; tanta eſt huius urbis dignitas, ut totius Græciæ nomen, eius unius laude nitatur. Commendaturus Spartanum, ſimiliter ex hoc loco argumenta ducet. Eſt enim huius ciuitatis inſigniter nobilitata uirtus, partim natura, partim etiam diſciplina corroborata, adeò ut bene audiat apud omnes. Quare Spartanos ciues tanquam grauitatis & diſciplinæ obſeruantiſſimos uiros prædicari oportet. Quocirca multum refert, qua patria quis natus ſit. Athenienſes & Spartanos cum quibuſdam alijs Græcis laudat Cicero: cæteros uituperat, fidemq; in teſtimonij dictione habendam illis eſſe negat, uocans eos leues Græcos. Phryges quoq; uilipendit, quòd malè audiant propter patriam. Cares ſimiliter, item Myſos & Lydos. Nihil fuit glorioſius olim ſtantibus Athenis, quàm eſſe ciuem Atticum: item florente Græcia, uocari Græcum, non exigua laus fuit: ſicut probro datum eſt, nominari barbarum. Tanta deniq;*

uis

Digitized by Google

uis eſt loci, ut etiamſi quis in eo non ſit natus, ſi tamen ibi diu uerſatus eſt, ex eo aliquo modo iudicetur. Sic Murenæ apud Ciceronem obijcitur, quòd in Aſia luxui dedita militauerit: quaſi ibi aliquid uitij ex incolarum conuerſatione contraxerit. Vltimò, ſicut patria laudabilis ſæpe animos extollit: ita econtrà ignobilis ſæpe animos deijcit. Nulla uerò maior eſt gloria, quàm eſſe συμπολίτην τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖον τοῦ θεοῦ, id eſt, ciuem Eccleſiæ, quæ eſt ciuitas Dei, cœlitúmq; Reſpub. quod profectò nihil aliud eſt, quàm filium Dei eſſe, fratrem Chriſti, domicilium Spiritus ſancti, & hæredem uitæ æternæ. Ad hanc igitur totis animis nos paremus, & de ea unicè gloriemur.

II. Sexus.

In laudatione aliæ uirtutes ſunt attribuendæ uiris, aliæ feminis. uiris duæ præcipuè aſſignantur, λόγος, καὶ πόλεμος: id eſt, oratio bona ab optimarum artium ſtudijs & diſciplina profecta, & fortitudo in rebus agendis. De hoc officio uirorum extat uerſus Hom Odyſſ. α. ubi Telemachus matrem à concione his uerbis arcet: Tu quæ in domo agantur cura, oratio uerò uiris curæ erit.

Feminarum uerò uirtutes præcipuæ ſunt, modeſtia & continentia. Turpe ueteres putarunt eſſe, uirginem ante nuptias in foribus & plateis conſpici: Euripide, Heſiodo & Phocylide teſtibus. Si igitur à ſexu uir aut mulier commendanda eſt, hinc argumenta ducantur.

III. Pa-

Digitized by Google

III. Parentes, Natales.

Semina uirtutum & uitiorum, plerunq; à parentibus in natos propagari creduntur. Et probat etiam *experientia, ſæpenumero conformitatem quandam ingenij eſſe parentum & liberorum, & reſpondere etiam lineamenta corporis.* Quare de liberis plerunque *iudicari ſolet ex ingenio moribusq; parentum : qui ſi boni ſunt, boni etiam eſſe putantur nati : ſin minus, peius exiſtimari ſolet de iiſdem.* Sophocles in Electra, *bene ſperare de eo iubet, qui bonus prognatus eſt, ſic inquiens,* θάρσει, πέφυκεν ἐσθλὸς, ὥς' ἄρκεῖν φίλοις: Bono *animo eſto, natus eſt ex bonis, ideo amicos non deſeret.* Non *autem regulare hoc eſt, ut ex bonis boni naſcantur : ſed ſæpe optimi parentes peßimos gignunt filios, ut teſtantur uerſiculi in* Homero *lib.* Odyſſ. 2. Et *qui ex obſcuris ignobilibusq; parentibus ſunt orti, ſua propria uirtute emergunt, & laudem merentur.* Videmus *enim ſæpe ex humili genere natos, & quidem illegitimè, generoſitate, ſapientia & induſtria excellere.* Ideo *bonum & laude dignum etiam hunc eſſe exiſtimabimus, qui non parentum, ſed ſua uirtute inclareſcit.* Et *ſanè maiorem laudem eſſe dicere auſim, ſi quis per ſeſe celebritatis nomen adipiſcatur, q̃ ſi à parentib. illud acceptum habeat.* Quo *enim quidq; maioribus paratur laboribus, & quidem proprijs, eo ſolet eſſe non ſolùm carius, ſed etiam laudabilius : teſte* Xenophonte *in* 7. παιδείας κύρου. Huc *congruunt lepidißimi uerſus* Iuuenalis *Sat.* 8.

Sit

Digitized by Google

Sit tibi malo pater Therſites, dummodò tu ſis
Aeacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas:
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

Quare non tantùm laudandi ſunt filij Heroum, *& alij præclaro genere nati: ſed laus* quoq; *tribuatur nouis hominibus, quos uocant, omnibusq́; honeſtis uiris, mulieribus & iuuenibus, qui aut ingenio felici, aut eloquendi facultate, aut prudentia politica à* Deo *ornati ſunt.* Quos *enim* Deus *ornat, iſti nobis quoq; omnino ſunt ornandi.*

IIII. Educatio.

Vt quiſq; educatus eſt, ita etiam laudari aut uituperari meretur. Non *mediocrem laudem adfert homini bona educatio. eſt enim magna ad uirtutem præparatio, rectè à teneris aſſueſieri. ſicut* Poëta *dixit:*

—Vſqueadeò à teneris aſſueſcere multum eſt.

Magnum igitur argumentum ſuppeditat hic locus ad laudandum, ſicut exempla apud Plutarchum *oſtendunt.* Pindarus Oda 4. Pythiorum *laudaturus* Iaſonem, *ita eum facit loquentem:* Aio *me afferre doctrinam* Chironis: *redeo enim ex antro à* Charicle *&* Philyra, *ubi me caſtæ* Cantauri *filiæ educarunt: fuiq; ibi annos* 20, *nec factum ibi nec dictum turpe locutus ſum.* Et Euripides *commendaturus* Hyppolitum, *uocat eum caſti* Pitthei *diſcipulum, in* Hippolyto. Ariſtoteles 3. Rhetoricorum *ad* Theodectē, *ideo affirmat nobilitatem & educationem ad faciendam fidem adhibendam eſſe, quòd uериſimile ſit, probum ex pro-*

bis

bis & bonis educatum in bonum uirum euaſiſſe. Comprehenditur ſub hoc loco etiam indoles: quare laudes cuiuſq; indolis hic attexantur.

V. Mores.

Etſi omnium locorum argumenta aliquid ponderis in commendando habeant: tamen haud ſcio unde maior laus tribui homini poßit, quàm à moribus. In ijs enim, quicquid boni homini ineſt, maximè cernitur et eluceſcit. Vt igitur quis moratus eſt, & uirtute præditus: ita laudem quoq; meretur. Etſi autem nulla uirtus ſola eſſe putetur: tamen ſingulis ſuæ uirtutes quaſi propriæ in laudando ſunt attribuendæ. Imperatori aßignat Cicero has uirtutes: Scientiam rei militaris, uirtutem ſeu fortitudinem, autoritatem & felicitatem. Magiſtratus ſeu regis uirtutes complexus eſt Homerus hoc uerſu: ἀμφότερον βασιλεὺς ἀγαθὸς, κρατερός τ᾽ αἰχμητής. Sic commendaturus principem Chriſtianum, ducat argumenta à propenſa eius & benigna uoluntate erga religionis & honeſtatis ſtudia, ab amore legum & diſciplinæ, à ſtudio defendendi & ſeruandi ſubditos. Aliæ porrò ſunt uirtutes iudicis, aliæ ſubditorum, aliæ præceptorum, aliæ diſcipulorũ: quæ omnia obſeruare neceſſe eſt in commendatione, ne inconuenientia alicubi tribuiſſe uideamur.

VI. Genus vitæ.

Sextò, laudatur perſona à uitæ genere, quod tractat: & quo illud eſt dignius & utilius, eo maiorem parit laudem. Sunt autem præcipua uitæ genera: Ec-

cleſiaſticum, Scholaſticum, Politicum, & Oeconomicum. Inde argumenta pro dignitate cuiuſq; ſumantur. Qui Eccleſiæ miniſtrum laudaturus eſt, tribuat illi uerum & ardens ſtudium pietatis & inuocationis, auiditatem diſcendi, dexteritatem & fidelitatem in docendo, amorem ueritatis, zelum propugnandi uera dogmata & refutandi hæreticos, conſtantiam in confeſſione doctrinæ, &c.

VII. Res geſtæ.

Huc pertinet commemoratio omnium conſiliorum & actorum, quæ certæ fidei ſunt, & imitatione digna. Hic enim uirtutes omnes quaſi in aciem deducendæ ſunt, ut earum uis atq; effectus conſpiciatur. In hoc loco ſunt copioſi ſcriptores: ſunt enim hic congerenda omnia facta, quorum ſæpe ingens eſt multitudo: ſicut apparet in uitis Themiſtoclis, Alexandri, Iulij Cæſaris, & aliorum apud Plutarchum.

VIII. Euentus.

In factis non ſolùm ſpectatur induſtria, & exequendi ſtudium: ſed de euentu etiam quæri ſolet. Nam agere quidem laudabile eſt: ſed multo eſt laudabilius, proſperum & felicem habere rerum gerendarum ſucceſſum. Equidem agere quaſi in noſtra manu eſt: ſed euentus à ſolo Deo gubernatur atq; dependet. Idcirco quo quis maiores habet ſucceſſus, & proſperiores, eò maior atq; laudabilior & ipſe cenſendus eſt. Cum enim ſucceſſus à Deo ſint, diuinum eum quoq; faciunt cui contingunt. Quamobrem nõ leue argumentum laudis hinc ſumi poteſt. Quem enim δραστήριος

πειθώ

Digitized by Google

πειθὼ καὶ τύχη πρακτήριος, *id eſt, obedientia acris & ſucceſſus efficax in rebus gerendis ſequitur, hunc ego non ſolùm magnis uiris comparandum, ſed etiam* Deo *proximum eſſe iudico.* Fit *autem plerunq;,ut eodem modo quo quidq; incipitur,etiam finiatur.* Vnde *hoc uulgò iactari ſolitum eſt:* κακῶς ἀπ' ἀρχῆς γίνεται καὶ τέλος κακόν. *Quare felicitas in rebus gerendis non ſolùm animi magni ſummiq; conſilij ſignum eſt: ſed ſingularem etiam clementiam* Dei *erga hominem, qui ſucceſſu utitur, declarat.* Cum *autem euentus & felicitas non in noſtra poteſtate ſita ſint, non omnino laus detrahenda eſt illis, qui cum optimè agunt, peßimum tamen exitum ſortiuntur.* Fit *enim ſæpe, ut ſapienter cogitata & inſtituta admodum infeliciter cadant.* Et *certum eſt,non ex euentu ſemper, ſed ex cauſa, uel animo uoluntateq; cuiuſq;, facta eſſe ponderanda.*

I X. Aetas.

Non *minima etiam laudandi argumenta ex ætate ducuntur.* Conciliat *enim cuiq; ætas ſua honeſtè acta, conuenientem laudem.* Videndum *autem eſt diligenter, ut aptè laudes cuiq; ætati aßignentur.* Iuuenibus *ubiq; tribuitur inconſulta temeritas: ſenibus uerò prudentia,grauitas & rectitudo conſilij.* Vnde *uerſus eſt natus:*

ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων:

Labores iuuenum, conſilia uirorum, preces ſenum. Sic *commendat ſuum* Neſtorem Homerus *Iliad.* δ,

ita eum loquentem introducens: ἀλλ᾽ οὔπω ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισιν, εἰ τότε κοῦρος ἔα. id eſt: Sed non dederunt dij omnia hominibus: tunc iuuenis fui, nunc uerò ſenectus obrepit. Veruntamen nihilominus equitibus intercro, ac mandata dabo conſilio & ſermone. Hic enim honor eſt ſenum: haſtas uerò iaculentur iuniores, qui me promptiores ſunt, & obtemperare debent. Et extant uerſus Tyrtæi in oratione Lycurgi contra Leocratem, in ſententiam eandem. Quo autem quæq; ætas melior eſt, ita maiorem laudem meretur. Iulum laudat Virgilius Aeneid. 9. quòd in corpore iuuenili geſſerit animum uirilem. ſic enim inquit:

—Et pulcer Iulus
Ante annos animumq́ue gerens, curamq́ue virilem.

Fit enim interdum, quamuis raro, ut iuuenes quoque melius aliquanto, quàm eorum fert ætas, ſapiant. Quare in quo talis indoles exiſtit, pro dignitate laudandus eſt. Nec ſemper deſpiciendum eſt iudicium iuuenum, quemadmodum exemplum Agamemnon apud Homerum oſtendit. is enim à ſuo conſilio iuuenes non excludit: ſed optat, ut quamprimùm exiſtat ὅς τῆς δ᾽ ἀμείνονα μῆτιν ἐνίσποι, ἢ νέος, ἠὲ παλαιός, ἐμοὶ δέ κεν ἀσμένῳ εἴη: Quicunq; dicat melius conſilium hoc, ſiue iuuenis ſit, ſiue ſenex, mihi ſanè gratum fuerit. Ignoſcendùm etiam ætatis erroribus eſſe, hæc Euripidea monet ſententia in Hyppolito: Si quis propter adoleſcentiam, habens uehementiorem animum, ſtulta loquitur, diſſimula te eum audire.

X. Mors.

X. Mors.

Alia mors, alia honeſtior eſt: omnium tamen laudabiliſsima eſt, quæ pro patria ſuſcipitur. Quare ſi contigit, ut cum laude ex hac uita diſceſſerit, magnis encomijs euehendus eſt. Deinde ex morte ſeu exitu uitæ plerunque de toto uitæ genere, uel actibus iudicari ſolet. Placidi enim plerunque placidè moriuntur, tyranni tragicè pereunt. Quare magnum argumentum laudis ſuppeditat mors placida & honeſta.

Cæterùm obſeruent ſtudioſi, interdum omitti aliquos locos, & principales tantùm recitari: ſicut in locis ſuperiorũ claſsium etiam uſuuenit. Ac quamuis leuia eſſe uidentur argumenta quæ ex loco uel patriæ, uel ſexus, uel alio quopiam huius generis ducuntur: tamen connexio ſiue coniuncta illa multum ualent. Eſt enim hic uerſus uulgò iactatus, cùm in alijs, tùm uel maximè in hoc genere uerus:

Et quæ non proſunt ſingula, multa iuuant.

EXEMPLA LAVDATIO-
nis perſonarum.

Primum ex Scriptura ſancta.

¶ *Quatuor Euangeliſtarum ſcripta, ſunt luculenta hiſtoria Chriſti. Primùm enim eius perſonam deſcribunt: deinde res geſtas fideliter exponunt: & tandem exitum ſeu mortem, & conciones & reſurrectionem commemorant. Ac Matthæus quidem, & Lucas naturam Chriſti humanam, Ioannes uerò diuinam*

Digitized by Google

in principio, deſcribunt. Sed omiſsis cæteris, Euange*lium* Lucæ *ad locos enumeratos referemus. Sunt in* Luca *pleriq; loci huius generis, licet non admodum ſtrictè ubiq; ordo ſeruetur.* Parentes Chriſti, *patria, natiuitas & educatio, in prioribus duobus capitibus clarè exponuntur.* Et *quia* Ioannes *præcurſor* Chriſti *iuxta prophetias erat, inſerta eſt illius quoq; breuis deſcriptio, præſertim in initio primi capitis.* In *capite 3. genus uitæ recenſetur.* Nam *cum annorum eſſet triginta, baptiſatus à* Ioanne, *ordinatur ab æterno* Patre *ad prædicandum* Euangelium, *in quo patefit uoluntas* Dei *benigna erga miſeros peccatores.* Fuit *igitur genus uitæ* Chriſti, Eccleſiaſticum, *ſeu ſacrum, ſummum & ampliſsimum.* Et *hic iterum inſeritur aliquid de officio & concionibus* Ioannis *præcurſoris* Chriſti. Et *in fine capitis additur genealogia* Chriſti, *quæ ad primum locum de parentibus uerius ſpectat.* In *capite quarto incipit commemoratio rerum geſtarum, concionum, miraculorum & uirtutum uſq; ad* Caput *22.* Sunt *enim res geſtæ* Chriſti *non expugnationes urbium, ſicut* Alexandri Magni: *non adminiſtratio imperiorum: ſed partim doctrina, partim miracula.* Mors *copioſè deſcribitur in cap. 22. & 23.* In *poſtremo recenſentur res duæ omnium maximæ & admirabiliſsimæ, quæ poſt mortem euenerunt: nempe reſurrectio ex mortuis glorioſiſsima, & aſcenſio uiſibilis ad cœlum, facta 40 poſt reſurrectionem die.*

Secundum de Iacob, ex 1. lib. Moyſi.

Patria:

Patria: *Natus eſt* Iacob *in terra Chanaan pro- I.*
miſſa patribus, non ut firma & perpetua ſedes, ſed ut
Meßiæ naſcituri hoſpitium. Parentes: *Fuit filius* Iſa- II.
ac & Rebeccæ,*qui in timore* Domini *& uera ſancti-*
tate ambo uixerunt. Auum habuit, ſanctißimum pa-
triarcham Abrahamum. *Ex his parentibus tam pijs et*
acceptis Deo, *prognatus eſt, non ſine magno miracu-*
*lo.*Mater.*n.* Rebecca *ſterilis erat 20 annis poſt initum*
coniugium: & deprecante Iſaac Dominum, *fit præ-*
gnans. Cum autem geminos concepiſſet, factum eſt ut
infantes in utero colliderentur. Quare gemebunda
*ipſa,*Dominum *conſulit, ac rogat cur hoc ſibi contin-*
gat? Sed reſpondit Dominus,*& miraculum interpre-*
tatus eſt. Eſt igitur natiuitas Iacob *planè miraculoſa.*
Nam in partu prius edito Eſau, *mox prodijt* Iacob, *te-*
nens manu fratris plantam: unde etiam Iacob *eſt no-*
minatus,quod eſt plantator. Natus *eſt aũt anno mun-*
di 2108,cum Iſaac *pater annũ attigiſſet 60.mater cir-*
*citer quinquageſimum.*Educatio:*Certum eſt,*Iacobum III.
rectis ſtudijs ad pietatem et uirtutes cæteras legi Dei
congruentes,exercitatum & eruditum eſſe. Propa-
garunt.n. parentes doctrinam cùm de Deo,*tum de a-*
lijs reb.bonis, in poſteros: ne noticia earum extingue-
retur. Quare dubiũ non eſt,quin fideliter & accuratè
ſit inſtitutus, primũ in uerbo diuinitùs tradito,de uo-
luntate Dei *placata per filium promiſſum,ut fieret ui-*
ctima pro peccatis generis humani. Secundò, in arti-
bus bonis, in Phyſica, *Aſtronomia, & alijs. Tertiò,*
in moderatione affectuum ad normam à Deo *præſcri-*

 ptam,

Digitized by Google

ptam, & rectæ rationi quàm maximè congruam. Vixit etiam cum ſuo auo Abraham ad annos 15, à quo haud dubiè liberaliter edoctus fuit. Tribuit enim ſcriptura hanc laudem Abrahamo, quòd propenſus fuerit ad docendum nomen Domini. Vixit etiam cum Sem filio Noe, & ſacerdote Dei altiſsimi fermè annos 50. & multa præclara ab eo audiuit & didicit. Mores
IIII. eius lenes & placidos fuiſſe, oſtendit pietas & obedientia erga parentes & fratrem. Cùm enim admoneretur à parentibus, ut irato & inhumano fratri cederet, reuerenter obtemperat, & fratrem ſua lenitate & facilitate uincit & placat. Scriptura tribuit illi laudem integritatis, quæ multa complectitur. Genus
V. uitæ. Eſau, ait textus, fuiſſe agricolam & uenatorem, Iacobum uerò manſiſſe in tabernaculo. Fuit igitur genus uitæ eius Eccleſiaſticum & Politicum. Id enim primogenitura, quam aſtu matris adeptus eſt, demonſtrat. Habuerunt enim primogeniti ius ſacerdotij pariter & regni in familia paterna, unà cum prærogatiua in diuiſione hæreditatis. Ad hoc genus uitæ peculiariter etiam à Deo uocatur. Cum enim dormiens accepiſſet promiſsionem de uenturo Meſsia, ſacerdos à Deo electus eſt, & dominus terræ Canaan conſtitu-
VI. tus. Res geſtæ. Mortuis iam omnibus patribus, quibus cuſtodia explicandæ & propagandæ ueræ de Deo doctrinæ commiſſa erat, relinquitur ſolus Iacob cum patre Iſaac, patriarcha Eccleſiæ. Hic igitur incipiunt eius acta, quæ primùm non admodum magna fuerunt. Impeditus eſt enim curſus rerum gerendarum & honoris,

noris, maximis incommodis. Primò *premitur immani odio à fratre* Eſau : *ideo, ne occidatur ab illo, ablegatur à parentibus in* Haran. *ubi ſeruit ſub auaro & iniuſto auunculo* Laban *7. annos, pro filia* Rachel, *deſponſa ſibi in uxorem : uerùm hoc ſeptennio expleto, cogitur alios 7. annos eandem ſeruire ſeruitutem, cum fraudulenter ipſi pro* Rachel *ſoror eius* Lea *connubio eſſet iuncta.* Interim *tamen largißima* Dei *benedictione augetur, & ſobole copioſa, & pecudibus non paucis.* Cum *autem iam 20. annos ſeruiſſet, & iniuria intolerabili à ſuo ſocero afficeretur, aſſumtis uxoribus & omnibus bonis, reuertitur in* Canaan, *& prope* Sichem *ſedem figit.* Dum *autem in itinere eſt, hoſtili animo perſequitur eum* Laban : *ſed tamen admonitus à* Deo, *placatur.*

Præcipuum autem et maximè memorabile factum Iacob *eſt, quòd cum in cauſa fratris uehementißimè oraſſet, cum* Deo *luctatus ſit, cumq; à facie ad faciem uiderit.* Fuit *autem hoc totum uitæ eius curriculum plenum plurimis & illuſtribus factis & miraculis, quæ omnia perſcripta non ſunt.* In *primis tamen conſideranda eſt illius miſeranda fortuna, qua* Deus *plerunq; ſuos exercere ſolet.* Non *certè exiguæ aduerſitates ſunt, quas expertus eſt.: quibus acceßit etiam ſtuprum* Dinæ. Tandem *admonitus à* Deo, *migrat in* Bethel, *& extruit ibi aram* Domino *profligatis idolis, anno ætatis ſuæ 103 quo tempore uxorem ſuam* Rachel *in partu extinctam amittit : & accedunt aliæ multæ infelicitates à liberis.* Ruben *polluit ſe inceſto*

Digitized by Google

concubitu cum nouerca. Occiduntur Er & Onar. Iudas inceſtam habet conſuetudinem cum Thamar, uenditur Ioſeph à fratribus, cum eſſet ſeptendecim annorum. moritur etiam Iſaac Pater. Aliquanto pòſt oritur fames ingens 7. annorum, ac cogitur miſerrimus pater ſuos filios mittere in terram peregrinam, ad ferendum commeatum: donec etiam ipſe cum ſua tota familia, relicta ſua ſede, in Aegyptum proficiſcatur, & quidem in ſenectute, cum eſſet annorum 130. Eò uerò cum ueniſſet, fit ſupplex regi, & in gente peregrina habitat: in qua etiam mortuus eſt exul, cum annum iam 147. ageret. Cum enim benedixiſſet liberis, & egregio uaticinio Meßiæ aduentum quaſi digito monſtraſſet, placidè expirauit, & honorificè à ſuis in terram Canaan deportatus, ſepultus eſt.

VII. Aetas, Mors.

Hæc eſt hiſtoria ſanctißimi Patriarchæ, quæ multas illuſtres doctrinas ſuppeditat, quaſq; omnes pro ſuo quiſq; modo & uocatione imitari debet. Sunt enim in hiſtorijs ſanctorum præcipuè ſpectanda exempla uirtutum, quibus nos erudire atq; conſolari poſſumus. In primis uerò admonet nos hæc hiſtoria Iacobi, de miranda conſeruatione Eccleſiæ, quæ fit diuinitùs per continuam doctorum piorum & fidelium ſucceßionem. Ac ſi quid aliud eſt quod mirum uideri poßit, certè propagatio doctrinæ cœleſtis per continuam ſeriem doctorum tot annis ab initio mundi ſeruatam, maximè admirabilis habetur. Nec altè hæc repeto. Videamus tantùm id, quàm aptè Abrahamo

Applicatio.

I. Series miranda doctorum in Eccleſia.

Digitized by Google

mo ſucceſſerit Iſaac, & hunc eueſtigiò ſecutus ſit Iacob: perinde ut in acie cadente uno milite, alter uicem ſubit, & locum explet. Pro hac cuſtodia & propagatione doctrinæ, doctorumq́; crebra inſtauratione, quotidie Deo gratias agere debemus: petereq́;, ut porrò ſeruet docentium diſcentiumq́; cœtus, & Eccleſiam clementer tueatur uſq; ad extremum diem, ſicut promiſit Chriſtus inquiens, Ero uobiſcum uſq; ad conſummationem ſeculi.

Secundò, diligenter etiam in hac hiſtoria perpendendum eſt doctrinæ genus, quod Eccleſia tempore Iacob ſonuit, & profeſſa eſt: ut eo confirmati, omnes dubitationes quas diabolus ſæpe tanquam fulmen mentibus obijcit, uincamus. Certum eſt autem, & firmiſsimè ſtatuendum, doctrinam Iacobi, ſicut & cæterorum patrum antecedentium & conſequentium, non eſſe aliam, quàm quæ nũc diuina gratia in noſtris Eccleſijs hac ultima tempeſtate ſonat. Credimus enim, perinde ut ipſi, quòd non merito noſtro fiat, ut ex diaboli tyrannide erepti uiuamus, & beatitudinis æternæ ſpem habeamus: ſed propter Meſſiam, qui eſt CHRISTVS, *promiſſus patribus, & nunc in poſtremo bis millenario exhibitus, & declaratus. Nec eſt alius modus iuſtificandi præter hunc. ab hoc ſi quis aberrat, de ſalute uniuerſa deſperet neceſſe eſt. Non eſt enim aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, per quod nos ſaluos fieri oporteat, præter nomen Ieſu Chriſti: Actor. 4 Et alibi inquit Petrus Actor. 15. obiurgans uehementer Iudæos, uolentes aliam uiam*

II. Genus doctrinæ.

uiam ad ſalutem monſtrare hominibus: Credimus nos iuſtificari per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quemadmodum & patres. Hanc totam doctrinam complectitur concio ſeu uaticinium Iacob, quod edidit tunc, cum ad exitum uitæ uocaretur. In eo enim et tempus aduentus Chriſti præciſè prædixit, et regnum eius plenum iuſticiæ & ſalutis egregiè deſcripſit. De tempore aduentus Chriſti ait, uenturum eum eſſe ſtante adhuc politia Moſaica: id quod euentus exactè comprobauit. Natus eſt enim Chriſtus annis 1700. poſt hoc uaticinium, cum regnum Iudaicum quamuis à Romanis occupatum, tamen ſuam αὐτονομίαν retineret cùm in miniſterio publico docendi, tùm in iuriſdictione ſeculari inferiori. Perſonam uerò & officium Chriſti expreſſit una uoce Siloh. Significatur enim ea, pellicula, qua inuoluitur fœtus in utero materno, quam ſecundinã appellant Medici: Græci uocant χόριον. Ex hoc ſanè ſequitur, Meſſiam fuiſſe naſciturum ex muliere, & futurum hominem, ut eſſet Mediator inter Deum & hominem, propter quem preces noſtræ à patre exaudirentur, & perpetua iuſticia ac uita nobis imputaretur atq; donaretur. Tertiò commonefacit nos hiſtoria Iacob de admiranda liberatione piorum ex perſecutione, fame & odio tyrannorum ſæuiſſimorum. Multa acerrima pericula ſuſtinuit Iacob: & tamen ex his omnibus diuinitùs tandem ereptus euaſit. Ducit enim Deus ſuos mirabiliter per ſaxa, per ignes, ſicut Pſalm. 66. pulcherrimè oſtendit, inquiens: Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos

Vaticinium Iacob de Meſsia.

Digitized by Google

ſti nos in refrigerium. Mortuus eſt tandem Iacob in terra peregrina, in quam propter uictus inopiam commigrarat. *Sic eſt fortuna omnium piorum in hac uita.* Et eſt hæc calamitas certiſsimum & infallibile ſignum & indicium ſecuturæ uitæ, quæ omni lætitia & ſuauitate redundabit: quemadmodum dulciſsima metaphora Iacob indicat, cum à rege Pharaone interrogatus de annorum ſuorum numero, reſpondet, Dies peregrinationis meæ uitæ 130. annorum ſunt parui et mali, &c. Cum uocat peregrinationem, oſtendit reſtare aliam uitam, ad quam rectà ex hoc mundo diſcedentes contendamus. Quartò, intuendæ etiam ſunt res geſtæ ſingulæ, & ad imitandum proponendæ. Vltimò, uirtutes inſpici debent, quæ multæ ſunt, & diuinæ. Moderatio in eo plus quàm humana fuit. Patientia inſignis, in perferenda ſeruitute apud iniuſtum Laban, item in ſuſtinendo atq; etiam ſuperando odio fratris. Hæc ſanè nos incitare debent, ut ſimili facilitate inimicitias ac odia iniuſta toleremus atq; uincamus: nec armis, ſed precatione & patientia, mala auertere nitamur. Difficile fuit annos 20. ſeruire tam auaro homini: & tamen perdurauit Iacob, & liberationem diuinam expectauit. Habemus igitur hic exemplum patientiæ, in perferenda iniquitate fortunæ: ac teneatur regula, Deo obſequendum eſſe in uocatione quam nobis impoſuit, & expectandum donec ipſe nos ſuo tempore eripiat, nec quærendum eſſe inconceſſa præſidia: ſicut multi erumpentes extra metas uocationis, non diuinam liberationem expectant, ſed ſibi

IIII. Imitatio exemplorum.

Regulæ vitæ.

ſibi ipſis exitum & ſalutem fabricant, quemadmodum ſerpentes qui exeſis uteri materni lateribus ui erumpunt. Deinde fides Iacob doceat nos uti perſeuerantia & conſtantia, in petenda & expectanda ope diuina: diſcamusq; ab eo, quomodo dubitationes quæ ſæpiſsimè nobis obſtrepunt, & ad diffidentiam adigunt, uincendæ ſint & retundendæ: nempe oratione, quæ fit in fide certa, & indubitatò ſtatuente, tibi contingere deſiderata bona propter interpellantem Chriſtum. Eſt enim precatio clypeus noſter, & gladius biceps, quo cum Deo digladiamur & uincimus. Hæc & alia multa, quæ breuitatis cauſa omitto, in hiſtorijs doctorum Eccleſiæ conſiderari debent.

Exemplum politicum, de M. Aurelió Antonino philoſopho.

A cauſa finali ſeu vſu hiſtoriarum.

¶ Ideo Deus perpetuam Hiſtoriarum ſeriem contexi & ſeruari uult, ut nos pariter de pietate et moribus crudiat. Alit enim pietatem lectio hiſtoriarum inſigniter in bonis mentibus, quando benefacta præmijs, flagitia uerò pœnis regulariter affici audiũt. Tum ad mores etiam non parua acceſsio fieri ſolet, cũ quæ rectè inſtituta et ſuſcepta, feliciter etiam magna ex parte ab alijs geſta ſunt, ad imitandum nobis proponimus: ſecus uerò facta, magno ſtudio fugimus. ita fit, ut duo maxima uitæ decora ex hiſtoriarum cognitione conſequamur. Ideo etiam ſcriptas eſſe Cæſarum uitas exiſtimandum eſt, cùm ut uarias uiciſsitudines & regnorũ præcipuorum ortus, incrementa, et fatalem etiam mutationem

Digitized by Google

tationem eorundem, et tamen continuam ſucceßionem gubernatorum diuinitùs ſeruatam intelligamus: tum eiam ut eorum facta intuentes tanquam ſpeculum, decerpamus inde exempla uirtutum politicarum, quas in uita exerceri oportet. Quod cum ita ſit, & lectio hiſtoriarum diuinitùs nobis commendetur: danda nobis eſt opera ſedulò, ut uitas Imperatorum præcipuorum non ſolùm aſpiciamus, ſed etiam attentè euoluamus, ſingulas eorum uirtutes uelut ſub aſpectum ponentes atque conſiderantes. Quare operæprecium me factu-rum putaui, ſi M. Antonini Philoſophi uitam uelut explicatam recenſerem, ſecundum locos quos Demon-ſtratiuum genus exhibet. Ordiar igitur ab eius natalibus. Filius fuit hic Antoninus cognomento Philo-ſophus, Annij Veri, & Anniæ Fauſtinæ: ſed adoptatus eſt ab Antonino Pio Imperatore, cuius uirtus magnopere prædicatur. Ab eo educatus Aurelius Philo-ſophus, & ingenio & moribus placidus euaſit. Magna n. uis eſt conſuetudinis: & plerunq; aliquid ex quotidiana bonorũ cõuerſatione animo adhæret, quod infixũ manet diu. Sic etiam Antoninus bonam magnamquè partem uirtutum patris conſecutus eſt. De Pio ſanè hoc, quod ualde memorabile eſt, ſcribitur, cũ in ore habuiſſe ſemper nunquam ſatis laudatum dictum Scipionis: Se malle unum ciuem conſeruare, quàm mille hoſtes perdere. Tali moderatione & manſuetudine erga ſubditos omnino etiam uſus eſt Antoninus Philo-ſophus, in omnibus ſuis actionibus: ac in primis etiam erga ſuum collegam & fratrem Verum, quem ſimi-liter

Propoſitio. Natales. Educatio. Moderatio et manſuetudo.

liter Antoninus Pius adoptauerat. Is enim Verus tanta libidine, totq; uitijs conſpurcatus fuit, ut ſus potius quàm homo dici meritus ſit: & tamen tulit cum Aurelius tanta facilitate, ut in concordia cum ipſo diu uixerit & regnauerit. Hic ſanè ſuam illam auream moderationem ac patientiam abundè comprobauit. Nihil enim alioqui difficilius eſſe uidetur, quàm probos cum improbis pariter ac bene regnare poſſe. Ceſsit igitur ſuo collegæ, condonans multa publicæ tranquillitati: ut concordia, quæ eſt unicus in regno theſaurus, conſeruaretur: ſicut olim Ariſtides Athenienſis ceſsit & indulſit ſuo inquieto collegæ Themiſtocli. Similem manſuetudinem exercuit etiam erga Chriſtianos, qui ante & poſt illum ſæuiſsima ſunt paſsi mala. Coniugis quoq; ſuæ effrenem laſciuiam & petulantiam, atque comperta etiam probra diſsimulauit: & inſuper mortuam lachrymis & honore magno proſecutus eſt. Hac

Clementia. manſuetudine & lenitate uſus ſemper, adeò deuinxit ſibi ciues, ut amore potius iuſticiæ quàm formidine pœnæ obtemperarent. Hæc uirtus quàm magna ſit, tum demum cernitur, cùm exempla conferuntur diſſimilia. Eberhardi ducis Vuirtenbergenſis tantam erga ſubditos clementiam fuiſſe tradunt, ut tutus & ſolus in cuiuslibet ſuorum ciuium gremio dormire potuiſſet. Dionyſius uero Syracuſanorum tyrannus, propter ſæuitiam & crudelitatem tam odioſus factus eſt ſuis, ut nemini ſeſe tutò credere poſſe exiſtimaret: ideo tonſori collum committere ueritus, filias ſuas tondere docuit: & tamen ne quidem ab his ipſis adultis ſeſe

omnino

Digitized by Google

omnino tutum eſſe ſuſpicatus, tandem remoto cultro, candẽtibus iuglandium putaminibus barbam ſibi & capillum aduri iußit. Quis quæſo non præferat moderationem Eberhardi, *huic ſæuitiæ, quam in ſuos exercuit* Dionyſius? Mitto *cætera exempla, cum uel ex hoc unico ſatis appareat, quanta & quàm excellens uirtus in principe ſit manſuetudo atq; modeſtia.* Huic *manſuetudini atq; clementiæ acceßit etiã ſapientia, eximia iuſticia, & liberalitas: quæ uirtutes ab optimarum artium ſtudio haud dubiè profectæ ſunt.* Fuit *enim in illo amor incredibilis doctrinarum, & intelligentia non uulgaris.* Audiuit Philoſophos *eruditos non ſolùm in adoleſcentia, ſed etiam in ſenectute quàm diligentißimè.* Scripſit *etiam ipſe præclarè librum de* Principum *officio, & uirtutibus quæ in illis lucere debent.* Quo *ſanè ornamẽto uix maius in principe eſſe poteſt.* Quid *enim tam decorat* Imperatorẽ, *quàm eruditio et amor erga literarum ſtudia?* Equidem *rectè dixit* Eberhardus, *quem paulo antè honoris gratia nominaui, et nunc iterum nomino:* Nemini *eſſe tantopere neceſſariam cognitionem doctrinæ & linguarum, ſicut principi.* Inſigne *uerò eſt id quod de* Aurelio Dion *ſcribit, cum fuiſſe ingenio aperto, & ab omni fuco atq; ſimulatione alienum, in dictiſq; pariter & factis inuariabilem.* Patiẽtia *quoq; illius celebris eſt, qua aduerſitates ſuas tolerauit & uicit.* Cũ *propter ſumptuarias quaſdam leges ab inuidis uituperaretur (fit enim pleruncq;, ut optima facta calũnioſè carpantur) non tulit indignius quàm uirum conſtantem & rectè ſibi conſcium decet.*

Sapientia, iuſticia, liberalitas.

Doctrina.

Ingenium.

Patientia.

Digitized by Google

Has uirtutes, eruditionem ſummam, ſapientiam, iuſticiam, moderationem & clementiam, miſericordiamq́; erga ſubditos, item conſtantiam & beneficentiam, ſi quis leues eſſe putat, uehementer errat. Vix enim ex multis unum inuenias, qui his ornamentis conſpicuus ſit. Videas plurimos ad Imperij faſtigium euectos ſuperbire, & beſtijs erga ſubditos eſſe immitiores: quales fuerunt Diocletianus, Maximianus & Maximinus, alijq́; ſimiles, qui tanquam furiæ ſæuierunt in ſuos. Deinde cũ aliquid aduerſi obiectum eſt, impatientiſsimi & immodeſtiſsimi facti, ruerunt præcipites in iram et fremitũ, & indigniſsima ſeſe perpetrarunt. Hic uerò Aurelius modeſtè omnes humani generis morbos tulit, nihil humani à ſe alienũ eſſe exiſtimans: &, ut Pindarus ait, τὰ καλὰ ἔξω τρέπωρ, id eſt, pulcra foràs uertens ut emineant. Venio nunc ad res eius geſtas, in quarũ expoſitione breuior ero: quamuis et ipſæ magnæ ſint, et admirabiles. Ex bellis eius maximè memorabile eſt illud, quod cum Marcomannis et Quadis, quos Morauos et Sileſios uocari putant, geſsit. Ad hoc bellũ difficile, uſus eſt Chriſtianis militibus: & habuit in exercitu peculiare nomen, Chriſtianorum legio, à ſua patria Melite. Cum autem præter alia incõmoda belli, etiam ſiccitas magna incidiſſet, & iam deficere inciperent homines & pecudes, ſedulo precantes Chriſtiani, non ſolùm largam pluuiam, ſed etiam uictoriam optatam à Deo impetrauerunt. apertum eſt enim, propter preces eorum, cœlum, & ceciderunt cum copioſa pluuia, ſæua fulmina in hoſtes, ut diuinitùs uicti, uicto-

Res geſtæ.

Legio Chriſtianorum fulminatrix.

Digitized by Google

uictoriam Antonino traderent. Tam bonum eſt, cum Chriſtianis ſocijs belligerare. Hæc uictoria Antonini ualde celebris eſt propter hoc factum Chriſtianorum, qui precibus magis quàm prælio hoſtem proſtrauerunt. Ideo nominauit etiam Imperator hanc Chriſtianorum legionem κεραυνοβόλον, hoc eſt, fulminatricem. Ita Deus ſæpe totum regnum propter paucorum preces ſeruat, & ingentem copiam hoſtium delet.

Hoc exemplum Antonini imitari debēt alij Imperatores, ut quicquid inſtituunt, per homines pios efficere ſtudeant, eosq́; etiam ament ac tueantur. De Cyro ſcribit Xenophon, quòd hoc ſapientiſſimo dicto crebrò ſit uſus: Quanto præſtet cum bonis nauigare, tanto quoq; melius eſſe cum probis regnare et bellum gerere, quàm cum improbis. Plus enim proficit pietas, quàm arma & uires, etiam humana opinione ualidiſſimæ. Diſcant itaq; hinc omnes, ut per bonos homines potius quàm per malos negocia ſua procurent. Hanc laudem Antonini per Chriſtianos partam, ego cæteris omnibus ab eo geſtis antefero, & quibuſuis triumphis potiorem eſſe duco. Ac ſi nihil præterea eximium hic optimus Imperator egiſſet: tamen propter hoc unicũ factum immortali gloria dignus eſſet. Sed ſunt alia quoq; eius geſta non contemnenda, quæ breuitatis cauſa omitto. Hæc autem de excellentibus eius uirtutibus, de moderatione, ſapientia, eruditione, iuſticia, patientia, et diuina felicitate, quam per Chriſtianorũ preces adeptus eſt, ſatis abũdeq́; demonſtrãt, quantus et quàm ſalutaris princeps fuerit. Vtinam uerò omnes princi-

pes eiuſmodi uirtutes imitarentur, ſeſeq́; totos ad huius Antonini *exemplum componerent.* De *morte eius* (margin: Mors.) *hæc ſunt memoriæ prodita, quòd anno ætatis ſuæ 60. diem obierit, cum annos 19. ſatis feliciter imperaſſet. Sub huius imperio colligere ſeſe cœpit* Eccleſia, *& magna incrementa ſumſit, manſitq; celebre & honorificum nomen Antonini Philoſophi apud Chriſtianos, qui ad ipſum quoq; ſcripſerunt.* Talis *fama omniũ eſt præſtantiſsima, quam quis apud pios ſua probitate mereetur, et meritò præcipuum quoddam bonum putanda eſt: ſicut eleganter in his uerſiculis indicat* Pindarus *in* Pythijs, *Oda* 1. *Eſſe fortunatum, primum eſt præmium, bona fama ſecundum: cui uerò utrunq; contigit, is coronam ſummam adeptus eſt.* (margin: Quæ mortẽ ſecuta ſint.) *Secuta eſt autem eius mortem magna calamitas, ſicut plerunq; magnorũ uirorum exitus ſunt* κριτικοὶ*: id eſt, denunciant aliquid quod mox ſecuturum ſit.* Finis.

DE COMMENDATICIIS EPISTOLIS.

Hoc Epiſtolarum *genus mixtum eſt ex demonſtratione & deliberatione.* Qui *enim commendat aliquem, is partim laudat eum: partim petit ab eo cui commendat, ut illum ſua fide, fauore amicitiaq; complectatur, & quantum poſſit ornet.* Ita *ſit, ut duæ partes ſint commendationis: quarum altera laudationem, altera petitionem continet.* In *laudatione ſequimur locos* Perſonarum *in genere* Demonſtratiuo, *à patria, à parentibus, ab educatione, à moribus, ab ingenio, eruditione, induſtria, fide, pietate, & ſi qua ſunt alia quæ*

gratiam

Digitized by Google

gratiam homini apud alios conciliare poſsint. Petitio *retinet locos in deliberatiuo genere recitatos, ab hon-eſto, ab utili & facili.*

Exempla ex Cicerone.

Primum, Epiſtola *5. libri 7. cuius initium,* Vide *quàm mihi perſuaſerim, &c.* Huius *epiſtolæ propoſitio eſt:* Commendo *tibi* Trebatium, *petoq́; ut cum omnibus rationibus atq; officijs iuues & ornes.* Partes Epiſtolæ *ſunt:* Exordium *ſumtum ab affectu, hoc eſt à mutuo amore* Ciceronis *et* Cæſaris. Narratio *continet præparationem, et quaſi aditum opportunum ad commendationem.* Incipit *ibi,* Caium Trebatium *cogitarã, &c.* Propoſitio *recitatur his uerbis:* Hunc, *mi* Cæſar, *ſic uelim omni tua, &c.* Confirmatio *commendationis habet locos* Perſonæ *à moribus, uirtutibus, & eruditione.* Poſtea *addit* Cicero *argumentum à facili, cum exponit quibus rebus uelit iuuari* Trebatium. Concluſio *habet repetitionem commendationis.* Ita *uides, in commendationibus commiſceri petitionem laudationi.*

Aliud, ex libro 11. Epiſtola 16. quæ ſic incipit: Permagni intereſt, &c.

Propoſitio *eſt,* Commendo *tibi* Lamiam, *oroq́; ut in* Præturæ *petitione eum perinde atq; me ipſum iuues.* Exordium *ducitur à circumſtantia temporis, quo maximè expediat literas reddi.* Narratio *breuis eſt:* L. Lamia *præturam petit.* Sequuntur *argumenta ex*

perſonarum locis ducta. Primum, *ab amicitia eius coniunctiſſima. Secundum, à meritis.* Poſt *hæc recitatur propoſitio, his uerbis: Quapropter perſuade, &c.* Propoſitionem *ſequitur* Occupatio : Etſi *ipſe Lamia ſatis clarus eſt, gratioſus & potens, ut aliorum commendatione non uideatur indigere : tamen ego ſuſcepi eius negocium.* Deinde *modum conficiendi rem petitam explicat, & quàm gratum hoc ſibi ſit futurum oſtendit.* Huc *pertinet ferè totus liber* 13. Epiſtolarum. Continet *enim meras commendationes : ad quas ſtudioſos remittimus.*

Tertium commendationis exemplum : Commendatio ſtudioſi.

A perſona ſtudioſi qui cõmendatur : & officio cõmendantis.

Quamuis hic optimus ſtudioſus, ipſe ſuum ingenium, mores, induſtriam & eruditionem ſatis abundeq́; omnibus bonis uiris, ad quoſcũq; peruenerit, haud dubiè probaturus ſit : tamen cum noſtram quoq; commendationem flagitaret, noluimus honeſtiſſimæ eius uoluntati, noſtri qualiſcunq; officij recuſatione deeſſe. Putauit *enim plurimum adiumenti ſibi apud bonos uiros acceſſurum eſſe, ſi noſtro teſtimonio & encomio ornatus uideretur.* Quare *teſtamur & prædicamus libenter de eo, quòd ſcimus eum eſſe pijs & honeſtis parentibus prognatum, & ita educatum ut probum decet.* Ingenio *eſt ſagaci & alacri: iudicium, quamuis adhuc propter ætatem immaturum, ita tamen eſt exercitatum, ut ſi uſus maior & ætas acceſſerint, eximium illud futurum eſſe confidamus.* Præcipuè *uerò nos delectauit*

Parentes.

Educatio. Ingenium: Iudicium.

Digitized by Google

lectauit eius uigilantia,& ſtudium pertinax,ex nimio Studium.
erga bonas literas amore profectũ. Lectiones audiuit
frequenter, auidè dictata arripiens, & non intellecta
ſedulò à præceptoribus exquirens. Quæ uerò audi=
uerat,ita repetiuit, ut in ſingulis immoraretur, donec
penitùs ea cognoſceret, & probè memoriæ infigeret.
Vidimus eum totos ſedere dies, & uacare ſtudijs: ſæ=
pe etiam ſuum defraudans genium, cibos & ſomnum
neglexit,ut animi deſiderium in literis expleret. Huic Meditatio.
ſtudio et uigilantiæ accedit ſingularis quædam inqui=
rendi & meditandi cura & ratio, quæ prorſus natu=
ræ donum eſſe uidetur. Quare non dubitarim de eo
prædicare,omnia quæ Plato libo Politικῶν 6. in diſci=
pulo bono requirit, ipſum ſcilicet uerè eſſe φιλομα=
θῆ, φιλήκοον κὴ ζητητικόν. Quæ porrò ad mores
eius attinent, quanquam roborati nondum ſint: tamen
omitti non debent. Pietas certè in eo eſt laudanda, Pietas.
quam auget crebra Dei inuocatione,ueriſq; ad cultum
diuinum exercitijs. Legit ſacra Biblia ſtudioſè,nec le=
uiter (ut ſecuræ mentes ſolent) euoluta ſemel folia in=
ſpicit: ſed ſententiam attentè conſiderat atq; uenatur,
ſingulaq; in ſuos locos aptè refert. Ideo etiam ſucceſ= Succeſſus.
ſus in ſtudijs proſperos ſortitur. De modeſtia eius hoc Modeſtia.
affirmare auſim,nihil temerè,nihil impudẽter, nihilq;
petulanter eum facilè neq; dicere,neq; agere. Abeunt
enim ſtudia liberalia in mores liberales & caſtos,om=
nemq; ferociam ex animis euellunt. Induſtriam eius,
fidẽ,candorem,& quaſi quandã hilaritatẽ in familiari
cõuerſatione multi prædicarũt.Et eſt ſanè magnæ feli=

Digitized by Google

citatis loco numerandum, ſi quis ſuos mores bonis ui=ris etiam in familiari conuictu probare poßit. Quæ cum ita ſint, debet ſanè charus & commendatus eſſe omnibus uiris, quibus bonarum artium & Eccleſiæ, cuius alumnum & plantam cum eſſe ſcimus, ſalus curæ eſt. Rogamusq́; modis omnibus, ut eum ſua beneuolentia complectantur, omnibusq́; humanitatis officijs ornent & proſequantur. Id enim & cōmunis Eccleſiæ ratio, imò Chriſtus ipſe, caput & præſes eius, et publica neceßitas exigit. Indiget ſanè Eccleſia doctis & fidelibus miniſtris, deſiderat informatores iuuentutis, nec doctis carere poteſt reſpublica. Quare quod impetrare non poteſt huius ſtudioſi uirtus, id impetret communis utilitas, quæ ex illo ad Eccleſiam & conſociationem humanam peruentura eſt. De gratitudine autem eius hoc promittere non dubito, ei neq; animum promtum, neq; fidem, neq; induſtriam, neq; diligentiam in referenda gratia unquam eſſe defuturam.

Petitio.

Ab honeſto & neceſſario.

Vtilitas.

A conſequentibus.

EXEMPLVM VITVPERATIONIS, de Iuliano apoſtata.

A cauſa vituperationis, videlicet mādato Dei.

¶ *Quemadmodum uult Deus uirtutes & rectè hominum facta oratione & literis prædicari, et poſteritati commendari: ita præcipit, uitia & improba facta grauiter et ſeriò uituperari. Prodeſt enim ad pietatem & mores rectè informandos, noſſe & uirtutes & uitia aliorum, quidq́; quiſq; pro benè uel malè factis præmij receperit. Cum autem antea exemplū laudationis*

Digitized by Google

dationis de Antonino Philoſopho modeſto, ſapiente & erudito propoſuerimus, adferemus nunc uituperationem teterrimi hominis Iuliani apoſtatæ: ut, quemadmodum antea uirtutum præſtantiſſimarum & imitatione digniſſimarum, ſic nunc horrendiſſimorum & deteſtabiliſſimorum uitiorum exemplum habeamus. Perſtringemus igitur breuiter eius uitam, & res geſtas, exorſi à natalibus. Patrem habuit Iulianus Conſtantinum, Conſtantini Magni fratrem. Matrem autē Baſilinam, matronam ſelectiſſimam. Ex his natus Iulianus, puer iam factus, Nicomediæ primùm ab Euſebio epiſcopo piè inſtitutus eſt, & ad religionem Chriſtianam aſſuefactus: ſed poſtea in Grammaticorum, Rhetorum & Philoſophorum ſcholas deductus, ad Ethnicorum religionē animum appulit: quam tamen non apertè profeſſus eſt, ſed Chriſtianum magis ſeſe eſſe ſimulauit. Ideo cum iam eloquentiæ ſtudium exercuiſſet, functus eſt munere legendi libros ſacros in eccleſia Nicomedienſi: fuit enim & ingenio felici præditus, et diſertus. Quidam putant, eum tunc uerè Chriſtianum fuiſſe: alij, ſimulatè. Tandem miſſus Athenas, repudiatis ſtudijs cæteris, ſoli Philoſophiæ incubuit. Didicit etiam & exercuit artes magicas, mactans hoſtias humanas: & diſſecuit aliquando mulierem in templo, qua poſtea ſuſpenſa crinibus, extenſiſq; manibus, diuinationem aliquam ex iecore eius ſeſe habiturum exiſtimauit de belli contra Perſas fortuna et exitu. Diligentiam in diſcendo adhibuit magnā, adeò ut totas noctes illis ſæpe impenderet. Scribunt qui-

Propoſitio.

Parentes.

Inſtitutio.

Ingenium.

Studium philoſophiæ & Magiæ.

Mores.

dam, comparuiſſe quoq; in eo uirtutum quædam ſimulachra: ſed Nazianzenus negat quicquam in illo fuiſſe præter immania uitia. omnia enim corporis lineamenta, habitus oris, narium, oculorum, ſuperciliorum, pectoris, manuum pedumq́;, omnia deniq; membra geſtusq́; ſæuum quiddam & prodigioſum præ ſe tulerunt. Sermo fuit ſtolidus, & monſtroſus: mores leues, crudeles, et ſpecie quadam uirtutis aſsimulatæ hominibus adblandientes. Arſit incredibili cupiditate regnandi, omnesq́; uias ad adipiſcendum habenas imperij perſecutus eſt. Ex his diſtortis, malignis & peruerſiſsimis moribus de ingenio & tota eius uita coniecturam faciens Nazianzenus, dixit: O quantam peſtē monarchia Romana nunc alit. Nec fefellit hoc eius uaticinium, ſed euentus ritè reſpondit. Etſi enim in initio ſuæ gubernationis modeſtior aliquando, et clementior fuerit Iulianus: tamen poſtea crudeliſsimus factus eſt, grauiterq́; Eccleſiam Chriſti afflixit et conturbauit. Imperio potitus eſt circa annū Chriſti 365, ſub cuius quidem initio nihil aſperè aduerſus Chriſtianos egit: ſed tamen religionem eorū odio habuit acerrimè, et delere in animo ſuo cogitauit. Cumq́; uideret non ui, neq; armis ullis Eccleſiam Chriſti euerti poſſe, ſimulata quadam erga Chriſtanos beneuolentia et moderatione, religionem eorum cum Paganiſmo confundere uoluit. Ideo ſcripſit paſsim ad Eccleſiarū epiſcopos, perſuadere illis cupiens, ut in gratiam ſuam, religionem mutarent. Sed cùm hac uia quod animo intenderat non perfeciſſet, aliam excogitauit. Quod .n. ſimulando

Iudicium Nazianzeni de Iuliano.

Imperium.

Digitized by Google

ſimulando impetrare non potuerat, ui obtinere conſti-tuit. Quare apertè ſe hoſtē Chriſti profeſſus, cruentis edictis Chriſtianos inuaſit, interdicens illis lectione philoſophicorū ſcriptorū, et poetarum, ne ex illis diſcerent, quo gentilē religionem confutare poſſent. Veritus eſt enim, ſi Ethnicorum ſcriptorū et artium uſum illis concederet, futurū eſſe ut eruditiores inde facti, non ſolùm ſuam religionem confirmarent, ſed etiā gentilē refellerent. Sed fruſtra id fuit. inuenti ſunt enim multi docti uiri eo tēpore, qui Iuliani calūnias in Chriſtianos dictas acriter confutarunt. Scripſit etiā Iulianus ipſe libros contra Chriſtianos, in quib. eorum religionem falſè deridet et cauillatur. Scripſit etiam libros contra ipſum Chriſtum, ut autor eſt Crinitus libro 5. capite 10. Appellauit Chriſtum contumelioſo nomine Galilæum, & ſectatores eius Chriſtianos Galilæos. Cæterùm non hac ſolùm iniuria contentus fuit, ſed multò adhuc ſæuius in Chriſtianos graſſatus eſt. ademit illis omnes facultates: uiduas Chriſtianas immodica exactione pecuniæ prægrauans, exhauſit totas: clericos abdicatos in militiam abegit, edixitq; ne quis Chriſtianorum ad pecuniarum procurationem admitteretur: uſus aduerſus illos hoc ſarcaſmo, ſcriptū eſſe in Chriſtianorum libris, regnum cœlorum eſſe pauperum: ideo ſe uelle Chriſtianos prouehere ad regnū cœleſte, detractis opibus. Templa idolorum antea clauſa, aperiri iterum iuſsit, & impios cultus ubiq; inuexit: Chriſtianorū uerò templa profanauit, ereptis omnibus reditibus, uirulenter eorum ſacra contaminans. Infini-

Vis in Chriſtianos.

Libri.

Ademit facultates.

Aperuit templa idolorū.

Digitized by Google

tum eſſet, omnia eius inaudita ſcelera quæ in Chriſtianos exercuit, dinumerare. Cum Valentinianus, qui poſtea eius ſucceſſor factus eſt, aqua luſtrali in templo conſperſus, indignabundus ſacrificulum percußiſſet, quòd pollui ſeſe ea, non purgari exiſtimaret: incidit in graue Iuliani odium. Eiecit porrò in exilium Chriſtianos, quos potuit: & inenarrabilibus modis excruciatos enecuit. Licentiam inſuper dedit, propoſita impunitate, modis omnibus diuexandi, illudendi, affligendi & trucidandi Chriſtianos. Hinc horribilis laniena in cœtu Chriſtianorũ extitit. Quo enim quiſq; erat improbior & ſceleratior, eo maiorem laudem & gratiã ſe apud imperatorem initurum eſſe ſperabat ex Chriſtianorum afflictione, mactatione & tormentis quàm crudelißimè excogitatis. Ita inſtigauit aduerſus Chriſtianos non ſolùm gentes, ſed etiam Iudæos: quibus hortator fuit ad reparandam politiam ſuam, uolens hoc pacto maximè ægrè facere Chriſtianis. Sed infeliciter hic inſanus eorum conatus ceßit. Cum enim uix fundamenta templi ieciſſent, ingenti terræ motu ſæuoq; fulmine perculſi ſunt, adeò ut multa eorum millia interierint. De quo quidem caſu antè commoniti erant, cùm mirando modo ſigna crucis in ueſtitu ſimul ac panibus eorum fierent. Hac tempeſtate magna ubiq; et ſæua in Chriſtianos mota eſt perſecutio, hinc à gentibus, inde ab Imperatore ipſo. Interieruntq; multi præſtantes pietate & eruditione uiri: Neſtor, qui prius cæſus & flagellatus, urbeq; eiectus, ſemianimis relictus eſt: Georgius, qui alligatus camelo, cum ipſo

Immanitas in Chriſtianos.

Cædes Chriſtianorum.

combuſtus

combuſtus eſt: Cyrillus, cui diſſecto iecur exemerunt, & deguſtarunt: Marcus, *qui prius flagris caſus, & laceratus corpore toto, in cloacam præcipitatus eſt: & inde iterum extractus, à pueris undiq; compunctus, & tandem melli iuriq; intinctus ad ſolem ſuſpenſus eſt, & partim æſtu ſolis torrefactus, partim etiam à ueſpis & apibus exuctus eſt.*

Commiſeratione *uerò digniſſimum eſt, quod de ſacris uirginibus* Theodoretus *ſcribit. has ait nudas in publicum productas eſſe, ibiq; diu illuſas, & tandem tonſas diſſectasq;, porcis ad lacerandum & deglutiendum eſſe proiectas.* Quod *ſanè ferè crudelius eſt, quàm illud* Theramenis, *quo tamen ſol uix quidquam* uidit *indignius. iuſſiſſe enim is ſcribitur trucidatorum quorundam ciuium filias in parentum ſuorum ſanguine nudas ſaltare.* Mitto *alias cædes & tormenta innumerabilia, quæ partim ipſe, partim gentes, iuſſu aut conſenſu illius, in* Chriſtianos *immiſericorditer exercuerunt.* Vnum *tantùm adhuc inauditæ ferocitatis exemplum addam.* Eò *immanitatis* Iulianus *aduerſus* Chriſtianos *proceſſit, ut cum impiam & idololatricā doctrinam recipere recuſarent: fontes eorum quibus ad quotidianos uſus indigebant, item panes, carnes, & omnis generis legumina, quæ uenalia publicè erant, aqua luſtrali, ſicut diræ uolucres apud* Virgilium *dapes* Aeneæ, *fœdaret.* His *omnibus multo crudeliora adhuc facturum ſe eſſe minatus erat, ſi bello* Perſico *confecto domum ſaluus rediſſet: ſed uoti ſui compos non eſt factus.* Eſt *enim extinctus in ipſo bello, &*

Fontes & cibos Chriſtianorum ſuis ſacris inquinauit.

mortem

mortem deterrimam obijt, cũ nondum annum 32. eſſet egreſſus. Ac cum in ſuo ſanguine ad terram proſtratus iaceret, exporrecta altera manu cum ſanguine ſurſum, poſtremam hanc uocem impiè emiſit: Viciſti tandem Galilæe. Denunciauit hanc eius mortem prodigiũ uiſum à Didymo Alexandrino, in ſomnijs oſtenſis candidis equis, cum inſidentibus equitibus, nunciantibus Iulianum eſſe interemptum. Anteceßit etiã aliud quaſi augurium ludimagiſtri cuiuſdam de morte Iuliani. Is enim cũ Antiochiæ ludum ageret, interrogatus per iocum uirulentũ à Libanio ſophiſta, Noſſet' ne filius fabri quid faceret? (ita .n. uocarunt Chriſtum) reſpondit, eum nunc fabricare ſandapilam. tecte, & tamen certè ſignificans, breui interiturum eſſe Iulianũ, et potentiã tyrannidemq; Ethnicorum collapſuram. Quod etiam ita factum eſt. Nam paulo pòſt allatum eſt nuncium de mortuo Iuliano, cuius cadauer in ſandapila uehebatur. Hæc breuis eſt expoſitio hiſtoriæ huius immanis beſtiæ, ſumta ex hiſtoricis probatis & fide dignis, Theodoreto, Sozomeno, Socrate & Nicephoro.

Poſtrema vox Iuliani.

Oſtenta quæ anteceſſerunt mortem.

Quanta autem magnitudo flagitiorum in hoc homine concurrerit, quæſo parumper cogitate. Hoſtis Chriſti fuit apertus: quo quid dici aut fingi grauius poteſt? Crudele eſt hominẽ innocentem hoſtiliter odiſſe, crudelius perſequi, crudeliſsimum uitam ei eripere. At hic non hominem, non principem, non regem potentem: ſed Deum ſummum & maximum, quẽ metuunt & adorant angeli, expaueſcunt inferi, & omnes creaturæ reuerentur, perſecutus eſt immaniſsimè. Huic

Flagitiorum congeries.

tam

Digitized by Google

tam potenti, forti & æterno Domino ſeſe oppoſuit miſer: & humi ſtratus homuncio, throno eum excutere, gloriaq; & nomine quod in ſuis creaturis habet, nefario auſu ſpoliare uoluit. Nec ipſum ſolum contumelia ſumma affecit, ſed in Chriſtianos eius uiſcera chariſſima ſæuijt ſine fine & miſericordia omni, eos premens, crucians & mactans: impugnauit eum, à quo corpus & animũ accepit, à quo dilectus, ſeruatus & redemptus fuit, qui ipſum pro immenſa ſua miſericordia & benignitate fratris loco amauit & coluit: cuius longanimitate quotidie ad pœnitentiam, ſalutẽ et beatitudinem inuitatus eſt. O quantus furor, quàm diabolica rabies eũ inceſſit, ut in ſum Creatorem, ſeruatorẽ, regem cœli & terræ, tam crudeliter debacchametur? Siccine decet creaturã erga ſuum Creatorem ſeſe gerere? O uerò ingentẽ et incomprehenſibilem bonitatem Dei, qui tam ingratam et extremè impiam beſtiã, tam diu ferre potuit. Non mirum equidẽ fuiſſet, ſi ſulphur et pix cum fulmine & tonitru collapſa, hanc furiam ilico conſumſiſſent: & terra facto hiatu, tam portentoſum alumnum abſorpſiſſet. Sed longanimis eſt Deus, & multum miſericors: tolerat hominum ſcelera aliquandiu, ut ad pœnitentiam eos prouocet: & tandem, ſi in impietate perſeuerent, eo grauius puniat, & è uiuis abreptos infra omnes mortuos abijciat. Sic neque hanc beſtiam perpetuò graſſari paſſus eſt, ſed ex medio furore repreſſum extinxit. Ad cuius ſanè interitum multum adiumenti attulerunt preces & ſuſpiria crebra Chriſtianorum. Hi enim in

Dei lenitas.

Preces Chriſtianorum extinxerunt Iulianum.

tanta

Digitized by Google

tanta perſecutione, ſine omni intermiſsione Deum orarunt, ut hunc tyrannum reprimeret, & è medio tolleret. Nec defuit uotis euentus: non enim ſinit Deus irritas eſſe ſuorum precationes. Occinuerunt aſsiduò, ſicut apparet ex Theodoreto, Pſalmum 115, & præcipuè hæc uerba: Simulachra eorum argentum & aurum, &c. Item Pſalmum 68. Exurgat Deus, & diſsipentur inimici eius, &c. Sedulò etiam pios confirmarunt, & conſolati ſunt: ſimulq; ardentiſsimè precati ſunt epiſcopi, qui eo tempore uixerunt, Athanaſius, Baſilius, & alij: fueruntq; illorum preces tam efficaces, ut hunc ſæuiſsimum et potentiſs. tyrannum interimerent. Ita hoſtes Euangelij opprimere, eorumq; robur refringere et cōminuere oportet non armis, nō uiolentia, ſed oratione ſeria et frequenti. Hæc eſt aries ille, quo muri hoſtium ſuperantur: hæc eſt bombarda terribilis, qua ingens tyrannorum exercitus fugatur atq; proſternitur. Hæc eſt tuba illa Ioſuæ, qua impiam uicit Ierichuntem, & feroces cæcîdit Madianitas Gedeon. Quid eſt igitur tyrannorum furor? quid minæ? quid robur uniuerſum, cui tantopere confidunt? Paleæ ſunt, quæ uel unica unius Chriſtiani precatiuncula tanquam impetuoſo uento diſsipari, et in nihilū redigi poſſunt. Hoc munimento & propugnaculo nos quoq; utentes, omnes Euangelij hoſtes, qui hodie immani odio propter Chriſtiani nominis confeſsionem nos perſequuntur, facilè rupellemus & ſuperabimus. Ipſi uerò tyranni, cum crudeliſsimi in nos eſſe uoluerint, celeriter & fœdè tanquam floſculi decident atq; peri-

Applicatio.

Digitized by Google

peribunt: ſicut hic μισόχριστος, cum acerbiſsimas minas aduerſus Chriſtianos ſpiraret, mox tanquam nubecula à uento impulſa euanuit, relicto poſt ſe fœtore grauiſsimo, ſicut feles: quemadmodum de Alcibiade & quibuſdam alijs dictum eſt. Ita exeunt ex hac uita tyranni, non fœdè ſolùm morientes, ſed fœtorem etiam perpetuum poſt ſe relinquentes. Geſsit quidem Iulianus etiam bella quædam, & ſatis feliciter: & pugnauit contra Alemannos. ſed hæc omnia, alioqui bona & laudabilia, quaſi quidam fumus, obſcurauit uirulentum eius in Chriſtum odium, & in omnes eius Chriſtianos crudelitas. Quare manet nomen Iuliani, eritq́; perpetuò abominoſum, execrabile: & deteſtabuntur illud omnes Chriſtiani, dum erit in terris Eccleſia: condemnabiturq́; Iulianus in extremo die non ſolùm à iudice Chriſto quem perſecutus eſt, & contumelijs ſummis affecit: ſed conclamabunt etiam contra eum omnes Chriſtiani, occinentes illud quo ipſe dum in uita fuit crebrò uſus eſt, Tolle, tolle, abijce in extremos cruciatus, ubi ſunt tenebræ & ſtridor dentium. Exitus tyrannorum.

Hic erit triumphus de hoſtibus Eccleſiæ pulcerrimus, quem in iudicio Chriſti uidebimus. Interim precemur ſedulò, ut Deus ſuam Eccleſiam contra hoſtium inſidias, tyrannidem & uiolentiam, clementer tueatur. Interiment hæ noſtræ preces certiſsimè omnem uim hoſtilem, impetrabuntq́; optatam quietem et uictoriam: ſicut eleganter de cicadis dixit Steſichorus, quòd tyrannorum ſcelera in campis ſonent, et querelas in cœlum proferant: ita prorſus piorum preces, referentes Triumphus Eccleſiæ.

Digitized by Google

Deo tyrannorum minas, penetrant cœlos: & Eccleſiæ ſalutem, hoſtibus uerò perniciem impetrant. Finis.

¶ Ad *hanc claſſem pertinent etiam orationes funebres,* λόγοι ἐπιτάφιοι, *quarum exemplum erit* Euagoras Iſocratis. Ad *extremum hortor ſtudioſos, ut frequenter ſeſe in hoc genere orationum exerceant, ſumantq́; materias ex* Plutarcho, Chronicis Philippi, *& authoribus cæteris.*

Ratio legendi & imitandi uitas Plutarchi.

Ex Plutarcho *ita proderit mutuari exempla. Legatur primùm integra hiſtoria, ſeu uita alicuius uiri illuſtris: quales ſunt,* Cicero, Pompeius, *Cæſar,* Alexander, Alcibiades, Phocion, Antonius, *& ſimiles: & annotentur ſinguli loci, ſecundum ſeriem in hac claſſe monſtratam.* Deinde, *percepta iam & comprehenſa in animo hiſtoria, accedat ſtilus: & quæ prolixius ab autore ſunt memorata, efferantur breuius: tandemq́; (quod utilißimum eſt, maximeq́; neceſſarium) ſcitè referantur omnia ad locos communes.* Verbi *cauſa:* Si *quis bonis parentibus prognatus, improbus factus eſt: occurrit locus de infelicitate liberorum, degenerantium plerunq́; à maiorum uirtute & ueſtigijs.* In *primis uerò, cùm facta ſeu geſta alicuius recenſentur, alludendum eſt prudenter ad locos communes, & conferendæ ſunt etiam alia, quæ rei præſenti aliquid lucis & adiumenti adferre poſſunt.* In *primis uerò uelim ſtudioſos in exemplis ſacris exerceri: quòd, quo plus eſt in eorum tractatione ſpiritus, eo etiam maiores utilitates adferant.* Sumant *igitur adoleſcentes præcipuas perſonas ex ueteri* Teſtamento, *& ſecundū hanc metho-*

Digitized by Google

methodum eas explicent. Ita non ſtilum ſolùm exercebunt, ſed etiam res utiles & ſalutares diſcent, & ingenium iudiciumq́; acuent, atq; rigabunt non quidem humanæ ſapientiæ riuulis, ſed ſacris auguſtisq́; fontibus Iſrael. Exempla *ſunt* Adam, Abel, Cain, Enoch, Noah *cum filijs,* Iaphet, Sem & Cham : *item* Loth, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph. Deinde *fœminæ quoq; primariæ, quarum uitam ſingulari conſilio* Deus *literis & memoriæ conſecrari uoluit : ut* Eua, Sara, Rebecca, Rachel : *item uxor* Potipharis, *ſollicitans ad inferendum ſtuprum caſtiſsimum iuuenem* Ioſeph. *In horum deſcriptionibus tota doctrina* Moſi, *cum omnibus* Scripturæ *partibus, eruditè comprehēdi poteſt, ſi ſingula ad locos communes aptè referantur.*

SECVNDA CLASSIS GENERIS demonſtratiui, complectens laudationem Rerum.

VT *res ſunt, ita etiam oratio quæ de ijs habetur, comparata eſſe debet. Sunt autem res duplices. quædam expoſitæ oculis : ut urbes, ædificia, flumina, fontes, regiones, & id genus aliæ. nonnullæ ſubiectæ ſunt animo, nec oculis cerni poſſunt : ut uirtutes, uitia, artes, & harum ſimiles.* Quocirca *non poteſt etiam eſſe una eas laudandi ratio.* Alio *modo enim uirtus, alio regio deſcribitur.* Quare *cauſa ordinis & docendi, ita diſtribuamus hanc* Claſſem. Primò : Alia *res eſt corporea, ſeu oculis expoſita : alia incorporea,*

Digitized by Google

non ſubiecta oculis. Res *incorporeæ ſunt, uirtutes, uitia, artes, linguæ, coniugium, magiſtratus, politia, lex, peccatum,* Eccleſia*, bellum, pax, & cæteræ.* Porrò *res quæ oculis ſubiectæ ſunt, propter diuerſitatem iterum diſtingui oportet. non enim unum eſt genus rerum corporalium: quare eis non conuenit etiam una ratio deſcriptionis.* Sic *igitur illas diſtribuemus, ut ſingulis ſui loci aßignari poßint: primò ſunt animantia: ſecundò, regiones, loci, inſulæ, portus, domus: tertiò, urbes: quartò, flumina & fontes: quintò, horti, agri, uel plantæ & gemmæ.* Etſi *autem hæ res omnes una communi ratione deſcribi poßint, uidelicet per quæſtiones* Methodi*: tamen prodeſt, docendi cauſa, cuiuslibet* Claßis *peculiares locos, per quos explicari debent, oculis ſubijcere.*

DE REBVS INCORPOREIS.

Laudatio *artium, linguarum, uirtutum, & rerum ſimilium, ex quatuor locis præcipuè ſumuntur.* Primus *eſt, ab honeſto: ſecundus, ab utili: tertius, à facili: quartus, à ſuaui ſeu iucundo.* Expeditißima *uerò & communißima uia deſcribendi res quaslibet, eſt illa quæ ſecundum* Methodi *locos inſtituitur: & ordine primùm definitio, deinde cauſæ & effectus, & tandem cognata & contraria explicantur.*

EXEMPLA.

Exempla *laudationis rerum in fine ſubijciam: nunc uituperationis exemplum recitabo.*

Vituperatio negligentiæ.

Vitio-

Vitiorum ea eſt ratio & proprietas, ut ſubinde quidem inualeſcant & augeantur, difficillimè uerò à nobis ipſis agnoſcantur. Solent enim neſcio quo modo ceu blandiſſimæ dominæ animos noſtros delinire, & occupatos tenere, ut non ſolùm non uideamus ea, ſed bellè inſuper etiam nobis placeamus, & confidenti animo in illis perſeueremus: unde ſanè non illepidè comparantur uitia aſpidis morſui, qui (ut Dioſcorides lib. 6. cap. 54. ait) primùm omnino leuis eſt, & grata quadam uoluptate hominem læſum afficit, ut quaſi ſine ſenſu in ſomno uacillet & moriatur. Eodem enim modo uitia hominibus adblandiuntur, ut nihil prorſus mali ab illis ſentire uideantur. Quod equidem perpulchrè quoq; expreſſiſſe uidetur Homerus, cum fingit, Vlyſſis ſocios ſemel guſtata loto, non diſcedere poſtea ab illa uoluiſſe, quòd miram dulcedinem guſtantibus præbuerit. Ad eundem enim prorſus modū, ſemel ſuſceptum dulce uitiorum uenenum, non facilè poteſt relinqui, ſed adlubeſcit ſubinde magis atque magis. Hæc cum ita ſint, magnopere neceſſarium eſt crebris ſermonibus uitia taxare, & quaſi loco mouere, ut in lucem producta, & ſuis coloribus depicta, liquidò conſpiciantur, odiumq; ſui iuſtiſſimum in mentibus non prorſus deſperatis excitare incipiant. Sicut enim uirtus tum maximè expetitur, cum ſplendor & dignitas eius intelligitur. ſic uitia quoq; boni odiſſe incipiunt, cum atrocitatem eorum perſpexerunt. Conabimur itaq; breuiter non quidem omnia uitia, ſed tantùm unum, quod negligentiam uocant, deſcribere. Eſt

Exordium a ſententia communi.

Propoſitio.

Digitized by Google

enim hoc noſtro ſeculo ualde uſitatum uitium inter ſtudioſos, & plerorumq; animos ita inuaſit & occupauit, ut & ingenium & fructus optimos perdat. Non dici poteſt, quàm noceat Eccleſiæ ſimul & Reipublicæ, dum multis obſtat, quò minus animum liberaliter excolant, artes, linguas & alia diſcant, quibus utiliter & Deo & hominibus inſeruire poſſent. Etſi autem in quibuſdam adeò inualuit negligentia, ut quaſi radicibus actis euelli penitùs non poßit: tamen nihilominus annitendum eſt, ut oratione graui ſubinde uituperetur, inculceturq; seriò prohibitio diuina, & pœna, quæ certißimè negligẽtes ſuæ uocationis comitatur: ut ſi non omnes, tamen aliq inde emendẽtur, et ad diligentiam utcunq; exuſcitentur. Primùm igitur, quid Deus, tum quid homines ſapientes de hoc uitio ſentiant, breuiter diſpiciamus: ut cùm Creatori ipſi, tum etiam omnibus bonis & creaturis ipſis tantopere diſplicere conſtiterit, fugere illud toto pectore incipiamus. Ac ſanè, quem non diuinum mandatum mouet, hunc neſcio quid aliud mouere poßit. Sic autem ſumma maieſtas Deus cœli & terræ, de ſua altißima ſede prodiens, nobiſq; ſeſe manifeſtans, & præcepta uitæ honeſtè tranſigendæ præſcribens, grauiter, ſeriò & irrefragabiliter ſancit, & mandat omnibus et ſingulis ſuis creaturis, ut opus ſibi deputatum certatim et ſine recuſatione efficiant. Soli præcipit, lucẽ et calorem impertire reb. renaſcentibus, inducere anniuerſarias uicißitudines perpetuo ſuo & indefeſſo curſu, diſtinguere dies ac noctes. Lunæ mandat, ut moderetur

Honeſtum.

Mandatum diuinum.

retur & præſit nocti, infundat humores rebus inferioribus neceſſarios. Cæteras ſtellas iubet decorare cœlum, prædicare magnificentiam & prouidentiam diuinam, cum ſoleq; & luna temperare hunc aërem quo fruimur, ex quo ſpiritum & animum ducimus. Terram *iubet quotannis copioſos ferre fructus: uolucres uagari in aere, ut eſcam præbeant hominibus, & concentibus ſuis creatorem celebrent.* Homini *uerò officium dedit laborandi, iuxta ſuam uocationem.* Ac *ne fortè quis de hoc dubitet, adducam ipſum* Creato*rem, qui in* Paradiſo *ita concionatus eſt:* In *ſudore uultus tui ueſcêris pane tuo.* Hic *ſanè diligentiam in faciendis operibus ſeriò præcipit, & contrà negligentiam uehementiſsimè reijcit.* Quare *hæc eſt expreſſa & immutabilis* Dei *uoluntas, ut unuſquiſque ſudet laborando, quo commiſſum munus exequatur.* Principum, *regum, & aliorum magiſtratuum edictis nemo facilè refragari audet, ſed neceſſariò ſibi obtemperandum eſſe omnes exiſtimant: neque etiam impunè aufert, qui magiſtratus iuſſa uiolat.* Quæ *eſt igitur peruerſitas, ſeuero omnipotentis* Dei *mandato obedire non uelle?* Hic *extat uox* Dei, *qua omnes in commune alloquitur, mandans ſingulis, ut officium ſuum fideliter efficiant: & tamen, quod dolendum eſt, magna pars hominum adeò huic mandato repugnat, ut nihil minus quàm officium ſuum faciat.* Sed *quæ cauſa eſt, ut* Deum *tam potentem, tam ſeuerum, tam excellentem, ut uno uerbulo totam mundi machinam diſſoluere poſsit, adeò floccipendant, eiuſquè* Cauſæ contumaciæ humanæ.

Digitized by Google

edicta ſuiſq; deq; ferant? Mirum equidem eſt, & deplorandum, tantam eſſe hominum leuitatem & incogitantiam, ut non reuereantur tam magnificum Dominum, iramq; eius & ſæuam pœnam metuant. Sed reuera nulla alia cauſa eſt, niſi ingens cæcitas hominum, & deteſtanda peruerſitas, ut aut nihil eſſe Deum cogitent, aut certè eum negligant, et nihil niſi præſentis uitæ commoda magnifaciant. Seuera fuerunt imperia Manliana, ſed multo ſeueriora ſunt mandata diuina: & tamen ab illis timuerunt ſibi Romani, ab his uerò timet ferè nemo. Verùm quid agas apud corruptam iuuentutem, cuius animi ita hoc teterrimo uitio infecti ſunt, ut neq; ipſi ex ſeſe, quo in luto hæreant, cernant: neque alijs rectè monentibus obtemperent? Quid tandem futurum ſit neſcio: niſi quòd in magnũ aliquod malum hanc ſupinam negligentiam eruptu- ram eſſe, opinione auguror. O uerò tetrum & horrendum uitium Negligentia, quæ creaturas à ſuo Creatore tam fœdè alienas & abſtrahis. qui enim te ſequitur, iam à Deo auulſus eſt, & in laqueos diaboli funeſtos incidit, factus eius mancipium & larua optatiſſima. Non enim poteſt Deo placere ignauus, qui mandatum eius contumaciter tranſgreditur. Hæc tam nota ſunt, ut etiam Ethnici extra uerbum Dei ea comprobent. Quàm bellè enim huc congruunt Heſiodi uerſiculi, cum ait: Negligenti uocationis ſuæ Deum iraſci, & omnes homines eſſe infeſtos: O ſcelus, ô res execranda, quæ nos Deo inimicos reddit, & hominum bonorum odium conciliat. Quis igitur non deteſte-

Negligentia auellit à Deo.

Digitized by Google

deteſtetur atq; abominetur negligentiam, quæ fauore & diligentia Dei uniuerſa nos ſpoliat, & iræ uaſa efficit, ingrataq; pondera terræ? Quid dicam de natura uniuerſa, quæ omnibus modis negligentiam odiſſe uidetur? Aſpiciatur ea cum omnibus ſuis partibus: quid quæſo ocioſi in illa inuenitur? quæ particula eſt tan exilis & minuta, quin certi aliquid operis pro ſuo captu & modulo exerceat? Quid hæc continua & indefeſſa naturæ contentio aliud eſt, niſi documentum euidentiſsimum perpetuæ uoluntatis Dei de fugienda negligentia? Ipſe deniq; ſummus Creator ocioſus non eſt, neq; negligens in ſuo officio: ſed tanquam ſedulus & diligens paterfamiliâs, regit, prouidet, procurat & adminiſtrat omnia. Quî igitur ocioſas creaturas amet, aut ferat? In officio ſunt ſedulò pij angeli, concelebrantes Deum ſuauiſsimis hymnis, & cuſtodientes homines, ubiq; aſsiſtentes illis, comitantes, præcedentes, cingentes, deducentes, & diligentiſsimè omnia eorum ueſtigia obſeruantes, deniq; nocte & die ſuper illos uigilantes. Hoc cum faciant angeli, faciant omnes creaturæ cæteræ, faciat etiam Deus ipſe, quomodo altam & deteſtandam ſuam negligentiam excuſabit homo? Non impunè certiſsimè feret, quicunq; ex hoc ordine naturæ, ad laborem & diligentiam tam affabrè deſtinato, diſceſſerit. Ariſtoteles de Animalibus ait: Nullum ens naturale eſſe expers actionis. Et certiſsimum eſt, nihil tam eſſe contra naturam, quàm negligentiam officij & actionis à Deo impoſitæ. unde Cicero in 2. de natura Deorum,

Natura.

Exemplum Dei.

Angelorum.

audet eum omnino nihil eſſe dicere, qui nihil agat. & rectè. Cùm enim omne quod eſt, certæ actioni intentum ſit: uerè nihil eſt id, quod in agentium numero habetur. Non igitur homo appellandus eſt ignauus, ſed pro nihilo prorſus habendus. Heſiodus tamen appellationem illi tribuit, & fucum nominat, uocabulo planè congruo. Vt enim fuci apes non ſunt, & tamen illis ſeſe admiſcent, partiſq; earum frui uolunt: ita negligentes uerè non ſunt homines, & tamen bonis humanis utuntur. Quid igitur hoc uitio inhoneſtius, indignius & atrocius eſſe poteſt? Deteſtatur illud Deus, abominantur angeli, auerſatur natura, oderunt homines. Ipſæ deniq; manus, brachia & membra cætera, negligentiam extremè execrari uidentur, cùm ad officium faciendum à natura deſtinata & parata ſint. Etſi autem hæc quæ diximus, turpitudinem negligentiæ ſatis demonſtrare uideantur: tamen ut eius atrocitas manifeſtior fiat, breuiter etiam quoſdam illius fructus exponemus. Qui ſunt igitur illi fructus, quos hoc immane & fœcundum uitium parit? Primùm equidem id adeò magnum eſt, quòd negligentia Deo infeſtos nos reddit, ut omnes ab illa abſterrere meritò debeat. Quod enim incommodum, quod malum tantum eſt, quin leuius feratur quàm ira Dei? ô quàm graue eſt incidere in manus Dei irati? quàm intolerabile eſt, eſſe hoſtem Dei? quàm triſte & luctuoſum, ſeruire diabolo? Id etenim non in hac ſolùm uita dolores graues conſcientiæ adfert: ſed poſt mortem hanc temporalem, mortem parit ſempiternam cum tormen-

Inutile. (margin)

I. Reddit inimicos Deo. (margin)

tis

tis & ſupplicijs ineffabilibus. Quid dici de negligentia maius & magis horrendum poteſt, quàm quod homines à Deo abſtrahat, & diabolo addicat, ut pro cœleſti gaudio cum electis, accipiant horribilem cruciatum cum damnatis? Quis non hoc nomine negligentiam, tanquam diabolum ipſum, ac uenenum animæ & corporis præſentiſſimum, exhorreſcat & acerrimè fugiat? Quid de pijs angelis dicemus, quorum omnem amicitiam & beneuolentiam negligentia tollit? Vt enim diligentibus & officioſis libenter adſunt, amant eos, fouent, & quaſi in manibus ſuis geſtant: ita negligentes oderunt, & auerſantur. Quid autem eſt homo, deſtitutus cuſtodia angelorum? nihil certè aliud niſi larua, ſeu ſpectrum diaboli: cui ſuum uenenum inſpirat, & recta uia ad perniciem & damnationem æternam deducit. Videtur enim mihi prorſus ſimili negligens ſpectro, quod aliquandiu fouetur & ſuſtentatur à diabolo: ſed tandem ab eo labefactatum, corruit in æternum exitium. Quid porrò miſerius eſt homine negligente, quem tota odit & abominatur natura? Quid moleſtius & grauius eſſe poteſt, quàm perpetuò cum hoſtibus uiuere? Habet enim negligens infeſtas ſibi omnes creaturas, & propitium neminem: inuident illi homines, inuidet cœlum, auerſatur eum terra: & quocunque ſe recipit, nihil ibi niſi hoſtes inuenit. Sol adeò deteſtatur negligentem, ut niſi pijs parceret, manifeſta luminis ſui obſcuratione iram ſuam aduerſus illum declararet. Terra tam inimica eſt ocioſo, ut gemat,

II. Fugat angelos.

III. Reddit inuiſos naturæ toti.

gemat, quoties ab eo conculcatur. Quid multa? omnes pecudes, & uolucres quibus ueſtitur aër, quo fruitur ocioſus, grauiſsimè mœrent, quòd tam inutili & ingrato ſuo alumno uictum præbere cogantur: & mallent eum infra omnes mortuos eſſe amandatum, quàm diutius hic uiuere. Ac conquerentur etiam hæ creaturæ de iſtiuſmodi homine in extremo iudicio, & ſuum miniſterium officioſosq; labores illi exprobrabunt. Qua tunc fronte negligens, quibus oculis creaturas aſpiciet? Quid huic accuſationi reſpondebit? damnabitur cum ignominia ſumma: & non ſolùm proijcietur à facie Dei, omniumq; angelorum & beatorum, ſed abalienabitur etiam & excludetur ab omnibus creaturis, ut earum miniſterij & opis nullo unquam tempore particeps fiat. Eſt igitur negligens uerè non ſolùm in hoc mundo, ſed erit etiam & manebit in æternum excrementum mundi, cui Deus & creaturæ omnes iraſcantur.

IIII. Exemplo nocet aliis.

Polluit etiam negligens, quod nocentiſsimum eſt, & inficit ſuo uitio alios homines. Eſt enim in exemplis magna uis, quæ quaſi trahit homines ad imitationem. Quo ſanè fit, ut non ſibi ſolum, ſed omnibus quibus cum uiuit, noceat ocioſus: ut de eo non immeritò, quod in Tragœdia eſt, dici poſsit, Diſcedite à negligente, ne umbra eius noceat bonis. Quod equidem exemplis demonſtrare non eſſet difficile. Quot enim boni ſtudioſi hodie corrumpuntur ab uno ignauo, qui uelut morbida ouis circumit, & luem ſuam in totum gregem diſpergit, ut ingenia multorum corrumpantur? Hæc incommoda

ſanè

Digitized by Google

ſanè deterrere nos à negligentia deberent: et ſi quem non mouent, actum de eo eſt haud dubiè. Quem enim non ira Dei, non deſertio angelorum, non odium hominum & creaturarum omnium mouet: quid de iſto homine ſentias aliud, niſi quod diabolico furore percitus ſit? De Iucundo, non multa dicam. Etenim quis ſanus non experitur, quàm inſuaue ſit, & tædio plenum, nullum certi officij genus exercere: ſed animum naturà cogitabundum & meditabundum, item manus ad laborem creatas, ſemper uacuas gerere? Amet ocium quicunq; uoluerit: mihi certè ea uita iucundiſsima eſt, quæ officia à Deo mandata efficit. Nec uellem, ſi precium magnum proponeretur, officioſam cum ocioſa uita commutare. Cui uerò difficilis uidetur labor, is quærat & inuocet auxilium eius, qui omnia facilia reddere poteſt. Is faciet, ut opus noſtra opinione durum & aſperum molleſcat, & quauis uoluptate gratius fiat: ſicut Moſis & aliorum exempla abundè demonſtrant. Hi enim cũ rem ſuis uiribus difficilem agerent, Dei opem pijs precibus deuocabant, & ſic omne onus laboris facillimè perferebant. Non igitur difficile eſt uocationis opera facera, cum auxilium Dei accedit. nec iniucunda eſt diligentia, ſed inſuauiſsima & moleſtiſsima negligentia. Faceſſant igitur & abſint longiſsimè à ſtudioſis, qui Deo placere, angelis chari eſſe, & naturam amicam habere cupiunt. Finis.

Iniucundum.

Facile.

Epilogus.

¶ *Studioſi ſumant exempla laudandarum rerum, paſsim ex ſacra ſcriptura, Phyſica & Ethica. Elegans exem-*

Digitized by Google

exemplum eſt Scala Iacob, Geneſis 28. Et Cœna Dei magna, Luc. 14. In Phyſicis ſol, & alia. In Ouidio extant luculentæ deſcriptiones, Inuidiæ lib. 2. Metamorph. Famis, in 8. Famæ, in 12.

DE EPITHALAMIIS.

Huc pertinent quoq; Epithalamia: quia ſunt quædam laudatio coniugij. Contexuntur autem Epithalamia ferè ex quatuor membris. Primò, ex commendatione matrimonij. Secundò, ex laudatione perſonarum contrahentium matrimonium. Tertiò, ex deſcriptione pompæ ſeu ritus nuptialis. Quartò, ex gratulatione. In commendatione coniugij, ſequimur locos honeſtatis & utilitatis. In perſonarum laudatione, loci ex prima claſſe huius generis mutuandi ſunt: quod ſequens exemplum declarabit.

Exemplum Epithalamij.

I. Commendatio matrimonij.

Conſideranti mihi hunc naturæ ordinem, tam miranda ſapientia & arte conditum ac diſtributum: nihil ferè tam magnificum & admirandum uidetur, quàm coniugalis maris et fœminæ copulatio diuinitùs inſtituta, & in hodiernum uſq; diem inuiolabiliter conſeruata. Quid enim admirabilius & maius eſſe poteſt, quàm quòd ex mutuo coniugum complexu & coniunctione, homines uiui, domini animantium cæterorum, procreantur? Quid præſtabilius eſt, quàm gignere ex ſeſe ſobolem, quæ terram compleat, Eccleſiam Chriſti augeat, & cœli uitæq; ſempiternæ hæres fiat? Quid homini delectabilius eſſe poſſet, quàm uidere ex ſua carne & ſanguine natos filios & filias Dei altiſſimi,

Digitized by Google

altiſsimi, fratres & ſorores Ieſu Chriſti: qui eadem carne et ſanguine præditus, ſedet ad dexteram patris, et pari potentia cum eo regnat? Non extenuat *cætera* Dei *opera, creaturis attributa: ut ſunt ſolis motus & calor cum luce uiuifica, fœcunditas terræ, formatio uocis articulatæ in homine, cogitatio, intelligentia, memoria, & ſi qua ſunt alia admiratione digna.* Sed *tamen hoc coniugij opus uidetur mihi profectò cætera ſuperare omnia. Sol enim non edit ex ſeſe fœtus uiuos, neq; terra rationalem creaturam parit ullam. Solum igitur coniugium omnium operum creaturarum eſt admirabiliſsimum, ex quo uiua naſcuntur germina, naturæ rationales, quæ non quidem cum cæteris creaturis occidunt, ſed uitam agunt immortalem.* Propter *hos diuinos & mirandos fructus amandum & uenerandum eſt coniugium: quòd ex eo plantetur* Eccleſia *Chriſti, propagetur q́;, & compleatur regnum cœleſte.* Q*uapropter faciunt opus honeſtum, pium, utile ſalutareq́; & gratum* Deo, *filio eius* Ieſu Chriſto, Eccleſiæ, *& toti cœleſtium choro, qui coniugij fœdus ſacrum & amabile ineunt.* Nec *poſſum non laudare tuum inſtitutum, quòd ſponſam tibi, ſociam & adiutricem delegeris, cum qua piè, unanimiter, placidè & caſtè uitam atq; ætatem tuam conteras.* Dignus *uerò tu, qui in pietate & timore* Dei, *inuocatione & honeſtis literis uixeris, tanta ſponſa, tam ingenua, tam pudica, tam modeſta, formoſa & pia, ut nihil ſuprà.* Elucet *ex ea pietas egregia, effulget ſpes probitatis maxima, apparet morum decus inſigne: enitet forma* II. Laudatio perſonarum contrahentium.

præ-

præſtantiſsima. Nec *mirum, cum à parentibus pijs & bene moratis ita educata ſit ſemper, ut timorem* Domini *& rectè uiuendi rationem diſceret.* His *donis ornata ſponſa, connubio tibi iungitur: qui quantum lunam uincit ſol, has uirtutes omnes ſuperas.* Ad *pietatem enim, modeſtiam, temperantiam, addidiſti grauitatem, eruditionem, ſinceritatem maximam.* Verè *igitur diuinitùs factum eſſe arbitrari debes, ut cum ſponſa tam honeſtis, tamq; tibi congruentibus moribus & donis prædita, ſuauiſsimo coniugij uinculo copuleris.* Accipe *igitur hoc diuinum munus, perinde ac ſi apertis cœlis diuinitùs tibi demitteretur.* Fiet *tibi iam ſupplex ad aram, ut piè dixit* Pythagoras, *dedens ſeſe in fidem, amorem, tutelam & complexum tuum: & accedet uox ſacerdotis, tanquam diuinum oraculum, adiudicans, addicens, & de manu (quod aiunt) in manum tibi eam tradens, loco* Dei *patris, & filij eius cariſsimi.* Hanc *diuinam felicitatem quibus uerbis tibi gratuler? quomodo lætitiam meam oſtendam?* Neque *enim poſſum non gaudere uehementer tuo iſti tam excellenti bono, quod inæſtimanda* Dei *liberalitate & beneficentia tibi contigit.* Lætare *igitur multo magis tu hoc præſtanti dono, affluente largiſsima benedictione: & fruere eo cum pietate, gratiarum actione, & animi iucunditate: qui quidem fructus homini* Chriſtiano *eſt maximus & uberrimus.* Quæ *enim mundi gaza, quæ uoluptas aut oblectatio illi comparari poteſt?* Viue *igitur proſperè, fauſtè, feliciterq; cum iſta tua ſponſa: quam tibi non homo, non angelus, ſed* Deus

III. Ritus nuptiarum.

IIII. Gratulatio.

ipſe

ipſe largitus eſt, & amore coniugali adiunxit. Sit ea decus domus tuæ, ut Pſalmus uocat: ſit Venus illa ſtans in teſtudine: ſit uitis fructifera in laterib. domus tuæ, procreans ex ſeſe filios, ſicut oliuarũ ramos, quibus repleatur menſa tua: ſit utriſq; una mens, unus animus, amor ſyncerus, fides indiſſolubilis, eadem beneuolentia in proſperis & aduerſis: abſit diſcordia, faceſſat ſimulatio, ualeat amarulentia. Quàm ſuaue & iucundum eſt, inquit Homericus Vlyſſes, cum maritus & uxor concordi mente coniũcti, in unis ædibus uiuunt? Quare complectimini uos mutuò, & hac dulcedine coniugij læti fruimini. Cõmonefaciet uos ea mihi credite, de multis magnis rebus: de arcta copulatione Chriſti cum ſua chariſſima ſponſa Eccleſia, de conſuetudine uitæ cœleſtis, & alijs, quorum hoc coniugij uinculum qualiſcunq; imago eſt. Quod ſupereſt, oro toto pectore, ut hoc matrimonium ueſtrum fauſtè et feliciter cedat, & ſic ſchola, in qua uerè inuocetur & celebretur Deus per Ieſum Chriſtum παρανύμφον dulciſſimum, et Spiritum ſanctum παράκλητον & conſolatorem coniugum efficaciſſimum.

Eſt autem magna in hoc genere ingeniorum libertas. Non enim hunc ordinem locorum ſemper obſeruari neceſſe eſt: ſed ſæpe à gratulatione, aut aliũde incipitur, nec ſemper etiã omnia iſta membra uſurpantur. In Pſalmo 128. qui quoq; Epithalamion eſt, tantùm duo membra tractantur: commendatio ſcilicet matrimonij, et gratulatio. In ſuperioribus enim quatuor uerſibus, commendatur coniugium à fructu: quòd coniu- Pſal. cxxviii.

Digitized by Google

galis uita Deo placeat, & benedictione abundet. Poſtremi duo continent gratulationem: optant enim coniugibus omnia fauſta, ſpiritualia & corporalia.

PSALMVS CXXVIII.

Propoſitio affirmans Deum amare & fouere cõiuges, qui in pietate & timore Dei uiuunt.

Beati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in uijs eius.

a Succeſſus in laboribus vocationis.

Labores a manuum tuarum manducabis: beatus es & bene tibi erit.

b Fœcunditas vxoris.

Vxor b tua ſicut uitis fructifera in lateribus domus tuæ.

Filij c tui ſicut rami oliuarum in circuitu menſæ tuæ.

Ecce d ſic bendicetur homo, qui timet DOMINVM.

Benedicat e tibi Dominus ex Sion: ut uideas bona Ieruſalem omnibus diebus uitæ tuæ.

Et f uideas filios filiorum, pacem ſuper Iſrael.

c Liberorum copia & felicitas. Deducit autem nos ad conſiderationem vitis & oleæ, inter quas dulciſsima eſt concordia, vt ſimpliciter in coniugio ſtudeamus retinere mutuam beneuolentiã, appetitionem generationis, curam & officiorum communicationem.

d Epiphonema ex loco vtilitatis, prædicans commoda benedictionis, ceu ſunt generatio, nutritio, defenſio, auxilium in vocationis operibus, & conſolatio in ærumnis.

e Comprecatio ſiue gratulatio florentis Eccleſiæ & Reipub. ſtatus. f Precatio longæ poſteritatis.

SEQVITVR LAVDATIO RErum corporalium, & primùm animantium.

Sunt autem loci præcipui huius generis.

I. A genere animantis.

II. A loco

II. *A loco habitationis.*
III. *A moribus.*
IIII. *A geſtis.*
V. *A genere uitæ & mortis.*

EXEMPLVM DESCRIPTIONIS animantium, de Cygno.

¶ *Tota hæc compages rerum ideo condita eſt, ut primùm Creatorem demonſtret & illuſtret: & poſt eum, homini inſeruiat. Ita autem illuſtrant creaturæ ſuum Opificem, cum eius omnipotentiam, maieſtatem, ſapientiam & bonitatem denunciant atq; declarant. Homini autem, qui Deo proximus eſt, ita inſeruiunt, cùm lucem, calorem, & alia quibus indiget, impertiunt. Sunt enim creaturæ hæ quas uidemus, omnes ad uſus humanos deſtinatæ. Sol, luna, ſtellæ, & aër tam apto ordine in regiones diſtinctus, ſuppeditant lucem, & gubernant qualitates, ex quibus corpus noſtrum & omnes aliæ res mixtæ conſtant & uiuunt. Terra fruges liberaliter in miniſterium generis humani confert: mare piſces continet, aër uolucres fouet: ita ut nulla pars ſuo officio deſit. Non aũt ad id ſolũ hæ tot, tam pulchræ & admirabiles res in natura fuſæ ſunt, & fabrefactæ, ut hoc fragile noſtrum corpus tantùm alant et foueant: ſed ut etiam animũ, qui dominus eſt et dux corporis, paſcant & erudiant. Impreßit enim Deus creaturis imagines illuſtres uirtutum pulcherrimarum & maximarum, ut homo eas contemplans, ſui ingenij & officij cõmonefiat: ſicut erudite ait Ariſtoteles de animantibus, in octauo Hiſtoriæ animalium,* A cauſa finali rerum a Deo conditarum.

Digitized by Google

ineſſe plurimis eorum ueſtigia morũ animi humani. Quare non leuiter atq; obiter aſpiciendæ ſunt creaturæ Dei,ſed cũ attentione mentis diligenter conſiderandæ: ut hæc ueſtigia in eis animaduertamus, & doctiores inde abeamus. Etſi aũt hoc de omnibus rebus naturæ rectiſsimè dicatur: tamen nũc præcipuè de animantibus nobis ſermo eſt,quæ ſanè non dici poteſt quã cum animi noſtri,tum aliarum rerum et uirtutũ ſimulachra præclara referant. Etenim quis adeò ſtupidus eſt, quin apem intuens, uideatur ſibi uidere in ea expreſſam uigilantiæ,caſtitatis,induſtriæ,prudentiæ,frugalitatis,& integræ politiæ bene conſtitutæ imaginẽ? Quis aſpiciens ſeu audiens cuculum, non deprehendit in eo ſimulachrũ inſignis ingratitudinis? Sic ad quodcunq; animal oculos & mentem uertis,reperis aliquid quod te erudire poſsit.Ciconia,pietatis erga parentes, et gratitudinis erga benefactores nos admonet : camelus,caſtitatis. Ideo diuina quoq; oracula crebrò nos ad animantium conſiderationem deducunt atq; inuitant. Geneſis 8, tanquam inſignis imago miniſterij Euangelij,quod in Eccleſia ſonat,proponitur columba,ſimiliter Eſaiæ 60.Pſalmo 42,inducitur ceruus ſitibundus ex uenatione: qui imago eſt perterrefacti cordis ſenſu iræ Dei,& æſtuantis flagrantisq; deſiderio conſolatinis. Pſalmo 102,ſubijcitur ſimilitudo aquilæ, recipientis in ſummo ſenio uiſum & iuuentutem ſuam: quæ res,ut doctis placet,imago eſt regenerationis et nouitatis,quæ fit per aquam & ſpiritum, cum uetus homo mortificatur & aboletur,reſurgitq; nouus homo ſan-

Accommodatio ad animantes.

ctus

Digitized by Google

ctus et Deo placens. Ad ciuſmodi animantiũ aſpectionem deducit nos quoq; Chriſtus, ut eſt apud Matthæũ 10. iubet nos ibi imitari ſimplicitatẽ columbarũ, et prudentiam ſerpentũ, ſingulari arte caput ſuũ contra inſidias hoſtiũ tegentium. Sed deſino exempla cõmemorare plura: et uenio ad id quod unicè nunc mihi propoſitum eſt. Conſtitui enim, cæteris relictis omnibus, dicere de ſolo cygno, eiusq; naturã deſcribere, et ad noſtrum uſum applicare. Etſi autẽ latè huius animalis deſcriptio extendi poßit, collectis omnib. quæ paßim de eo relata reperiuntur: tamen nos breuitatis cauſa in ſex membra totam hiſtoriam includemus. Nec dubium eſt, in his omnia quæ de olorib. ſcitu digna ſunt, rectè cõprehendi poſſe. Ordiar igitur à ſede ſeu loco habitationis eorum, quẽ conſtat eſſe lacum & paludem. In his enim, ſicut aues in aëre, feræ in ſyluis, morantur et degunt. Dixi autẽ antea, animalia plurima magnarum rerum referre ſimulachra: et turpe eſt, naturã ita aſpicere, ut nihil inde q̃ uel ad mores, uel ad animũ ipſum erudiendum aut cõmonefaciendum conducat, auferas. Quare huius quoq; auis aliquã ſimilitudinem aut congruentiam eſſe cum re quapiam haud uulgari, neceſſe eſt. Quia.n. parua ſæpe animalia res magnas repræſentare uidemus, haud ſanè conſentaneum eſt, non magnorum quoq; cygnorum eiuſmodi eſſe aliquã alluſionem. Quid uerò eſt cui hanc cygni deſcriptionẽ accõmodemus? Non ſanè quicq̃ uſquam extare puto, ſuffragantibus etiã eruditorum opinionibus, cui aptius congruat quàm Eccleſiæ. Ea.n. ſola in rebus humanis eli

Propoſitio.

I. Habitatio.

git loca humilia, & ſedẽ appetit non ſuperbam, ſed humilem: eaq́; contenta eſt, et fugit aulas magnificè extructas: non maieſtatem, non applauſus deſiderat, ſed qualibuſcunq; tugurijs & nidulis acquieſcit. Ac cogitate quàm ſcitè hæc ſedes Eccleſiæ congruat. Quid.n. ſimilius eſt Eccleſiæ, quàm cygnus habitans in lacu, qui nunc à uentis agitatur, nunc tẽpeſtate aliqua ingruente obruitur: nunc accreſcit: nunc decreſcit? Vagatur enim Eccleſia in hoc mundo, ſicut ratis in mari: & nũc ab hoſtibus impetitur, nũc à diabolo impugnatur: nunc penuria, fame & ſiti conflictatur, omnibusq́; undiq; malis infeſtatur. Vt igitur cygnorum habitationes ſunt aquæ inſtabiles et uagabundæ: ita Eccleſiæ ſedes nullo in certo loco fixa eſt, ſed nũc huc, nunc illuc cõmigrat. Primam ſuã ſedem habuit in Iudæa: inde deriuata eſt in Aſiam & Græciam poſtea in Italiam, Galliam & Hiſpaniam abijt: & tandem in Germaniã deceßit, & in Arctoa loca, καὶ εἰς ἔσχατα μυσῶν,

Pigris vbi rara campis
Arbor æſtiua recreatur vmbra.

Sic peragrauit uerè Eccleſia totũ orbem terrarum, quærens hoſpitium: et ubi aliquandiu commorata eſt, tandẽ ab ingratis hoſtibus expulſa, aliam ſedẽ acquiſiuit. Hæc eſt communis ſors Eccleſiæ, exulare in hoc mundo, et paßim quærere receptũ, ubi moretur, donec cœleſti hoſpitio excipiatur. Eſt.n. Eccleſiæ patria cœleſtis, non terreſtris: quod oſtendit hæc eius in hoc mundo miſera peregrinatio, & perpetuum quaſi exilium. Expectat autem aliam ſedem in cœlo, quæ firma eſt

Digitized by Google

ma eſt & ſtabilis, quamq; nulla uis atq; tyrannis labe-factare poteſt. ſicut Hebræor. 13. dicitur: Non habemus hic ciuitatem manentem, ſed futuram inquirimus. & alibi ait Paulus: πολίτευμα noſtrum in cœlis eſt. Ad hanc patriam ſeſe totam præparat, & iam penè cõfecto curſu ex magna iactatione portũ uidet, in quo quietem optatam habitura eſt. Hanc de cygnorum habitatione ſimilitudinem non ineptam eſſe puto: ſed utilem commonefactionem de ſede Eccleſiæ uagabunda, nulliq; certo loco alligata in hoc mundo cõtinere exiſtimo. Sed nunquid, dixerit aliquis, prorſus infirma et fluxa eſt Eccleſia, nulloq; certo fundamento innixa ſubſiſtit? Hic alterum de cygnorum natura membrum addendum eſt, quod pulchrè Eccleſiæ fundamentum declarabit. Habent cygni pedes firmos & denſos, unde & στεγανόποδες à Græcis dicuntur. Hoc pedum robur & denſitas uerè baſin, ſuper quam extructa eſt & conſiſtit Eccleſia, repræſentat. Eſt enim ea quoq; ualde ſolida, & adeò ſtabilis, ut nullus neq; diaboli neq; inferorum impetus illam euertere poßit. Stat enim et quieſcit Eccleſia non ſuper arena, aut mobili terra, ſicut cætera quæ in mundo ſunt terrenum fundamentum habent, et uel à tempeſtatibus, uel à terræmotu, uel alio quodã incõmodo conquaſſari et dirui poſſunt: ſed fundata eſt ſuper ualidißimam & ſolidißimam et perpetuam petram, qui eſt Ieſus Chriſtus. Super hoc conſiſtit Eccleſia, et perſiſtet in omnẽ æternitatem: non hanc diabolus, non portæ inferorum, non ulla uis alia labefactare poterit. Super hoc ſtetit

2. Pedes.

Digitized by Google

iam quinq; millia annorum. Super eodem ſtabit etiam in poſterum, imò in ſeculum ſeculi. Eſt .n. Eccleſia nihil aliud niſi cœtus, incumbens, innitens, totoq́; pectore & animo acquieſcens in Chriſto, ab eoq́; ſolo pendens, uitæq́; uniuerſæ ſalutis rationem expectans: ita ut ubicunq; eſt ipſe, maneat quoq; Eccleſia. Eſtq́; tam arcta et indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia copulatio, ut ipſa ſit membrũ de illius membris, et ipſius membra uiciſſim ſint membra Eccleſiæ. Et Deus apud prophetam aſſeuerat, ſe geſtare Eccleſiam in aluo ſua. Quocirca, cum Deus perpetuò ſubſiſtat, & nullo unquam æuo intereat: certiſſimum eſt Eccleſiam quoq; ad omnem æternitatem eſſe permanſuram. Etſi igitur interdum ſæuæ procellæ ingruant, & Eccleſiam ita prægrauent, ut iamiam occaſura uideatur: tamen ruere non poteſt, quia inſiſtit fundamẽto ſolido, qui eſt Chriſtus.

3. Mores. *Porrò mores quoq; cygni haudquaquã ſunt prætereundi ſunt, enim ualde placidi cygni, & ita morati, ut quandam ingenuitatem præ ſe ferre uideantur: & quod maximè inſigne eſt, libidinibus ſeſe nõ polluunt, ſed ad ſedandas eas urtica ueſci dicuntur. Quid nónne tibi hæc bellè Eccleſiæ quoq; mores repræſentare uidentur? Quid enim de Eccleſia uerius dici poteſt, quàm quòd placida ſit, & optimè morata? Non ſanè eſt procax, non proterua, non libidinoſa: ſed modeſtia ſumma prædita. non flagrat inuidia, non gerit inimicitias, non alit ſimultates: ſed placabilis eſt, patiens iniuriarum, benigna et benefica erga omnes, longanimis, non arrogans: non faſtidit quenquã, ſed omnib. debitum*

Digitized by Google

tum honorem impertit. non exacerbatur, non malum pro malo reddit, ſed omnib. ex animo beneſactum uult. Hi mores, quos Eccleſia in externa cum alijs conuerſatione præſtat, ſunt quidẽ inſignes et rari: ſed tamen adhuc præſtabiliores ſunt illi, quib. cum Deo agit, uera ſcilicet et ardens inuocatio, et oratio pro omnibus hominibus, etiam pro hoſtibus: timor Dei, fides, dilectio, patientia in afflictionibus, idẽ ſemper uultus in proſperis et aduerſis. Spes deniq; indubitata fixa in Deo opitulatore inuiſibili. His Eccleſiæ moribus quid excellentius eſſe poteſt? Hos capeſſere & imitari oportet omnes qui Eccleſiæ ciues aut membra eſſe uolunt: ſicut toties nos monet uox cœleſtis. Vt autẽ cygni flammas libidinis reprimunt urtica: ita Eccleſia ad reſtinguendam concupiſcentiã et pruritum carnis, utitur cruce, quæ eſt efficax remedium aduerſus immoderatos cordis feruores. Sed neq; de hoc membro plura dicam. Tranſeo igitur ad quartum, q. de fructu ſeu fœcunditate cygnorum pertractat. Sunt aũt cygni admodũ fœcundi, procreãtes ex ſeſe copioſam et pulchrã prolem: quod iterũ ad Eccleſiæ fructus haud ineptè transferri poteſt. Eſt.n. ea ualde quoq; fœcunda, pia & ſedula mater, pariens ſponſo ſuo Ieſu Chriſto filios & filias quàm plurimas, plantas cœli iucundiſſimas, et hæredes uitæ æternæ ſelectiſſimos. Hæc eſt uerè uitis fructifera, gignens Deo ſobolẽ copioſam, ſicut ſtellas cœli & arenas maris. Quotquot .n. ſalutis et regni cœleſtis unquam participes facti ſunt, et adhuc participes fient: illi omnes ab hac matre nati & educati ſunt. Quare

4. Fœcunditas.

amplectamur, et exoſculemur, et magnifaciamus Eccleſiam, eiq; nos totos dedamus, ut quemadmodũ nos per aquam & Spiritũ ſanctum regenerauit: ita in poſterum quoq; educat, foueat, alat & tegat, donec accepto à patre noſtro patrimonio, hæredes regni & Eccleſiæ cœleſtis efficiamur. Hos precioſos & uberes fructus Eccleſiæ cygnorũ fœcunditate repræſentari exiſtimo. Sequitur nunc membrũ quintum, de prælio, ſiue pugna cygnorum. Aiunt enim eos bellum gerere cum aquila, ſi quando ab illa ad pugnam prouocentur: ipſos autẽ hoſtem nunquam laceſſere, ideoq; etiam regulariter uictoriam obtinere. Quid hæc pia & iuſta cygnorũ aduerſus hoſtes ſuos aquilas defenſio præ ſe fert aliud, quàm Eccleſiæ aduerſus diabolum et mundũ conflictus atq; uictoriam? Etenim ſine hoſtibus nunquam eſt Eccleſia: ſed hinc à diabolo, illinc à mundo maligno creberrimè impugnatur. Eſt autem hoc ualde memorabile, quòd Eccleſia, perinde ut cygni, nunquam ſuis hoſtibus ullam pugnandi occaſionem præbeat: ſed non niſi ambitioſè & procaciter laceßita, arma induat. Non.n. pium, neq; humanum eſt ſed beluinũ & Cyclopicum, graſſari et ſtringere gladiũ in alios: niſi grauis et iuſta, imò tam neceſſaria cauſa, ut uitari nequeat, impellat. Cùm uerò alia expediendæ ſalutis ratio nulla reſtat, nec reprimi hoſtium furor commodiore conditione poteſt ſtrenuè repugnandum eſt: & quod æquitate impetrari non poteſt, armis eſt obtinendum. Hoc genus belli iuſtum eſt, & neceſſarium, atq; adeò ſeriò mandatur. Hoc modo bellum gerere ſolet contra ſuos

5. Geſta, ſeu pugna.

hoſtes

Digitized by Google

hoſtes Eccleſia: non prouocat eos ullo modo, ſed quieſceret potius, ſi liceret: uerùm cùm nulla quietis conditio relinquitur, armata manu in hoſtē it, & fortiter dimicat. Sunt aūt Eccleſiæ arma, non clypeus, non telū, non haſta, non arcus, non currus, non equitatus, non machinarum bellicarum copia: ſed ſolum uerbū Dei, & pia ſedulaq́; precatio. Hæc eſt armatura Eccleſiæ ualidiſsima, quia non ſolùm ſathanam & infernum, ſed omnes alios truculentiſsimos ſuos hoſtes repellit, cædit, proſternit & uincit. His armis ſuccincta & munita, nullum periculum pertimeſcit: ſed omnia mala ſtrenuè arcet & profligat: ſicut ad Epheſ. 6. præclarè ſcribit Paulus. Nihil enim precatione eſt fortius, nihil potentius & efficacius: hæc nubes penetrat cœlum tranſit, & ad thronum Dei uſq; aſcendit. Hæc Deum iratū uincit & mitigat, nedum diabolos et imbecilles homines. His armis uicit Moſes ſæuū et potentem Pharaonem, his proſtrauit robuſtos Amalechitas. His cæcidit Gedeon innumerabilem multitudinē Madianitarum. his fregit et oppreſsit Chriſtianorū exercitus ſub Antonino philoſopho terribiles Sarmatas. iiſdem extinctus eſt atrox Iulianus. Nulla deniq; uis tanta eſt, q̄ Eccleſiæ preces cōminuere et labefactare non poſsint: ſicut etiam Ethnici longa experientia edocti, fateri coacti ſunt. Sic enim piè apud Xenophontem dicitur: Neque multitudinem, neq; robur in bello uictoriam parere: ſed quò quis maiore in Deum fiducia firmatus contra hoſtem eat, eò eſſe eum in uincendo feliciorem. Eſt enim precatio ardens & pia

tantæ

tantæ efficaciæ, ut eam refugiant diabolus & tyranni cæteri: quemadmodum galli cantum expaueſcunt ſæui leones, & paruis muribus terrentur & fugantur immanes elephanti.

6. Progredior nunc ad ultimũ membrum huius deſcriptionis, quam nobis propoſuimus, quod penè omnium pulcherrimum & admirabiliſſimum eſt.

Mors et cantio in ea.

Ferunt enim, cygnum, præter morẽ & conſuetudinem cæterorum animantium, imò contra communem naturæ rationem, cum cantu et uoluptate mori: unde etiam ᾠδικοὶ à Græcis ſunt appellati. Eſt equidẽ mors ſua natura horribilis & triſtis, utpote quæ uiolenter diſtrahit & diſcerpit arctiſſimam animæ & corporis coniunctionem. Verùm hanc non reformidant cygni, ſed cum lætitia, quaſi prouidentes in illa aliquid boni, eã excipiunt. Ideo cum inſtat mortis hora, modulari ſuauiſſimè incipiunt: ſicut hic uerſus Græcus teſtatur, οὐ δύναται κύκνῳ κόρυδος παραπλήσιον ἄδειν. Hinc Plato diuinationem eos habere ab Apolline cenſet. Verba in Phædone ſunt: Cygni, quia Phœbo ſacri, ſunt diuinatione præditi, præſagiunt alterius uitæ bona: ideoq; cantant, geſtiuntq; mortis die alacrius quã ſuperiori tẽpore. Quid hæc cygnea cantio quæſo eſt aliud, quàm ſonus Eccleſiæ, quẽ edit in mortis agone, cum ad cœlum ſuſpirat, & crebris precibus ſe in manus Chriſti redemptoris ſui cõmendat atq; tradit? Quid enim his ad Deum directis uocibus poteſt eſſe ſuauius? quis concentus inueniri delectabilior? Verè præuidet Eccleſia poſt hãc uitam conſecutura bona: ſentitq; ex quibus malis per mortem

Digitized by Google

mortem liberetur, & ad quanta gaudia introeat. Ideo *non gemit, non eiulat, non mœret, cum hora mortis inſtat: nec inuita hinc abripitur, ſed ſuaui afficitur lætitia, gratulans ſibi, et incipit hymnum* Deo *dicere.* Hoc *modo mortē tulerunt omnes patres.* Abrahā *lætabundus ex hac uita diſceßit, cum diem* Chriſti *in ſpiritu uidiſſet.* Iacob *placidè ex hoc mundo ad patres ſuos migrauit, cum prius cygneam cantionē de* Meßia *promiſſo edidiſſet.* Dauid *inter pia uota, crebraq; ad* Deū *ſuſpiria, et uerè cygnea* μέλη, *ut* Poëta *ait, ex hoc uitæ curriculo exijt. Simile* μέλος *in ſua morte occinunt* Deo *omnes pij, qui ardentib. precibus* Chriſto *ſeſe inſinuant & cōmendant.* Tale μέλος *occinuit ductus ad ſupplicium ſanctus* Stephanus, *ſicut hic de eo factus uerſiculus declarat:*

Ibat ouans animis, & ſpe ſua damna leuabat.

Verùm hæc lōgius perſequi, inſtituti noſtri non eſt. Epilogus. *Quare hic dicendi finē facio: et uos omnes moneo, ut has cygni cū* Eccleſia *ſimilitudines diligēter et ſobriè animo perpēdatis: ſicq; exiſtimetis, cygnū eſſe ſpeculū à* Deo *nobis propoſitum, ut in eo uniuerſam* Eccleſiæ *fortunam contēmplemur. Sit igitur in conſpectu ſemper, et* Deo *gratias agite pro hac luce et bonitate, quòd non ſolùm in ſuo uerbo clarißimè ſeſe patefecerit, ſed etiam in natura illuſtres ſuorum myſteriorum imagines effinxerit.* Finis.

¶ *Studioſi ſumant exempla paßim obuia: quorum aliquot ſubijcio, ne quis de difficultate inueniendi conqueratur.* Primū *columbæ: quæ miniſteriū* Euangelij,

&

& omnium piorum in Eccleſia imaginem refert: unde et Spiritus ſanctus ipſe in ſpecie columbæ uiſus eſt. Prudenter igitur in earum deſcriptione accommodentur proprietates ad Eccleſiam, Chriſtum, conciones, et omnes Chriſtianos. Sunt autem proprietates columbarum decem, his ſex comprehenſæ uerſiculis:

Felle columba caret, roſtro non lædit, & vngues
Poßidet innocuos, granaque pura legit.
Eſtque frequens ad aquas, pennaq́ per aëra fertur
Præpete, pro cantu lugubre voce gemit.
Educat alterius pullos, volitatque gregatim,
Et ſtudet in tutis nidificare locis.

Secundum, Ciconiæ: in cuius deſcriptione, præter cæteros locos, quatuor tractari præcipuè debent. Primò, φιλοσοργία in parentes ſenio confectos, quos ſuis humeris ad pabulum geſtant. Vnde et πελαργεῖν uerbum natum eſt, quod præmia pro nutricatione referre ſignificat: & Hebræi ciconiam uocant Chaſidah, quaſi piam & miſericordem erga parentes. quam pietatem ſecutæ ſunt filiæ Cimonis, & puerpera Romæ, Cantanæi iuuenes, & Aeneas. Secundò, gratitudo pro hoſpitalitate. dant enim ciconiæ hoſpiti ſuo, in cuius tecto uel domicilio habitant, pullum pro hoſpitij officio. Tertio, caſtitas, & fœdarum libidinum puniendarum ſeueritas. Memorant enim ſenes, ſe uidiſſe agmina ciconiarum in ſolo facta, et in medio ſtatutum inceſtum, magno impetu ab alijs impetitum, et roſtris enectum. Idq́; factum eſſe Creutzburgi, Turingiæ oppido, ſpectantibus multis hominibus: ubi tandē diſſoluta

concione

Digitized by Google

concione auolantibus cunctis, duæ ciconiæ in prato mortuæ ſunt repertæ. Quartò, prudentia in cauendis antè proſpectis periculis. Cum Aquileia poſt longam oppugnationem in hoſtis Attilæ *manus uentura eſſet, ciconiæ habitantes in turribus, relictis nidis ſuis aufugerunt, ore exceptis ſuis pullis: & hoc uelut augurio prodiderunt urbem, anno* Chriſti *454.*

Tertium, Phœnicis: *qui pictura eſt renaſcentium ex morte.* Vnde *conſentaneum eſt, phœnicem conſpectum ante poſtremum annum* Neronis, *ut refert* Dion, *ſignificaſſe reſurrectionem* Chriſti, *& omnium credentium, ex morte, diuinitùs recepta uita.*

Quartum, Pardalis: *cui* Daniel *comparat* Alexandrum Magnum. Item *ueſpertilio, grus, formica, alauda, delphinus, murena, gulo, hyena, halcyon, &c.*

SECVNDO, LAVDATIO LOCORVM, REgionum, inſularũ, montium et domorũ.

¶ *In locorum deſcriptione plerunq; tractari ſolent hi loci.* 1. *Situs & figura.* 2. Incolæ, *ueteres & recentes.* 3. Duces. 4. Qualitas *ſoli.* 5. Qualitas *aëris.* 6. Vrbes *in ijs ſitæ.* 7. Politia. 8. Mores *incolarum.* 9. Religio *& ſcholæ.* 10. Res *geſtæ memorabiles.* Exempla *petantur paſſim ex coſmographis & hiſtoricis.* Africæ *egregia deſcriptio eſt apud* Saluſtium *in bello* Iugurthino. Diſpoſitio *locorum hæc eſt.* Primùm *deſcribitur ſitus: 2, fertilitas ſoli, ſeu copia frugum & pecudum: 3, mores, ſeu ratio uitæ incolarum: 4, incolæ ueteres: 5, urbes, quæ ſunt* Carthago, Cyrene, Thereon, *&c.*

Deſcriptio Africæ.

Deſcriptio *Siciliæ, eſt in 4* Iuſtini Macedoniæ,

Digitized by Google

in 7. Ital*iæ commendatio illuſtris extat in 2* Georgi*corum* Virgil*ij*. Reg*iæ* Alcinoi, *in 7* Ody*ſſeæ* Home*ricæ*. Reg*iæ* Solis,*in 2* Metamorph.

Infernus. Inferni,*in 4,ubi hos locos pertractat.* 1, *ab aditu, ſiue ſitu & amplitudine.* 2, *ab incolis,quæ ſunt exanques umbræ.* 3, *modum gubernationis & actionum deſcribit.* 4, *cuſtodes & duces : qui ſunt,* Cerberus, Furiæ, *&c.* 5, *inamœnitas loci :* 6, *pœnæ ſceleratorum.*

In *domorum commendatione ſequimur ædificij diſpoſitionem,prout quælibet* pars *ſeſe offert, incipiendo ab atrio,et progrediendo uſq; ad faſtigium,connumeratis omnibus conclauibus, & adiunctis ornamentis.* Exemplo *ſit* deſcriptio *domus* Priami, *apud* Homerum Iliad.6. Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ πριάμοιο δόμον περικαλλέ᾽ ἵκανε, ξεστῇς αἰθούσῃσι τετυγμένον, *&c.* Eobanus *ſic reddidit :*

Ille domum Priami repetens,aſcendit in arcem.
Regia erat Priami nitidiſſima marmore puro,
Porticibus latis,circundata turribus altis.
Quinquaginta inerant thalami, quos ordine longo
Connectit ſeries longiſſima regia proles.
Intus habent Priami conſueta palatia nati,
Cum ſponſis : iuxta oppoſitam regionis ad aulam
Stant alij bis ſex thalami, Priamcia proles,
Quos habitant natæ, & generis caſtiſſima turba.

Domus *ſomni* deſcriptio eſt *in* 11. Met. Ouid.

TERTIO, LAVDATIO vrbium.

¶ *Sumuntur*

Digitized by Google

¶ *Sumuntur autem laudes urbium ex his ferè locis. 1. à ſitu. 2. ab antiquitate. 3. ab ædificijs. 4. à fluminibus, quibus rigantur. 5. à qualitate ſoli. 6. à qualitate aëris. 7. à moribus ciuium. 8. à forma* Reipub. *9. ab* Eccleſia *& ſcholis. 10. à rebus geſtis, & præclaris uiris.*

Exemplum laudationis vrbium.

De Erffordia.

Etſi multa ſunt quæ me abſterrere meritò poſſe uidentur, ne Erffordiæ *exemplo ad declarandum hoc laudationis genus utar: tamen non pauciora me, ut id ſubterfugere non poßim, inuitant.* Primùm *enim, quãuis arroganter alicui fortè facere uidear, ꝙ propriæ patriæ laudes deſcribere coner: tamen arrogantiam omnem, ut opinor, facilè excuſabit amor iuſtus, quẽ in me non exiguum erga hanc meam patriam eſſe libenter fateor.* Ac *opto ad exemplum coniugis* Erechtei *apud* Euripidem, *ut alij quoq; ſimili pietate eam complectantur.* Deinde *temerarium eſſe hoc meum inſtitutum nonnulli fortaßè iudicabunt, quòd ego neq; uſu rerum edoctus, neq; hiſtoriarum* Turingicarum *cognitione inſtructus, de hac urbe ſcribere animum inducã.* Verùm *hoc quoq; crimen, ut ſpero, amolietur neceßitas. quæ qualis ſit, inde facilè quiuis noſcere poterit.* Laudare *urbẽ aliquam omnino neceſſe habeo, ut exemplum diſcentib. proponam.* Quã *autem urbem magis ornare me decet, quàm illã, quæ me ceu pia mater genuit, enutriuit, et adhuc benignè fouet, alimentũ et domicilium ſuppeditãs?* Quare *totidẽ res ſunt quæ mihi*

Digitized by Google

ueniam conciliabunt et merebuntur apud bonos uiros, quot ad arrogātiæ ſuſpicionem adducere uidentur. Arrogantiæ enim ſeu ambitioni oppono pietatem, temeritati neceßitatem. Si cui minus ſatisfacere ſuſcepto negocio uideor, is hoc habeat reſponſum, me non ex profeſſo id agere, ut hanc urbem pro ipſius dignitate & amplitudine laudem: ſed tantùm exemplum qualecunq; in ea ſtudioſis monſtrare uelle. Quapropter breuiter per locos, ex quibus urbes laudari ſolent, ibo: & (ut cum poëta loquar) ſumma ſequar tantùm faſtigia rerum. Incipio autem à ſitu.

1. Situs. In nobili Turingorum prouincia mediū locum obtinet Erffordia: et eſt caput eius, ac q. metropolis. Ciuitas ipſa ampla eſt ualde, et in plano ſita: niſi ꝙ duos colles habet, in quorū uno magnifica tēpla ſunt, alterū beatæ uirgini Mariæ, alterū D. Seuero ſacratum. Alter, Petri nomen habet, in quo eſt auguſtum et regium monaſterium S. Petri, fundatū atq; ædificatum à Dagoberto Frāciæ rege, ut poſtea dicam. Cùm aūt ex cœli intuitu, et eiuſdē ad terram collatione, optimè loci et urbis cuiuslibet ſitus cognoſci poßit: hos etiā numeros addo. Eſt ergo Erffordiæ latitudo graduum 51 m. 10. Longitudo uerò graduū 28 m. 30. Vnde ſanè, et qua in parte mundi hæc urbs ſita ſit, & quanto interuallo ab alijs diſtet, etiam ab exteris facilè intelligi poteſt.

2. Vetuſta. Quia uerò uetuſtatis laus magna eſſe non immeritò ſolet, ita ut quo quidq; antiquius eſt, eo quoq; melius eſſe ducatur: reſpiciendum eſt, quoad longißimè per hiſtorias licet, ad præterita tempora, ut quæ huius urbis

bis origo, quæq; incrementa ſint, eruatur. Conſtat autem, Erffordiam cepiſſe initium ſuum tempore Arcadij & Honorij, optimorum Imperatorum, circa annum Chriſti nati 438. florente adhuc Eccleſia, & doctoribus ſaluberrimis affluente, imminenteq; iam triſti inclinatione & deuaſtatione imperij Romani. Cū enim anno octauo imperij Honorij. qui eſt annus nati Chriſti 406, Franci occupata urbe Treuirorum, à Romanis propter Lucij Romani præſidis nefarium ſcelus defeciſſent, & proprium regnū ſibi peperiſſent: placuit Turingis quoq;, regem ſibi deligere. Aſciuerunt igitur de conſilio regis Francici Meruuigum cognatum regis Francorum, cuius regiæ poteſtati parērent. Hic Meruuigus extruxit caſtrum in monte Petri, & aliud prope Erffordiam, quod Meruuisburck uulgò nominatur. Ab eo tempore Erffordia ædificari cœpta eſt: ita ut poſtea anno Chriſti 436. extructa & exornata turribus ædificijs & tēplis, urbis ſpeciē præ ſe tulerit. Hæc fuēre huius urbis primordia. Incrementa uerò tanta ſumpſit, ut dictu difficile ſit. Dicitur etiam aliquid opis ad exornationem & amplificationē illius attuliſſe Galliæ rex Dagobertus. Is.n. pertæſus iam belli, quietisq; factus appetentior, in Turingiā ſeceſſit, ibiq; monachis multa bona donauit, inſtituto monaſterio ordinis Benedictini in monte D. Petri. Fuit tunc in ſuburbio, ubi nunc Bruletum eſt, ſylua ceruis abundans, quam antè dictus rex unà cum alijs multis reditibus Petrenſi monaſterio donauit: manſitq; poſtea appellatio loci, ut nunc quoq; poſtquam ædificijs excultus &

Digitized by Google

urbi adiectus eſt, Ceruí bruletum denominetur. Etſi autem literæ Dagoberti locupletiſſimæ huius donationis teſtes Moguntiæ ſcriptæ et confirmatæ extent: tamen abbas Spanheimenſis Tritemius reclamat, probare ſtudens rationibus compluribus, monaſterium hoc à Dagoberto fundatum non eſſe, ſed à Guilelmo abbate Hirſaugienſi. Sic enim ex temporũ ſupputatione concludit: Dagobertus mortuus eſt anno 645 poſt natum Chriſtũ. Diploma uerò Dagoberti datũ eſt anno 706 in quibus numeris manifeſta eſt annorum 61 differentia. Neq; etiam ad Dagobertum ultimum fundatio referri poteſt, cum ille 715 anno regnare cœperit, et mortuus ſit anno 719. Ex quo ſanè ſequitur, eum tunc cum rex nondum eſſet, diploma haud tribuere potuiſſe. Sic ille quidem exiguè & exiliter ad calculum reuocat tẽpora. At quia ueſtigia atq; monumenta Dagoberti non obſcura Erphordiæ extant, non immeritò fortaſſis priori narrationi de fundatione Dagoberti plus fidei adhibendum exiſtimauerimus. Poſtea ſub Pipino Galliæ præfecto Erphordia ad religionem & fidem Chriſtianam conuerſa eſt, per Bonifacium monachum doctiſſimum: qui etiam templum beatæ Mariæ Erffordiæ ingentibus ſumtibus ædificauit: & inſuper epiſcopatum conſtituit, qui tamen non diu ibi durauit, ſed mox Moguntiam translatus eſt, circa annum Chriſti nati 720. Conſtitit aũt hæc conuerſio magno labore, Turingis ſcilicet obſtinatè ethnicam ſuam idolomaniã defendentibus. Cumq; abduci nulla ratione poſſent, armis cogi eos oportuit. Obſeſſi igitur in loco natura munito,

munito, quò metus cauſa profugerant, prope Vnſtratum inter Gebeſena & Herbeslebiam, de pacis conditionibus cum Bonifacio *agunt.* Hîc Bonifacius *nihil aliud ſe quærere aut ſpectare prolixè oſtendit, quàm ſalutem animæ ipſorũ, quæ in ſola et unica fide Chriſti filij* Dei *conſiſtat.* Turingi *uerò de ſuis interim commodis ſoliciti, eatenus obedientiam pollicentur, quatenus per* Bonifacium *liberari à rege* Vngariæ, *cuius tributarij erant, poßint.* Bonifacius *etſi rem arduã eſſe, quæ peteretur, intelligebat, & ad pontificem illam referret: tamen noctu in ſomnis uoce quadam cõmonefactus & confirmatus, à decimis regis* Vngariæ *mox* Turingos *liberat. Sic autem fidẽ Chriſtianam amplexi* Turingi, *non longe pòſt bello petuntur à rege* Vngariæ, *à cuius obedientia per* Bonifacium *abſoluti erant: quẽ tamen, intercedentibus cum* Bonifacij, *tum aliorum* Chriſtianorũ *tum ardentibus precibus, profligarunt, ſtatimq́; ſacro baptiſmate initiati crediderunt in* Chriſtum : *quoq; ab* Vngaris *tutiores eſſent, gubernatorem de* Stauſſenorum *familia à* Carolomanno *acceperunt.* Eſt *quoq; tunc conditum inſigne et admirabile baptiſterium, quod etiamnum in tẽplo* S. *Seueri reperitur.* Tandem *circa annum ſalutiferi* Virginis *partus* 1066, *muris foßisq; aqueis profundißimis urbs cincta & munita eſt: accreuitq; inſigniter ædificijs præclaris, domibus, monaſterijs, et tẽplis quamplurimis. Scotorum templũ fundauit* Vualterus *de* Glitzeberg *Mareſchalcus de* Kalẽtin, *cuius uxor fuit* Hedeuuich *filia Marchionis de* Foburg, *circa annum* M. XXVII.

Digitized by Google

Huius epitaphium in templo Scotorum extat. Quidã longius huius urbis originem repetunt, & Ptolemæo, qui poſt annos 139 à nato Chriſto claruit, quoq; notam fuiſſe Erffordiam exiſtimant. Quod enim ille uocat Bicurdium, id hodie Erffordiam dici autumant. Sed de hoc iudicet, qui uolet. Quoquo autem modo ſe res habet, conſtat ſanè peruetuſtam eſſe hanc ciuitatem, utpote quæ nunc ultra centũ & mille annos ſtetit. Si a~t gentem ipſam à qua incolitur, ſpectes, multo adhuc illa eſt uetuſtior. Non.n.dubium eſt, Turingos eſſe Tyrigetas illos, qui ad Iſtrum et Tyram fluuiũ olim ſederunt, duceq; Odoacro partim in Italiã, partim ad ſeptentrionẽ progreßi ſunt, et has ad Salam fluuium in Herciniæ uallib. ſedes ſibi fixerunt. Et fit mentio Turingorũ paßim in hiſtorijs Cæſarũ Romanorum, Valentis et Theodoſij: quæ omnia antiquitatẽ huius gentis demonſtrant. Quis .n. adeò eſt rerũ imperitus, ut neſciat, tẽpore Valentis, cũ Conſtantinopolis oppugnaretur à Gotthis, Turingos ſtrenuè Imperatorẽ adiuuiſſe? Quis ignorat, ſub Theodoſio Turingos unà cũ Saxonibus, ad defendendos cõtra Sarmatas imperij limites, exercitum duxiſſe? Deniq; adeò nobilitata eſt uirtus Turingorum ut non ſolum coniugij fœdera Romanis ducib. cum regib. Turingorũ interceſſerint, ſed etiã ad Imperatoriam dignitatẽ præſides Turingici euecti ſint. Nemini .n. ignotum eſſe arbitror, Landgrauium Turingiæ Henricum electum eſſe Imperatorem Lugduni: quãmuis mox fortunæ iniquitate preſſus, uitam Deo et naturæ reddiderit, cum Vlmæ globo traiectus perijt.

Digitized by Google

perijt. Hæc inſignis fortitudo, animoſitas et induſtria bellica Thyrigetarũ, prædicatur paßim à multis rerũ ſcriptoribus. Certũ eſt enim, præclaram operã nauaſſe Turingos multis imperatoribus, in expeditionibus: & iſto etiã nomine in primis charos illis fuiſſe. Sed hæc lõgius pſequi non eſt opus, cũ nemini Thyrigetarũ uirtus ignota ſit. Nomen aũt Erffordiæ inde ortũ eſſe tradunt. Fuit in eo loco ubi nunc ferè eſt templũ D. Andreæ, uilla cognomento Schildenroda, ad hanc tranſitũ ſeu paſſagium, ut uocant, habuit celebris quidã molitor in Bruleto, per Hieram ibi ſtagnantem Illi molitori nomen fuit Erff: inde urbem totam Erffordiam, quaſi dicas Erffsfurdt, appellatã eſſe ferunt. Quanq̃ ſint qui nomen Erphordiæ ab Hiera fluuio, qui Erphordiã interlabitur, deductum putent, Hieræq; nomen à Tyra, qui Ptolomæo auctore Sarmaciæ fluuius eſt in Europa, originẽ traxiſſe. Eſt autẽ hæc urbs ædificijs quamplurimis referta & amplificata, adeò ut latißimè ſeſe extendat. Templa habet frequentißima. In extruendis autem domibus mediocritatem adhibent ciues, quæ in omni uſu cultuq; uitæ laudatur: cauentq;, ne inutili ſumptu & magnificentia extra modum prodeant: quo in genere multum boni ineſt, teſte Cicerone. Nec tamen deeſt ædificijs mundicies, ornatus & elegantia. Pagos habet in uicinia multos & proprios, non ſolùm ſplendidis ædificijs exornatos & ampliatos, ſed pratis & fertilibus agris diuites.

3. Nomen.

4. Aedificia.

Arcem habet extra mœnia, ſed tamen proximè urbem in uertice montis ſatis munitã, et rebus ad defen-

Digitized by Google

ſionem neceſſarijs inſtructam, cui à D. Cyriaco nomen inditum eſt.

5. Flumina. Flumen unum habet præcipuũ, quod in urbe paſſim copioſè fluit, ambitioſeq; eam rigat, expurgans ſordes & inquinamenta. nomen ei eſt Hiera.

Abundat etiã fontibus ſaluberrimis. Proximè urbẽ eſt multarum ſcaturiginũ concurſus, unde aqua largiſſimè promanat, et ciuibus multa cõmoda præſtat. Intus uerò tã multi cũ publici tũ priuati ciuium ſingulorũ fontes ſunt, ut uix domũ unam ἄνυδρον reperias. Hæc fontium abundantia magnam parit amœnitatem toti urbi. multi hinc horti, multæ piſcinæ irrigantur, aluntur arbores, & omnis generis ſata. Solum porrò præcipua quadam bonitate & fertilitate donatum eſt, et fruges fert tanta cum liberalitate & ubertate, quãta uix ulla alia Germaniæ regio. Qua quidem in re cœleſtib. etiã cauſis adiuuari uidetur, quas tamen breuitatis cauſa commemorare nolo. Mira prædicãt de ubertate prouentuum agri Turingici ueteres agricolæ, & unũ frumenti medimnum plus decuplo reddidiſſe affirmant. Sed nũc aliquanto infœcundior facta eſſe uidetur. quãdo omnia unà cum ingraueſcente, & ad finem magna contentione properante mũdo ſeneſcunt, et languidiora reddũtur. Veruntamen gignit adhuc ager Erffurdenſis ſextuplũ, et octuplũ, aut ãplius: quod fœnus ſanè haud exiguum eſt, & immenſi beneficij loco numerandum. Etſi autem agros Gerari uicinos centuplum genuiſſe Iſaaco, ſacra Scriptura teſtatur: quod idem quoq; de Byſatio Plinius refert, et Herodotus de Babylonico

6. Soli fertilitas.

lonico

lonico agro aſſerit, quòd pro uno modio ducentos, aut etiã trecentos refundat: tamen hæc quoq; non eſt exigua ubertas, qua Deus Turingicum *ſolum donauit, ut quæ ad uictum ſalubrẽ et optatum hominib. temperantibus maximè ſufficiat, et alios etiã uicinos populos ex* Turingia *frumentũ petere et auehere iubeat.* Etſi *aũt* Turingia *propter talem pinguedinẽ et fœcunditatem agrorum plus ſatis ad corporis ſuſtentationem commeatus habere uideatur: tamen cum* Deus *punire gentem uult, inter cætera mala etiam agrorum ſterilitatẽ immittit. id quod anno à nato* Chriſto 1368 Turingia *inſigniter experta eſt.* Eo *enim tempore tanta fames totam illam regionem oppreßit et diuexauit, ut inopia panis penè innumerabiles homines quotidie morerentur, adeò ut non regio, non in urbe uicus, mortuorum corporibus uacuus relinqueretur.* Vnde *ſanè multa milia hominum miſerè fame inediaq; diu excruciati, tandem contabeſcentes mortui conciderunt.* Cuius *rei memoria frequens eſt* Erffordiæ, *cùm propter monumenta quæ conſeruantur hodie: tum propter conſuetudinem pinſendi panes minutos, exigui orbiculi aut oui colũbini inſtar, quos* Marceſios *uocant, quoſq; ſingulis annis circa diẽ* D. Marci *piſtores diuendunt, quorum unus tribus nummis noſtratibus ualuiſſe dicitur.* Hoc *horrendum ſpectaculum conſiderare atq; meminiſſe nos oportet, ut intelligamus, diuinitùs contingere alicui terræ fœcunditatem: & Deum ſæpe contemtum ſuorum beneficiorum grauißimis exemplis punire.* Agnoſcamus *igitur beneficia* Dei: *et ſedulo prece-*

Digitized by Google

mur, ut in poſterũ nobis uictum et amictũ impertiat,et tam diuã famem clemẽter à nobis auertat. Vineæ porrò circa urbẽ plurimæ ſunt, quæ uinum ſanè ſatis magna cum ubertate ferunt. Nec penuria eſt cæterorum fructuũ, quæ in arborib. naſcuntur: item leguminum, olerum,et ſimilium. Cumq; paſtionem pinguẽ pariat fertilitas agrorum, & aquæ copia, ſuppetit huic urbi mediocris prouentus pecudum:nec deficiunt piſces & uolucres. Vt uerò aliarum regionum peculiaria quædam dona diuina eſſe ſolent, quibus cæteras anteeant: ita huic quoq; urbi ſuum munus haud contẽnendum à Deo eſt tributum Sicut igitur Medi malis punicis, Arabes thure, Indi auro, Palæſtina olim balſamo, alij alio in genere excelluerunt: ita Erffordenſis terra iſatide præſtat,cuius ad tingendas lanas quantus uſus ſit, uulgo notiſſimum eſt. Quare ſi hoc ſolo bono ornata eſſet Erffordia,magnã gratiam Deo deberet. Verùm accedit aliarum quoq; rerum, ad uictum quotidianum neceſſariarum,non contẽnenda copia. unde ſanè fit, ut cum aliæ urbes et regiones uix ſingulæ ſingulas procreent fruges : hæc omnes ferè profundat ſimul,triticum,olyram,hordeum,auenam,iſatidẽ,legumina,olera, poma, pyra, & ſi qua ſunt alia eiuſdem generis. His omnib. accedit etiã cereuiſia potus non inſuauis,ſed ſalubris et delectabilis Etſi aũt quidam hoc genus potus reprehendunt,et noſtratem cereuiſiã (propter craſſitiem fortaſſe,quæ in illa aliquanto maior eſt quàm in pleriſq; alijs) contemnunt: tamen fatendum eſt eã non aſpernandã eſſe, ſed alimentum exhibere bibentium corpori-

corporibus utile, et grato inſuper ſapore palatum delectare. Hæc cõmoda patriæ decet nos ſtudioſè & crebrò in animo cogitare, exuſcitareq́; ſimul mentes noſtras ut hæc ingentia Dei beneficia, quibus hanc urbẽ præ cæteris cumulauit, agnoſcamus: iiſq́; cum reuerentia, pietate, et gratiarũ actione ſumma utamur. Errat enim uehementer, ſi quis putat caſu hæc tanta dona alicui terræ euenire: ſed ſtatuendum eſt, diuina prouidentia et bonitate terram quotannis fœcundari, ut tot & tam uarias fruges ad uitæ ſuſtentationem neceſſarias gignat atq; profundat. Et haud ſcio an maius ullũ prouidentiæ diuinæ opus in terris reperiatur, quàm hæc annua terræ fœcunditas, & frugum prouentus. Par eſt igitur, et conuenit, hanc beneficentiam & liberalitatem Dei erga nos grato animo complecti, & crebris ſermonibus celebrare atq; prædicare: orareq́; ſimul ardenti pectore, ut hic benigniſsimus pater porrò etiam hanc regionem fœcundet, & urbem totam cuſtodiat, foueat atq; conſeruet. Ad quam cogitationẽ non parum proderit, aliarum regionũ et urbiũ tenuitatem et penuriam conſiderare, quibus uix minima pars horum commodorum ſuppetit. Sed pergo ad reliqua. 7.

Aërem habet hæc ciuitas commodum et ſalubrem, non nimis craſſum, non impurum, non turbidum, neq; nebuloſum. Nam, ut antè dictum eſt, ſi quæ in ea colliguntur ſordes, quibus aër infici poſſet, eæ à profluente aqua abſterguntur, & conſumuntur. Huius rei gratia ualde commoda eſt ad habitandum ciuitas, & multi uitantur morbi. Quis enim neſcit quantum ad Aeris qualitas.

ualetu-

Digitized by Google

ualetudinem tuendam, & ad ingenia moresq; alendos atq; formandos emolumenti conferat aeris ambientis ſalubritas?, & contrà quàm graues morbos pariat, quantumq; aciẽ ingenij obtundat eiuſdem impuritas?. Quocirca hoc quoq; non poſtremum Dei beneficium eſſe exiſtimemus, quòd cœlum hoc quo nos utimur, non nimis craſſum ſit & concretum: ſed ſatis clemens, temperatum, & ualetudini quàm minimè perniciofum.

¶ Hactenus ea ferè bona, quæ à natura Erffordiæ cõmodata ſunt, expoſui. Nã opportunitas et fertilitas loci, naturæ quædã commoda ſunt, et ab ipſa reguntur. Nunc uerò cum mores etiam incolarum, qui naturæ bonis fruuntur, ſcire liberale ſit (iuxta Homericum illum Vlyſſem, qui non ſolùm urbes multas, ſed plurimorum etiam mores explorauerat) dicendum porrò eſt de ſtatu uitæ & morum Erffordiæ.

8. Mores ciuiũ. Eſt itaq; hæc ciuitas bene morata & culta: & uiget in ea urbanitas, comitas, et humanitas: ſeruatur mutua officiorũ communicatio: ſunt familiares congreſſus, colloquia, conuiuia: colitur affabilitas, & ſtudium concordiæ: quæ laus utinam uerè nunc in hoc peſtilentiſsimo ſeculo, adeò exacerbatis & exulceratis plerorumq; animis, uerè non ſolùm de Erffordia, uerumetiam de alijs prædicari poſſet. Sed tamen eſt in pleriſq;, præſertim quod ad externam conuerſationem attinet, quædã haud culpanda ciuilitas, ingenuitas, integritas & modeſtia. Accepit enim Turingia, perinde ut cæteræ Germaniæ regiones, ex Muſarũ, quæ hactenus Dei benefi-

Digitized by Google

beneficio feliciter nobiſcum conuerſatæ ſunt, conuictu & familiaritate, magnam cùm morum, tum ingeniorum culturam & expolitionem: adeò ut nunc humanitate, facilitate & manſuetudine cum quauis alia gente optimè morata certet. Hoc enim commodi præter cætera ex literarũ bonarum ſtudio & tractatione conſequimur, ut extirpata feritate animi ad uerã modeſtiam & humanitatem traducantur & aſſueſiant. Id quod certè inſigniter pleriſq; Germaniæ regionibus ſuperioribus annis contigit. Quæ enim nunc regio eſt, quæ ciuitas, qui pagus, qui non aliquid humanitatis ex familiari Muſarũ conſortio contraxerit? Terra ipſa mediusfidius, ne dicam homines, oppida, agri, aër, cœlum deniq; ipſum clementius multo factum eſſe uidetur, quàm antea, cum barbaries, inſcitia & ſæuitia tanquam ſentes & tribuli omnia loca longè lateq; impleuêre. Ariſtippum ferunt, cùm naui fracta omnia ſua bona amiſiſſet, uixq; ex mari cum paucis ſocijs ad littus Rhodium ſaluus ueniſſet, eo nomine lætatũ eſſe, ſibiq; & ſocijs gratulatum, quòd in eo loco tabulam quandam Geometricis figuris conſignatam repeperiſſet. Id enim certum indicium eſſe iudicauit, incolas illos, cùm literis eſſent exculti, etiam humanitatem erga hoſpites naufragos eſſe uſuros. Veriſsimum enim eſt quod Ouidius dixit:

Adde, quòd ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Nec aliud certè Theocritus uoluiſſe uidetur, cum ita de Muſis inquit:

—ὄυς γὰ ὁρῶσαι
γαθεῦσιν, τὼς δ᾽ ουτι ποτῶ δαλήσατο κίρκα:
& in Idyllio 16, cum ita incenſus Muſarum amore exclamat:

—τί γὰ χαρίτων ἀγαπητὸν
ἀνθρώποις ἀπάνευθεν, ἀεὶ χαρίτεσσιν ἅμ᾽ εἴην:
quàm ut hanc diuinam literarũ uim exprimeret, quam in excolendis hominum mentibus ac naturis ſibi inſitã habent, ut uidelicet eas emolliant, & uera moderatione referciant. Sed longius effluit oratio, quã uolo. Quare me ad id quod inſtitui, refero. Magnum (inquam) decus, magna utiq; gratia, amœnitas et uenuſtas toti Turingiæ ex ſtudiorum liberalium cultu & tractatione acceßit. Quocirca ſi ueram comitatem, nitorem et ciuilitatem retinere cupit, ut literas bonas, earumq́; cultores reuerenter amplectatur, foueat ac tueatur neceſſe eſt: ne auolantes Muſæ, omnem importatam ſuam humanitatem ſecum auferant, & fœdæ barbarici iterum locum relinquant. D Philippus Melanchthon iudicauit Tyrigetas ualere ingenijs. Cum enim κράσεις corporum ſoli ubertati ſoleant reſpondere, fit ut corpora ἔυχυμα καὶ ἔυκρατα ſenſus habeant acriores, & impetus ad uirtutem ardentiores.

9. Forma ſeu ſtatus Reip.

Status politiæ Erffordenſis commodus eſt, & regitur à ciuibus qui ætate, ſapientia, cõſilio et induſtria cæteros anteire putantur. Hæc Reipub. forma laudatißima eſt, & ualde utilis ciuibus. Deliguntur enim cum conſenſu & ſuffragio ciuium, perſonæ idoneæ ad obeunda munera Reipub. annuatim: & inuitantur ciues

ues hac honorũ diſtributione ad induſtriam,integrita tem & grauitatem uitæ. Nihil enim tam allicit et ſtimulat animum ad uirtutẽ quàm præmiorũ ſpes propoſita.Ita etiam maximè fit,ut quilibet ſtudeat ſuam uirtutem in communem ſuæ patriæ utilitatem conferre. quam rem præcipuam felicitatem ciuitatibus adferre, Menecæus apud Eurip. aſſeuerat:

εἰ γὰρ λαβὼν ἕκαστος, ὅ, τι δύναιτο τις
χρηστὸν διέλθοι, τοῦτο κεἰς κοινὸν φέροι
πατρίδι, κακῶν ἂν αἱ πόλεις ἐλασσόνων
πειρώμεναι, τὸ λοιπὸν εὐτυχοῖεν ἄν. id eſt:
Si ſumat vnuſquiſque quod poteſt bonum,
Id conferat in patriæ commoda ſuæ,
Et ſedulò iuuet ſalutem publicam,
Ingens ſequetur ciuibus felicitas.

Quapropter amandus eſt hic ſtatus: & ſumma cura, ſi cui ciuitati contingit,ſeruandus. Nota enim eſt uox Achillis, qui negat ſe in illa Repub. uiuere poſſe, in qua boni & mali,prudentes & imprudentes pari honore afficiuntur.

10. Eccleſia & Scholæ.

Venio nunc ad locũ de Eccleſia, &, quæ cum illa coniunctæ ſunt,Scholis. Etſi autem hæc ornamenta de quibus hactenus diſſerui,ampla ſunt,& magnifacienda: tamen multo diuinius eſt,Eccleſias & Scholas in ciuitate rectè eſſe conſtitutas. Quid enim ſunt opes uniuerſæ,& diues omnium rerum abundantia in ciuitate,ſine uerbo Dei ſaluifico,quàm inania θέλγητρα, quibus miſerum genus humanum deluſum ſaginatur ſicut porcus, & ad extremum fit ferculum diabolorum

rum

Digitized by Google

rum præſentiſſimũ? Sic itaq; ſtatuo, nullum eſſe excellentius & præſtabilius decus in ciuitate, quàm Eccleſiam: ea ubi eſt, uerè felicem, beatã & opulentam reddit ciuitatem. Non.n.poteſt non uberrima Dei benedictio eſſe in ea urbe, quæ cœleſtis fontis riuulis irrigatur atq; fœcũdatur. Regius propheta Dauid cõmendaturus Hieroſolymam, ita eius laudem extulit Pſ.122. Hieruſalẽ ædificatur ut ſit ciuitas, in qua conueniatur, ut illic aſcendant trib. Domini ad teſtimoniũ Iſrael, & ad confitendum nomini Domini. Quare hæc Erffordiæ laus eſt omnium maxima, quòd Eccleſiam ſonantem doctrinam ueram de Deo & filio eius Ieſu Chriſto habeat. Eſtq; hoc beneficium Dei inæſtimandum erga hanc urbem, quòd in tanta confuſione et perturbatione rerum, incorruptam adhuc Euangelij doctrinam in ea retinet: ita ut à Prophetis primùm, poſtea à Chriſto ipſo, & tandem ab Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus & ſanctis patribus tradita, & nobis relicta eſt, & tandem in hac poſtrema & delira mundi ſenecta denuò inſtaurata, & ab omnibus corruptelis et erroribus (quibus diu oppreſſa iacuit) repurgata, & in priſtinam dignitatem uindicata eſt. Sonat.n.Eccleſia noſtra purè et ſincerè oẽs partes doctrinæ Chriſtianæ, et κατήχησιν diligenter & fideliter iuniorib. inculcat: uſumq; Sacramentorum uerum & integrum, ſicut à teſtatore & authore ipſo Chriſto inſtituta ſunt, ſine omni Sophiſtica retinet. Hoc ornamentum ſummum huius ciuitatis eſſe iudico, quòd ſit in ea hoſpitium Chriſti, & cœtus amplectens ac ſonans uerbum Dei,
uerè

Digitized by Google

uerè inuocans ac celebrans Deũ in nomine Ieſu Chriſti. Et cum (ut uenuſtiſsimè dixit Baſilius) nihil iucundius ſit quàm Eccleſiæ ciuem eſſe: haud ſanè uideo, quæ Reſpub. optabilior eſſe poſsit, quàm ea quæ Eccleſiæ hoſpitium benignè præbet. Vereor dicere de Scholis, ne fortè alicuius moroſè iudicantis animum offendam: ſed tamen dicam quod res eſt. Scholæ templis in parrochijs ſingulis adiunctæ, mediocriter conſtitutæ ſunt. erudiuntur in ijs pueri fideliter in Grammaticæ rudimentis: & quod præcipua laude dignum eſt, aſſueſcunt pueri puellæq; ad Catechiſmi recitationem in Scholis, templis, & ædibus priuatis. Hæc res quàm pia, quamq; Deo grata & utilis pueritiæ ſit, facilè eſt iudicatu. Faxit Deus, ut porrò talia exercitia pietatis inter nos conſeruentur, & ad omnem poſteritatem uſq; propagentur.

Academiam habet antiquiſsimam in Germania, exceptis paucis: Moguntina ſcilicet, Treuirenſi, Heidelbergenſi, Ingolſtadienſi & Viennenſi. Initium autem Erffordẽſis Academiæ dedit annus Chriſti 1392. ſub Vuenceslao. Cæteræ Academiæ Germaniæ recentiores ſunt. Fuit autem hæc Erffordenſis Academia quondam celebris & honorata propter frequens bonarum literarum ſtudium, & doctorum uirorum abundantiam. prodijt enim ex ea, tanquam ex equo Troiano, innumerabilis eruditorum copia, qui paſsim per Germaniam diſperſi, Reſpublicis & Eccleſijs utiliſsimè inſeruierunt. Peperit ea Iuriſconſultos, Theologos, & Medicos plurimos: adeò ut nuſquam felicius

Digitized by Google

quàm Erffordiæ literas diſci, pleriq; putarent. Sed nunc languidiora ſunt in ea artium ſtudia, minor etiam de eadem exiſtimatio. Reſtant tamen qualeſcunq; reliquiæ, nec omnino hic ſacer Muſarum ignis extinctus eſt. Habuit etian nuper doctos uiros, qui Græcè & Latinè literas feliciter docuerunt, & Theologiam profeßi ſunt: inter quos præcipui ſunt, reuerendus pater Dominus Martinus Lutherus, membrum quondam huius uniuerſitatis dignißimum. clarißimus Doctor Ioannes Langius, Doctor Iuſtus Ionas, Doctor Georgius Sturtius, medicus celeberrimus: Eobanus Heſſus, poëtarum & Germaniæ totius decus maximum: Victorinus Strigelius, Theologiæ & humanioris literaturæ profeſſor feliciſsimus: Martinus Scidemannus, præceptor meus perpetua obſeruantia, pietate atq; gratitudine mihi colendus: & alij multi. Nec adhuc doctis uiris uacat, ſed retinet aliquos qui Græcè, Latinè & Hebraicè cum iuuentutis fructu & acceßione ad liberalia ſtudia docent, & artes methodicè & perſpicuè tradunt. Et anno ſexageſimo ſexto ſupra milleſimum quingenteſimum iterum ſacra Theologia ſecundum Auguſtanam confeßionem purè in collegio doceri cœpta eſt.

Si quis autem quærat à nobis, cur hanc laudabilem Academiam diminui, & priſtinam dignitatem amittere paßi ſimus: huic ita reſponderi fortaſſe non incommodè poſſet. Non adeò hebetes ſumus, ut accepta à maioribus bona, omni cura et uigilantia non ſolùm cuſtodienda, ſed etiam ampliora reddenda eſſe ignoremus:

Digitized by Google

mus: ſed tamen non ſemper in humanis uiribus ſitum eſt, ut bene res ſuccedant, uel retineantur. Sic etiam de Academia noſtra appoſitè dici iudico: non quidem uoluntatem bonorum ciuium ad inſtauranda et ſeruanda literarum ſtudia defuiſſe, ſed alia incommoda inſtitutũ eorum impediuiſſe. Et reuerà in humanis rebus ita comparatum eſt, ut nihil perpetuò floreat, ſed fatalis ſit quædam uiciſsitudo & mutatio, ita ut alterum alteri cedat. Ita etiam, cum in Germania, diuina gratia, exorirentur utiliſsimæ aliquæ Academiæ, ceſsit illis Erffordiana, ſeſeq; uinci & exui paſſa eſt. Eſt enim, ut Phyſicorum uerbis utar, generatio unius, corruptio alterius. Et uenit mihi ſæpe in mentem, colloquium Pompeij cum Cratippo: in quo cum Cratippum rogaret, cur, cum meliorem tueretur cauſam, à Iulio tamen uinceretur? Reſpondit is, Eſſe fatales imperiorum periodos, & iam conuerti Romanam remp. ad Monarchiam. Non diſsimiliter ferè, cum ſuam quaſi periodũ confeciſſet hæc Academia, florere deſijt, & præbuit locum alijs. Veruntamen non perpetuò, ut ſpero, in tanta obſcuritate iacebit: ſed refloreſcet aliquando, Deo iuuante, & priſtinum decus recuperabit. Iacta ſunt iam nunc fundamenta non exigua emendationis & inſtaurationis: quæ ut Deus clementer proueat, toto pectore oro. Prædicant Thyrigetarum uirtutem Strabo et alij rerum ſcriptores: & in primis placuit Henrico Imperatori, in urbe Hieræ retineri atq; florere Eccleſiæ & humaniorum literarum ſtudia, ſeruariq; docentium ac diſcentium agmina, ut doctrina uera

de Deo *& alijs rebus ſalutaribus rectè tradi, & ad poſteros tranſmitti poßit.* Huic *priſtinæ maiorum uirtuti, & ſapientißimi* Imperatoris *conſilio parêre* Erffordi*am iuſtißimum eſt, ut & antiquæ ſuæ laudis poſſeßionem retineat, & opinionem optimi* Cæſaris *de ſe conceptam non fallat.* Q*uod ſanè facturam illam eſſe, omnino confido, ut uidelicet doctrinam* Eccleſiæ *& literarum ſtudia incorrupta tueatur, & doctis uiris benignè hoſpitium præbeat, eosq; amet atq; defendat.* Q*ua quidem in ſpe atq; cogitatione non mediocriter me confirmat doctißimi uiri* Petri Moſellani *coniectura, ſeu potius diuinatio de* Academia Erffordienſi. *Sic enim auguratus eſt, fore ut conterritis ac dißipatis per principum inteſtina dißidia atq; tumultus uicinis* Academijs, Erffordia *diſperſas & exulantes* Muſas *hoſpitio excipiat.*

II. Res geſtæ.

Dicam *nunc etiam de rebus geſtis huius urbis, quod tamen faciam parcius: non quòd laude dignæ non ſint, ſed ne modum inſtitutæ orationis excedam.* Experta *eſt ſanè hæc urbs utrunq;, & belli incommoda, & pacis emolumenta.* Geßit *olim bella utilia, ſicut monumenta multa adhuc oſtendunt, paßim in* Turingia *& locis uicinis.* Anno Chriſti 1300. *geßit bellum cum* Friderico Turingiæ Landgrauio *et* Marchione Miſnenſi *per annos ſeptem: quo in bello adeò periculoſa fuit in his locis profectio, ut uiæ pleræq; radicibus & herbis undiq; oppletæ ſint & tectæ: fuitquè cauſa belli iuſta defenſio emptarum quarundam iuriſdictionum & aduocationum ab* Alberto Land-

grauio.

grauio. Deinde anno Chriſti 1335. obſeſſa eſt Erffordia à Marchione & Moguntino epiſcopo, collatisq; ſignis in Bruleto, uix tandem pax eſt facta. Iterum anno 1373. exarſit bellum inter Marchionem Miſnenſem & Erphordenſes ob electum Adolphum Naſſauienſem epiſcopum, quem Papa ſuffragante Marchione & alijs principibus repudiabat, Capitulum uerò & Erphordenſes defendebant: hoc tamen anno 1375. compoſitum eſt. Interim anno uidelicet 1473. bellum ad Noueſium, quatuor infra Coloniam miliaribus, exortum eſt, quod Carolus Burgundiæ rex obſederat. Ad hoc profecti Erphordenſes cum exercitu 350. uirorum, ita ſuam fidem & induſtriam Imperatori Friderico probarunt, ut fidelis filia nominata ſit Erphordia, quæ contra honeſtatem nunquam egiſſet. Sed graue eſt, & magno conſtat, bellum gerere: præſtatq; ſemper quocunq; modo pacem quærere, quàm ad arma deſcendere. Quare nunc à bellis libenter abſtinet, & pacem colit, nec facilè cuiquam belli ſocietatem paciſcitur. Eſt autem laude dignum hoc ſtudium, uitandi occaſiones ſumtuum bellicorum, & omnibus rationibus pacem tuendi atque retinendi. Eſt enim, Cicerone teſte, etiam iniquiſsima pax iuſtiſsimo bello præferenda. Sed plura de hoc argumento dicere non decreui. Quare contenti ſimus his patriæ noſtræ laudibus, quòd honeſtam originem, fertile ſolum, ſalubrem aerem, aliaq; ad uictum neceſſaria, ciuium inſuper cultum, ædificiorum & morum elegantiam habeamus: & in primis, quòd Reipub. noſtræ ſtatus

Digitized by Google

commodus ſit, & Eccleſiæ uerbum Dei purè & ſincerè ſonent, in ſcholisq́; iuuentus piè erudiatur, & uigeat apud nos ſtudium pacis. Quæ autem ad pleniorem Erffordiæ commendationem pertinent, nunc lubens omitto, & alijs pertractanda relinquo. Non enim mei eſt inſtituti, iuſta oratione hoc argumentum perſequi. Hanc autem breuem & rudem commemorationem cum propter alias cauſas, quas ſuprà recitaui, inſtitui, tum etiam ob hanc, quòd opera quæ in patria ornanda inſumitur, pia eſt, & deducit nos ad agnitionem & celebrationem beneficiorum diuinorum, ſicut Poeta inquit:

Et pius eſt patriæ facta referre labor.

Te uerò Ieſu Chriſte, fili Dei uiui, crucifixe pro nobis & reſuſcitate, inuoco & oro, ut lucem uerbi tui, cuius radios iterum in hac urbe clementer accendiſti, benignèq́; hactenus conſeruaſti, firmiter in cordibus noſtris obſignes, ac ſerues inter nos pacem & diſciplinam, tum bonarum artium linguarumq́; utilium theſaurum præclariſſimum cuſtodias & propages: ut etiam poſteri noſtri te uerè agnoſcant, colant, inuocent atq́; celebrent. Dixi.

QVARTO, LAVDATIO FLVMINVM & fontium ſumitur ex locis his.

¶ 1. Ab origine. 2. Ab amplitudine & ornatu. 3. à Colore. 4. à Curſu. 5. à Locis quæ interlabuntur & irrigant. ultimò, à Piſcibus, et alijs accidentib.

Exem-

Digitized by Google

Exemplum deſcriptionis fontis Ouidianæ Metamorphoſis libro 4.

Fons erat illiminis, nitidis argenteus vndis,
Quem neque paſtores, neque paſtæ monte capellæ
Contigerant, aliudúe pecus : quem nulla volucris,
Nec fera turbarat, nec lapſus ab arbore ramus.
Gramen erat circũ, quod proximus humor alebat,
Syluaque, ſole locum paſſura tepeſcere nullo, &c.

Studioſi ſumant exemplum à fonte, qui prope urbem noſtram eſt in Bruleto, *&* Tripidax *à noſtris appellatur, eumq; deſcribere pro uiribus nitantur, cuius deſcriptionis hi debent eſſe loci:* 1. *ab* Ortu: *apparet ex monte plures ſcaturigines in unum fontem deriuari, unde & triplicem fontem nominarunt.* 2. *ab* Amplitudine, *ſeu figura, & amœnitate. eſt enim*

Margine gramineo patulos ſuccinctus hiatus.

3. *à* Calore: *eſt purus, & tenui perlucidus unda.* 4 *à* Curſu: Effluit *leui gratoq; ſuſurro.* 5. *deriuatur latè, irrigatq; multos in uicinia hortos: pars etiam in urbem perlabitur.*

QVINTO, LAVDATIO HORtorum & agrorum.

¶ In *hoc genere præcipuè amœnitatem, & genus bonitatemq; fructuum deſcribimus.* Exemplum ex li*bro 7. Odyſſeæ, de horto* Alcinoi :

ἔκτοσθεν δ᾽ αὐλῆς μέγας ὄρχατος ἄγχι θυράων τετράγυος, &c.

Hortus erat magnus, pulchrā prope conſitus aulā,
Quattuor amplexus cubitos, atque vndiq; ſeptus.
Arbor ibi florens longè ſuccreſcit in altum,
Et pyra cum pomis, & punica mala refulgent,
Et fici pariter dulces, oleæque virentes.
Harum non ceſſat fructus, neque deficit vllo
Tempore, hyems fuerit ſiue æſtas, durat in annum,
Dū Zephyrus nunc elicit hunc, nūc percoquit illū:
Succeduntque pyris ſemper pyra, malaque malis:
Vua recens ſequitur veterem, ficum alter ficus.
Fertilis hæc valde eſt, radiceque vinea firma:
Namque alias vuas, vbi ſoli eſt campus apertus,
Siccari videas, nonnullas falce putari,
Calcari quaſdam, quaſdamque vireſcere crudas,
Floribus emiſſis, nec matureſcere paucas:
Parte at in extrema deſcripti tramite ſulcj
Omnigeni exiſtunt, longum florentque per annū.
Suntque duo fontes, quorum totum alter in hortū
Spargitur, alter ad excelſam perlabitur aulam,
Vnde ſolent ciues gelidos haurire liquores.

Exemplum de Amaranto purpureo.

Varias huic herbæ appellationes indiderunt. Quidam, ut autor eſt Dioſcorides *libro 4. capite 52.* ἑλίχρυσον: *alij* Chryſanthemum, *nonnulli* Amarantum *uocauere. Germani floramor,* vnd tauſendt ſchön. *Amarantus autem dicitur, quod non marceſcat: ut inquit Plinius libro 21. capite 8. Secundò, de forma. Caulam habet*

habet craſſum, pinguem, ſubrubentem: florem ſpicatum, & admodum purpureum: uel (ut Plinius *ait) eſt ſpica purpurea uerius quàm flos aliquis, ſine odore.* Et *quod admiratione dignum eſt, gaudet decerpi & lætius renaſcitur.* 3. Naſ*citur nunc copioſè in omnibus locis, ubicunq; ſeritur, & in hortis figulinis plantari paßim ſolet.* 4. Prouenit *menſe* Auguſto, *& in autumnum uſq; uiret: cumq́; iam cæteri flores omnes defecerunt, hic aqua madefactus reuiuiſcit, & texendis corollis hybernis materiam ſuppeditat.* 5. Tem*peramentum eius eſt frigidum & ſiccum.* V*ſus illius in medendo plurimus eſt.* Prim*ùm flos ipſius potus, medetur cœliacis & dyſentericis.* 2. *reprimit abundantiam menſium, & albas fluxiones uteri.* 3. *iuuat expuentes cruenta, propter fractum aliquod uas in pulmone aut pectore.* Plures *uſus recenſet* Dioſcori*des.* Hæc *deſcriptio appoſitè applicari poteſt* Eccle*ſiæ: quam collationem ſi quis integrè tractare uelit, facilè iuſtam orationem inde contexet.* Prim*ùm quidem,* Eccleſia *nunquam marceßit: hoc eſt, non poteſt ullo unquam tempore deleri, aut extirpari, etiamſi ab innumeris hoſtibus undiq; prematur atq; oppugnetur.* Secundò: Eccleſia *eſt purpurea, tincta & conſperſa ſanguine purpureo immaculati agni* Ieſu Chri*ſti.* Et *ut color purpureus eſt formoſißimus, ita* Ec*cleſia nihil eſt pulchrius & delectabilius: ſicut etiam ſponſus eius* Chriſtus, *in cuius ulnis requieſcit, & complexibus hæret, forma antecellit angelos, et omnes à ſe fabrefactas creaturas.* Tertiò: Eccleſia *cum gau-*

Digitized by Google

dio decerpitur: hoc eſt, patienter ſuffert afflictiones, ſine fremitu & indignatione. & renaſcitur lætius: hoc eſt, ex calamitatibus emergit, proferens fidem, & fructus pœnitentiæ lætiſsimos: ut ſunt uera agnitio Dei, inuocatio, confeſsio, & uirtutes cæteræ. Quartò: Naſcitur Eccleſia ubicunq; uerbum Dei ſonat, & fide ab audientibus accipitur. Quintò: Quamuis ab initio mundi ſtatim Eccleſia ſeminata & plantata ſit: tamen prodijt potiſsimùm in Auguſto, cum Chriſtus natus ex Maria uirgine, imperante Auguſto, uerbum patris de gratuita remiſsione peccatorum accipienda fide, diuulgauit, & longè lateq; per Apoſtolos protulit. Duratq; Eccleſia in autumnum uſq;: hoc eſt, uſq; ad conſummationem ſeculi, quando arbores & plantæ omnes, hoc eſt, totus mundus flaueſcet & concidet. Sextò: Eccleſia quamuis areſacta & intermortua, non tamen interit. ſed diuinitùs recepta uita, ex monumentis excitatur, & prodit ornata gloria, & noua luce. Eſtq; Eccleſia corona Dei, laudans & celebrans cum in hyeme: hoc eſt, in uita æterna, cum hæc terrena ſeu mundana omnia abolita ſunt, & perpetuum eſt ſabbatum ſeu quies. Septimò: Eccleſia quoq; multos, magnos & ſalutares uſus confert. ſiſtit fluxus: hoc eſt, credentes ſedant prauos cordis motus, & affectus efferueſcentes & inquinantes totum hominem. Secundò, mollit pulmonem & pectus, ut homo ſalutaria ſentiat & loquatur. Hæc prolixius, qui uolet, tractet.

Aliud exemplum, de vite vinifera.

Memini

Meminiſtis ſaluatorem noſtrum Chriſtum apud Euangeliſtam Ioannem ſeipſum nominare uitem: Apoſtolos uerò ſuos, palmites. Quo ſanè exemplo nos omnes commonefacit, ut & naturam huius plantæ conſideremus, & utilem doctrinam etiam inde capiamus. Quare non ſolùm pium eſt & utile, in deſcriptione uitis elaborare: ſed etiam præceptum à Deo. uult enim is, nos non ſegnes & rudes creaturarum ſpectatores eſſe, ſed ita intueri, ut diuina myſteria illis inſculpta eruamus atq; cognoſcamus. Quapropter operæprecium non aſpernendum faciemus, & Deo etiam cultum gratum præſtabimus, ſi uitium naturam expoſuerimus, & oratione exornauerimus. Ita enim fiet, ut & Chriſtum ipſum penitius quaſi introſpiciamus, & noſcamus, ſi eam rem, cui ſe aßimulat, perſpectam habuerimus: tum noſtrûm etiam ipſorum, quos palmites ſuos uocat, officiũ rectius intelligamus. Ad hoc non parum etiam nos mouet hoc tempus, quo uindemia inſtat, & ex uuarum expreſſo liquore uinum, potus ſaluberrimus, efficitur. cumq; in hac regione creber ſit uitium uſus intra urbem in hortis, & extra in uinetis, parum memores diuinorum beneficiorum uideremur, niſi ad conſiderationem uitium ſemel nos exuſcitaremus. A ſententia ſeu voce Chriſti.

Quocirca conabimur breuitur earum naturam deſcribere, adiuncta ſimul dulcißima applicatione ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, et palmites eius Chriſtianos. Propoſitio.

I. Nomen.

Principiò, quãuis nominis ratio exigua ſit, nõ eſt tamen prætereunda ſilentio. Dictam enim eſſe uolunt uitem, quòd ad pariendas uuas inuitetur.

Digitized by Google

tur. Gignitur autem uitis, ex alia uite uetula, ſuppreſſa per inflexos arcus: ſicut alioquin ex arborum ſtirpibus ſurculos emergere uidemus. Forma uerò illius

2. Forma. per ſe tenuis, humilis & deſpecta eſt. adeò enim natura caduca eſt uitis, ut niſi fulciatur, ad terrā feratur. nihilominus tamen mirificè ſeſe extendit, profert & augeſcit. Ex cortice enim contortus natus caudex, in frequentes ſcinditur ramos, ſparſis longè lateq; flagellis ſeu clauiculis, quibus quaſi manibus proreptans ſeſe erigit, & quicquid eſt nacta complectitur. Virgulas, quas ſarmenta uocant, luxurioſè gignit: quæ multiplici & erratico lapſu ſerpentes, arte agricolarum ferro amputantur, ne (ut Cicero ait) uitis ſylueſcat, & in omnes partes nimia fundatur. In repurgando autem, ſeu putando, aiunt falcem hirci ſanguine eſſe oblinendam, ne emergentes gemmæ ab erucis erodi poſſint.

3. Locus. Etſi autem ipſæ uites copioſè, & quidem haud difficulter creſcant: tamen non ubiq; proueniunt, neque eodem modo fructum ferunt. quædam enim loca omnino uitium non ſunt feracia: nonnulla uerò uites recipiunt, ſed uinum acerbum generant. Sunt autem ad felicem uitium prouentum duo neceſſaria: ſoli ſcilicet habilitas, & cœli clementia. Solum, uites ſuo complexu continet: cœlum, uim omnem creſcendi & matureſcendi ſuppeditat. Ac terra quidem ipſa per ſe nihil efficit, ſed mortua eſt: cum uerò ſolis calore tepeſit, ſuccúmque ſalubrem accipit, fit fœcunda, producens germen, & eos fructus quos cernimus. Neq; tamen terra eſt quæ uiriditatem & frugem tam admirabilem

rabilem fundit, ſed ſolis calori tota illa uis accepta refertur: qui & terram fœcundat, ac fructus elicitos coquit & perficit. His tamen accedere neceſſe eſt artem & diligentiam agricolarum. Sunt enim palmites fructuarij induſtriè alligandi palis, & terra ſubactionibus mollienda eſt, repurgandaq́; à zizanijs, ne creſcentes uuæ ab ijs infeſtentur atq; ſupprimantur. Quo tempore germinent uites, manifeſtum eſt. Prodeunt enim ſeu uireſcunt ineunte uere, & primùm exiſtit tanquam ad articulos ſarmentorum in præciſione relictorum ea quæ gemma dicitur: à qua oriens, ut ait Cicero, uua ſeſe oſtendit. Hæc autem ſimulatque naſcitur, ueſtitur undiq; folijs latis & laſciuientibus, quos pampinos uocant, ne incommodo aliquo ſolis ardore lædi poßit. Ex gemma exudant guttæ, quæ lachrimæ nominantur: quarum uſus in medendo eſt non contemnendus, ut medici tradunt. Tandem autem circa ſolſtitium floret uua odore gratißimo, opplens prætereuntium nares: ſuntq́; flores lanuginei, ambientes fructum ſolertißimè. Poſthac paulatim ſeſe proferunt acini, qui primò quidem peracerbi ſunt guſtu: ſed poſtea ſolis calore percocti & maturati, dulceſcunt tempore autumnali. De temperamento uuarum tradunt medici, & præſertim Simeon Sethi, eas calidas & humidas eſſe in primo gradu. Quod autem ad uſum attinet, conſtat uuas bene nutrire: utpote quæ, Galeno teſte, minimum praui ſucci habent, ſi probè maturæ ſint. Sed is fructus longè eſt uberrimus & ſaluberrimus, quòd uinum ſalubriter paſcit corpus, &

4. Tempus.

5. Temperamentum.

6. Vſus.

feſſas

Digitized by Google

feſſas animi uires ſuauiter recreat, ſeu (ut Homerus uocat medullam hominum ſuppeditat: quo quid poteſt eſſe lætius, & uſu commodius? Cæterùm intercedit uiti miranda ſympathia ſiue cognatio cum olea: quemadmodùm contrà eſt ἀντιπάθεια ſiue diſsidium eiuſdem cum braſsica. cum enim olea uiti inſeritur, gignit utrunq; fructum, & uuas & oleas, ſeu uuas referentes ſimul uuarum & oliuarum ſaporem. Si uerò ad radices uitis aſsita fuerit braſsica, notabili interuallo naturaliter refugere dicitur, ut pertinax & perniciale quoddam odium inter utranque deprehendas. Vnde etiam ad arcendam temulentiam, & uini noxam, eſu braſsicæ uti quidam ſolent. Recenſui breuiter per locos omnes uitium deſcriptionem: nunc de applicatione aliquid dicam. Statuamus igitur primùm, Chriſtum eſſe uitem patulam, & quamplurimis diffuſam palmitibus. ita enim ipſe ſeſe uocat Ioannis 15. Attribuamusq; illi omnes has proprietates, quas in uitibus enumerauimus. Primùm conſtat uitem non ex ſeipſa oriri, ſed ex alia naſci: ita Chriſtus, uerus Deus, ante ſecula genitus eſt ex ſubſtantia æterni Patris: adeóq; imago eius eſt ſubſtantialis & integra, ſplendorq; gloriæ illius (ut in epiſtola ad Hebræos dicitur) & lumen de eius lumine, ut habet Symbolum. Habet itaq; Chriſtus ſuam eſſentiam à patre, ita ut illi ſit ὁμοούσιος, id eſt, coëſſentialis, pari potentia & maieſtate. Hanc generoſam uitem ex ſeſe genitam, poſtea denuò naſci uoluit æternus pater, inſerens eum utero uirginis Mariæ puriſsimæ: ſicut

συμπάθεια et ἀντιπάθεια.

Applicatio.

I.

ſicut promiſerat in Paradiſo, ut ex homine prodiens, omnes homines ſibi copularet, et tanquam palmites inſereret. quod etiam factum eſt. Quotquot enim receperunt eum, hos per uerbum ſuum & Spiritum ſanctum regenerauit, & palmites ſuos effecit, ut ſibi coaleſcentes, ſimul uitæ cœleſtis participes fierent. Eſt igitur Chriſtus propago patris æterni, et uera uitis, nata per Spiritum ſanctum ex Maria uirgine: nos uerò ſumus eius palmites, inſiti & innati illi tam arcta coalitione, ut cum ipſo unum ſimus, copulati inſeparabiliter. Sicut inquit ipſe ſuauiſsimè apud Ioannem 15. Ego ſum uitis uera: manete in me, & ego in uobis. Etſi autem Chriſtus ſua natura eſt ſplendor patris, ſeu ἀπαύγασμα omnium ſpecioſiſsimum & illuſtriſsimum: tamen forma maſſæ humanæ, quam ex nobis aſſumpſit, ualde deſpecta, humilis & exilis coram mundo fuit, adeò ut multi ea ſcandalizarentur: quòd, ut Eſaias ait, aſpectus illius quàm aliorum hominum deformior eſſet. Placuit enim illi colligere palmites ſibi in hoc mundo, non magnificentia mundana, ſed potentia & efficacia ſui uerbi. Ideo eximaniuit ſeſe, ut Paulus ait, aſſumpta forma ſerui, & factus nobis ſimilis, ut per hanc ſimilitudinem æterno fœdere nos ſibi copularet: Deoq; obediuit uſque ad mortem, ut nos æterna morte ereptos uitæ reſtitueret. De hac uili forma concionatur Pſalm. 22. ubi Chriſtus ſeſe uermem, & non hominem, opprobrium & abiectionem, ſpectaculumque ſeu fabulam uulgi nominat. Eodem habitu quoque indui neceſſe eſt omnes Chri- II.

Chriſtianos. Vt enim uitis & palmitis naturalis eſt cognatio & conformitas: ita nos conformes fieri imaginis Chriſti oportet. Quare non eſt quòd ſplendorem aut fucatam huius mundi gloriam affectemus: ſed dum in hac uita ſumus, humi ſtratos contemtuiq; & riſui ſuperbis diaboli aulicis nos eſſe neceſſe eſt. Veruntamen quamuis nec ornatu neq; uiribus cum potentibus & magnificis huius mundi dominis certare poßimus: tamen non deeſt etiam nobis uenuſtas & amœnitas, qua delectari non mediocriter poſſumus. Sumus enim uirides & elegantes palmites uitis noſtræ Chriſti, enati ex medulla eius, attrahentes inde ſuccum & pabulum corporis & animæ dulcißimum. Quid delectabilius bonæ, non delicatæ menti eſſe poteſt, quàm uidere uitem quamplurimis palmitibus ceu ramulis diffuſam, & in uno quolibet eorum eminentes uuas turgidas, & ad optatam maturitatem contendentes? Sic profectò nobis nihil tam iucundum accidere poteſt, quàm cum cogitamus de ſuauißima noſtra copulatione cum Chriſto, quòd ex ipſo uires & incrementa ſumentes, læti ſuccreſcimus, & ad uindemiam cœleſtem tota animi contentione aſpiramus atq; properamus. Porrò ſicut in palmitibus ſuperflua quædam ſarmenta ſunt, quæ ſuccidi oportet: ita in Chriſtianis quoq; redundantes quidam affectus ſunt, quos reſecari neceſſe eſt, ne fides & inuocatio impediatur. Sunt enim multi uitioſi motus & pruritus carnis, qui niſi ſedentur, & (ut Paulino uerbo utar) mortificentur, fides ſuffocatur, & Spiritus ſanctus excutitur.

Digitized by Google

cutitur. Quamobrem neceſſariæ ſunt Chriſtianis afflictiones, quæ concupiſcentias prauas deleant, ne nimium euagantes in extremum malum erumpant. Debent autem afflictiones tinctæ eſſe ſanguine Chriſti: hoc eſt, conſolatione de merito Chriſti, & uita æterna, ne fides elangueſcat & deficiat. niſi enim in ærumnis hoc remedium ſiue ſolatium adhibeatur, exiſtit indignatio & fremitus aduerſus Deum, & tandem deſperatio: quia ſatanas crebrò exprobrat nobis calamitates, & inſultat nobis cupitq; eo pacto nos à fiducia in Deum abducere. Huic ſarcaſmo remedio eſt ſanguis Chriſti, ut cogitemus firmißimè non diuturnam fore miſeriam, ſed ſecuturum æternum gaudium, partum nobis iamdudum atq; paratum per mortem Chriſti. Cum ita per crucem maceramur atq; repurgamur: tunc exurgit gemma illa nobilißima, ſcilicet fides, quæ uera & ſolida eſſe non poteſt, niſi per crucem ſit probata, & quaſi expreſſa Hoc igitur fructus ex calamitatibus capimus, ut fides inde in nobis excitetur, et incrementa ſumat, gignatq; nouos illos fructus ueræ agnitionis Dei, confeßionis, inuocationis, dilectionis & patientiæ. Hæc gemma ſeu ſcintilla fidei paulatim adoleſcit atq; augeſcit, donec matureſcat, & fructum uitæ æternæ conſequatur. Nam initium fidei exile eſt: ſed ſenſim magis atq; magis accreſcit & roboratur calore ſpiritus cœleſtis, ſicut Paulus ait Rom. 1. Reuelatur iuſticia Dei de cœlo ex fide in fidem. Et Chriſtus Ioannis 15. ait: Omnem palmitem in me manentem, & fructum ferentem, purgat pater, ut fructum

maiorem adferat. Sunt uerò quidam palmites in Eccle-
ſia prorſus luxuriantes,quiq; corrigi aut ſanari ſeſe nō
ſinunt. hi acutiſsima falce reſcindendi ſunt, & reijci-
endi, ne ſua laſciuia & labe cæteris palmitibus noce-
ant. Talis palmes in uinea Corinthiaca fuit inceſtuo-
ſus ille,qui nouercam duxerat: quem Paulus communi-
5. one Eccleſiæ eijci iubet. Cæterùm ut non ubiq; terra-
rū naſcuntur uites : ita neq; Chriſtus pariter ab om-
nibus gentibus accipitur. Sunt enim quidam homi-
nes adeò duri & horridi,ut cœleſtem culturam Spiri-
tus ſancti non admittant, ſed contumaciter repudient.
Horum ſterilitatis cauſa non eſt agricola pater cœle-
ſtis,neq; ſol iuſticiæ filius,neq; radius ſolis,Spiritus ſan
ctus: ſed contumacia & peruerſitas cordis ipſorum,
quòd in peccatis perſeuerare quàm emendari malint:
ſicut Turci barbariē et ſpurciſsima flagitia plus quàm
uites nobiliſsimas diligunt. Etſi enim ſaluatio hominis
ſit ſolius Dei opus: tamen homo operationem Dei non
proteruè aſpernari & repellere debet. Vt enim terra
quæ uites non gignit per ſe, calore cœleſti efficax &
frugifera redditur: ita quoque neceſſe eſt, ut oblata
Dei gratia ſubmiſſos & obedientes miniſtros Deo a-
ctori nos præbeamus. Sed pergo ad reliqua. Palmites
Chriſti,ut toties iam dictum eſt,ſumus. Iam uerò ea
eſt ratio palmitum,ut à uite toti pendeant, indeq; ſuc-
cum & uigorem omnem hauriant, atque accipiant.
Quid enim palmes habet ſucci aut uirium, niſi ex ui-
te attrahat? Ita ſanè nos quoque ex plenitudine Chri-
ſti accipiamus neceſſe eſt, quicquid ſpiritualis intelli-

gentiæ

Digitized by Google

gentiæ atque fidei habemus. Non enim ullam ſcintillam fidei aut ueræ agnitionis Dei nobiſcum natam circumferimus, ſed horrendi & præfracti ſumus natura. Quamobrem non nobis aſſcribere poſſumus neq; initium, neque incrementum, neque perfectionem iuſtificationis: ſed id omne uni uiti noſtræ Chriſto acceptum referendum eſt. Is nobis de ſua ſuperabundanti uirtute, per Spiritum ſanctum, ſuccum fidei impertit, renouat nos, fouet, & fructus dignos Chriſtianis in nobis gignit atque conſeruat, pro ſua bona uoluntate, & ingenti miſericordia: ſicut ad Philip. 2. ſcribitur. Sicut enim palmes ſine uite areſcit & perit: ita nos quoq;, niſi inſeramur Chriſto, ab eoq; uegetemur & regamur, uaſa iræ Dei ſumus, ſimiles Sodomitis & Gomorrhitis. Studium ſolummodo noſtrum adhibere debemus. Sicut enim agricola uineam colit, & uitem naſcentem ſua opera iuuat: ita nobis opera danda eſt, ne Chriſti uiuificatoris & regeneratoris noſtri actionem impediamus, indulgentes uitijs atque concupiſcentijs: cauendumq;, ne noſtrapte culpa gratia Dei excidamus: & ſicut Eua à ſerpente decepti, à Chriſto abſtrahamur. Quare cohibendi ſunt affectus uitioſi, ſeduloq; rogandus Deus, ut ſpiritum efficacem nobis largiatur, quo duce carnis actiones reprimere poßimus. Quod porrò de tempore prouentus uitium dictum eſt, pulchrè huc etiam accõmodari poteſt. Prodijt .n. Chriſtus tempore ueris, cum primùm promißio de uenturo Meßia Adamo & Euæ in Paradiſo ederetur. Floruit autem in ſolſtitio: hoc eſt, inclinante iam

mundo, & ad finem tendente, cum conciperetur in utero uirginis Mariæ, anno poſt promiſſionem factam 3962. Tunc enim gratum illum ſuum odorem de placatione iræ Dei, & receptione peccatorum ad gratiam & uitam propter mortem & reſurrectionem ſuam, longè lateq; ſparſit & extulit. Matureſcit uerò in autumno, anni exitu: hoc eſt, Chriſtus colligit ſibi Eccleſiam uſq; ad conſummationem huius ſeculi, tunc enim maturata Eccleſia fructum Deo patri adferet, et uindemiam lætiſſimam pariet, recipieturq́; ab eo cœleſti hoſpitio, ac fruetur quiete & gaudio ſempiterno, unà cum uite ſua fœcundiſſima & ſuauiſſima Chriſto. Labruſcas uerò, id eſt hypocritas & tranſgreſſores uoluntatis ſuæ, abijciet Deus in ignem inextinguibilem, atq; comburet. Ad hanc uindemiam nos toto pectore præparemus, petamusq́; ut Deus calorem & uirtutem efficacem nobis impertiat, quo alamur & perficiamur ad æternam uitam. Interim cum Propheta clamemus, & ſedulò ita oremus: Deus Sebaoth conuertere, reſpice de cœlo, & uide, et uiſita uitem iſtam, & confirma eam, quam plantauit dextera tua: Pſal. 80. Poſtremò quoq; addendum eſſe breuiter cenſeo, quod de cognatione uitis cum olea ſuprà retulimus. Eſt. n. hæc quoq; imago ſuauiſſima, pingens uenuſtè cognationem Chriſti cum gentibus & Iudæis. Inſeruit enim ſibi utrunq; populum, ut ſimul ambo creſcant, & fructum unum Deo placentem gignant. contrà uerò naturali diſſidio fugit Chriſtus turgidam & inflatam ſapientiam humanam, quam ſibi quis extra lucem uerbi di-

bi di-

Digitized by Google

bi diuini arrogat et circundat: quæ reuera eſt mate- ries et alimentum ſecuritatis, et peccatorum horrendo- rum. Hoc indicari uidetur per ἀντιπάθειαν *illam, quã ſuprà inter uitem & braßicam eſſe diximus. Ita ui- detis ſtudioſi, quàm multas illuſtres ſimilitudines hæc uitium conſideratio ſuppeditet: pingit enim & de- clarat totum Chriſtum. propago enim uitium, natu- ram eius diuinam & humanam eleganter adumbrat. Cætera omnia beneficia eius erga nos, & uiciſsim no- ſtrum officium erga ipſum repræſentant. Oremus ita- que hanc uitem noſtram Ieſum Chriſtum, ut nos ſuos palmites tegat & foueat, ſuccũmq; & uigorem cle- menter impertiat, donec maturi facti fructum patri noſtro lætißimum adferamus, laudando & celebran- do ipſum in omni æternitate. Amen.*

Plura exempla, ad tractandum auditoribus propoſita.

1 *De ficu, quæ imaginem refert diſciplinæ. Deſcri- ptio diſtribuitur in quinq; locos præcipuè. Primùm, fici non florent, & fructus citius prodit quàm folia. Idem de ſcilla quoq; ſcribit Theophraſtus lib. 7. quòd caulem & flores prius gignat quàm folia.* 2. *Ge- rit ſuum fructum non ſub, ſed ſupra folium, ſeu (ut Theophraſtus inquit)* ὄπισθεν τοῦ θρίου. 3. *Facilè, antequam matureſcat, fructum perdit: ſunt enim mi- rabiles abortus in ficis.* 4. *Fert geminos fructus. unũ genus immaturum manet, & uocantur illi fici* ὄλυν- θοι *& großi: alterum genus tardius prouenit, &*

 dulce

dulce eſt, uocanturq; hæ ficus caricæ. 5. Cognationem habet cum ruta & ſcilla, quam Germani uocant Meerzuuibel. Creſcit enim ficus lætius & celerius, ſata iuxta ſcillam: & fici umbra adeò delectatur ruta, ut ſub ea proueniat copioſius. Hæc ad diſciplinam ita accommodentur. 1. Diſciplina externa non florẽ, neq; gratum odorem ullum in conſpectum Dei adferre poteſt. 2. Eſt mera ſimulatio iuſticiæ & ſanctitatis, & operimentum turpitudinis, foris apparens. 3. Detegitur hæc hypocriſis facillimè, & omnis uirtutis fucatus decor amittitur. 4. Non ſuſtinet, nec uincit dolores conſcientiæ, ortos ex ſenſu iræ Dei, ſed antè multò euaneſcit. At ea diſciplina bona eſt & ſalutaris, quæ fidem in renatis comitatur. Eſtq; durabilis altis nixa radicibus, & maturitatem conſequitur. 5. Diſciplina delectatur applauſu hominum, & magnificum ſplendorem opinionis iuſticiæ præ ſe fert. ſed ſi intus ſpectes, ſordet, & (ut Propheta inquit) eſt ueſtis ſanguine ſuffuſa & commaculata. Hæc omnia adũbrata eſſe uidentur in folijs fici, quibus Adamus & Eua, amiſſa uera luce, ſiue imagine Dei, nuditatem ſuam tegebant: Geneſis 3. & in ficu ἀκάρπῳ, quæ imago eſt reiectionis ſynagogæ: Matth. 12.

II. Sycomorus, quæ Lucæ 19 Sycomorea appellatur, eſt imago populi legis. Hiſtoriam deſcribit Dioſcorides in 1. Theophraſtus in 4. Nomen habet à ficu & moro. Vocatur etiam Sycaminos, fructus quoq; Sycomorum appellatur. Arbor ipſa fico non eſt diſſimilis, frondoſa: ter aut quater fert pomum, quod non matureſcit, niſi

niſi ſcalpatur ungue aut ferro: uel, ut Theophraſtus *ſcribit, niſi ungatur oleo.* Hac *uenuſtè legis populus ſignificatur, qui in operibus quidem ſummoperè ſeſe exercet & fatigat, ſed ſine* Euangelio *nihil proficit.*

III. Amygdalus, *cuius ſimilitudinem cum* Eccleſia *luculenter expoſuit uerſibus* Philippus Melanchthon.

IIII. *Sinapi, quod fidei naturam adumbrat.* Matthæi 13. Primò *enim magna celeritate ſuccreſcit in locis humidioribus, lateq́; funditur, ſurſum rectà tendens, & ad neutrum latus inclinans.* 2. Fructus *eſt acris & mordax, penetrans & purgans.* 3. Temperamentum *habet calidum, unde ad inflammandum & purgandum adhibetur: tum comitiali etiam morbo et lepræ medetur.* Hæc *ad fidei naturam ita accommodantur.* Primò, *fides in corde lachrymis ob admiſſa ſcelera humectato læte accreſcit, uires ac incrementa ſubinde recipiens.* Deinde *fides expurgat corda, uiuificat & corroborat, & aduerſus concupiſcentias carnis efficaciſsimum remedium præbet.*

V. *Myrrha, cuius fit mentio* Matth. 2. Pſalm. 44. *Sunt aũt tres præcipuæ poteſtates* Myrrhæ. Primùm *quidem uehementer detergit, ſed ſine exaſperatione.* Secundò, *coquit ſeu digerit, ſed ſine arroſione.* Tertiò *ſiccat, ſed ſine aſtrictione.* Eſt *autem* Myrrha *imago crucis, quæ* Eccleſiæ *imponitur.* Illa *enim abſtergit quidem, hoc eſt, macerat & affligit nos, uitioſos affectus cohibendo, & flammas cupiditatum aberrantes*

extinguendo: ſed ſine omni detrimento. non enim punit Deus Chriſtianos ut eos perdat, ſed ut ad pœnitentiam reuocet. Hiſtoriam deſcribunt Dioſcorides in 1, Plinius in 12, Theophraſtus in 9. Item uiola, olea, balſamum, malua, heliotropium, lilium, cuius meminit Chriſtus Matth. 6, &c.

DE LAVDATIONE GEMMARVM.

¶ *In deſcriptione gemmarum ſequimur eoſdem locos, quos in plantis oſtendimus. Primùm enim nomen exponitur ſecundò forma, tertiò locus ubi naſcuntur, quartò temperamentum, &c.*

Exemplum de Auro.

1. *Eſt aurum omniū metallorum ut precioſiſſimum, ita etiam ſplendidiſſimum, colore lucido, & fulgori ſolis perſimilis, adeò ut mirificè homines ad ſui amorem alliciat.* 2. *Naſcitur aurum in terræ uiſceribus paſſim in Germania, Pannonia, & alijs locis, ubicunq; cœlum ita influit, & elementares ſubſtantias diſponit, ut proportione ſeu uirtute pari ſibi inuicem commixtæ reſpondeant. Ferunt quoq; aurum quorundam fluminum arenæ ineſſe: ut Tagi in Hiſpania, Gangis in India, Pactoli, & cæterorum.* 3. *De uiribus auri ſcribit Auicenna lib. 2. quòd in omnibus ſuis partibus æquale ſit. Sed proprietas eius hæc maximè inſignis eſt, quòd in ignem coniectum non ſolùm non comburitur, aut minuitur, ſed etiam depuratius & ſpendidius efficitur.* 4. *Vſus duos maximè ſalutares habet. Primùm enim confortat & roborat mirum in modum cor, & facultatem uitalem: eſtq; ei cum*

corde

Digitized by Google

corde magna cognatio, propter temperamenti ſimilitudinem. Secundò aiunt uſum eius eſſe in arcendis ac prohibendis ſeminibus ſiue initijs lepræ, ne totum corpus ea inficiatur. Puluis enim aureus cibo potuiq́; admixtus, & puritatem ſanguinis conſeruat, & leprã retardat. Huc addi poteſt applicatio ad doctrinam Euangelij. *Eſt enim ea nihil pulchrius, nihilq́; precioſius, ſicut* Propheta *inquit: Quàm ſpecioſi ſunt pedes annunciantium pacem. Deinde doctrina* Euangelij *per certamina & crucem ſubinde fit purior & euidentior. Tertiò, reficit, conſolatur & confirmat cor. Quartò, eximit peccatum.*

Aliud, de lapide Amianto: ex 5. Dioſcoridis.

1. A *medicis & officinis nominatur hic lapis plumeum alumen: diciturq́;, quòd non polluatur aut commaculetur.* 2. Forma *ſimilis eſt alumini.* 3. Naſcitur *in* Cypro. 4. *Habet hanc admirabilem uim inſitam, ut ignibus iniectus ardeat quidem, ſed nihil igni deperdat, uerùm euadat ſplendidior.* 5. Reſiſtit *omnibus ueneficijs, & præſertim* Magorum, *ut ait* Plinius *lib.* 36. *Hæc conferri poſſunt cum* Chriſtianis, *qui primùm non polluunt ſeſe uitijs contra conſcientiam: deinde uarijs afflictionibus ſubijciuntur, ſed nihil tamen detrimenti capiunt, uerùm glorioſiores redduntur. Tandem habent efficaciſſimum remedium aduerſus uenenum ac ſophiſticam diaboli & hæreticorum, nempe uerbum* Dei.

Plura exempla ex Plinio *&* Dioſcoride *petantur.*

Digitized by Google

¶ *Margaritarum deſcriptionem adhuc addam, quæ aliquid lucis additura eſt ſimilitudini, qua utitur Chriſtus Matth.13.* 1. Nomen *Margaritæ cruſtam puram & amaram deſignat.* Latini *unionem uocant.* 2. *Naſcitur (teſte* Plinio *lib. 9. cap. 35.) in* Oceano Indico*: item circa* Arabiam*, in ſinu* Perſico Rubri *maris.* Gignitur *etiam in* Oceano Occidentali, Scotico *&* Anglico *ſinu: ſed neq; magnitudine neq; colore ſimilis illi, quæ in* Oriente *prouenit.* 3. *Modus uerò generationis ualde admirabilis eſt.* Gignuntur *à conchis marinis, quæ naturali quodam & arcano motu ueris tempore, ad concipiendi fœtus deſiderium uehementius ſtimulantur.* Quare *prodeunt ad littus, & incredibili quadam oſcitatione ſeſe pandunt, & ita dilatant, ut genitale ſemen attrahere atq; imbibere poßint.* Dum *autem ita patent atq; hiant, delabitur ros cœleſtis: quo concepto grauidæ fiunt, & in partu enituntur margaritas.* Hinc *pro roris ſuſcepti qualitate, etiam forma margaritarum uariare ſolet. ex puro enim rore candidæ, ex turbido ſordidiuſculæ margaritæ gignuntur.* Eſt *igitur & genitura & qualitas margaritarum planè cœleſtis.* Si *enim cœlum eſt ſerenum, ipſæ quoq; colorem ſereniorem induunt: ſin nubilum, ſuſcipiunt eundem: ſi tonat ac fulgurat, expauefactæ mirificè comprimuntur.* In *aqua quidem ſunt molles, extractæ uerò ſtatim duræ fiunt.* Ideo *captæ in uaſa fictilia conijciuntur, & ſale undiq; perſperguntur, ut caro illis adhærens erodatur.* 4. Hoc *enim facto, uniones ad imum uaſis decidunt, ab omni*

Digitized by Google

ſqualore ſeparati. 5. *Capiuntur autem conchæ illæ difficillimè. ſunt enim mira ſolertia præditæ, ad capiendi pericula euitanda: tamq; acriter piſcatorum manus à ſeſe arcent; ut apprehenſas eas ſua acie ſæpe abſcindant.* E*ſtq; illis (ut quidam tradunt) ad modum apum, dux: cuius munus eſt, proſpicere atq; cauere piſcatorum inſidias.* E*ſt igitur ſingulari arte atq; uafricie ad capiendas conchas opus.* 6. V*ires margaritarum duæ à medicis numerantur, magnificæ & ſalutares.* P*rimùm enim inſigniter iuuant cor, corroborando illud, & diſsipando noxios humores.* D*einde proſunt oculis, detergentes eorum nubeculas, & abſumentes eò confluentes humores, ſi collyrijs eas admiſceas* H*æc omnia transferantur ad uerbū* D*ei, ſicut* C*hriſtus ipſe explicat apud* E*uangeliſtam.* 1. V*erbum* D*ei eſt omnium preciosiſsimus & puriſsimus unio, & tamen aliquid amaritudinis ſibi adiunctum habet: hoc eſt, qui* E*uangelium amplectuntur ac profitentur, non poſſunt eſſe ſine aduerſitatibus, perſecutionib. & afflictionibus.* 2. N*atum eſt primùm, atq; etiam floruit uerbum* D*ei in* I*udæa, ſeu* T*erra ſancta: nunc uerò progreſſum eſt, & exortum quoq; in* O*ccidentalibus & Septentrionalibus regionibus.* 3. N*on naſcitur in noſtris cordibus, ſed diuinitùs demittitur hic ſalutaris ros* D*ei, quem filius* λόγος *ſonat per os* P*rophetarum & Apoſtolorum ſuorum, & inſtillat per* S*piritum ſanctum credentium cordibus.* E*t ut cæleſtis ſpiritus dat, ita etiam hic ros ſeu uerbum* D*ei in nobis exiſtit & efficax eſt: noſtrum tamen eſt,*

auidè

audè & ſedulò illud petere, & oblatum ſuſcipere & amare. 4. In ærumnis elucet maximè uis & dignitas uerbi Dei, atq; etiam repurgatur, ſicut margaritæ perſperſæ ſale. 5. Eſtq; uerbum Dei tanquam ſummus theſaurus, ſtudioſè & diligenter quærendum, amandum, & cæteris omnibus anteponendum: ſicut Parabola Chriſti uenuſtè oſtendit. Suſcipienda ſunt pericula, certamina: & uita ipſa potius relinquenda, quã uerbi diuini profeßio abijcienda. 6. Vtilitates uerbi Dei ſunt duæ præcipuè. Primùm, repurgare oculos et mentem, ut Deum rectè agnoſcamus per Chriſtum filium: quod fit, quando remittitur peccatum, et cohercentur affectus cordis ruentes contra legem Dei. Deinde, confirmare cor ueris & uiuificis ſolatijs, de reconciliata uoluntate patris per Chriſtum Ieſum Hæc conſolatio & gaudium cordis in hac uita inchoatur, at in æterna perficietur. Ex hoc argumento longa oratio facilè contexi poteſt: ego nunc locos tantùm monſtro.

¶ Huc pertinent etiam Epigrammata, Chriæ, &c. Conficitur autem Epigramma ex tribus ferè partibus: 1. Propoſitione. 2. Amplificationibus. 3. Epiphonemate.

Exemplum ex Pſalmo primo.

I. Propoſitio aucta eſt antitheſi. Hi non ſunt membra Eccleſiæ, quæ ſequuntur opiniones fanaticas de Deo & cultibus, humana audacia excogitatis: ſed qui Euangelium audiunt & amplectuntur.

II. Am-

Digitized by Google

II. *Amplificatio duas ſimilitudines continet: prior fructus & ſucceſſus* Eccleſiæ *depingit, poſterior infelicitatem* Eccleſiæ *falſæ illuſtrat.*

III. *Epiphonema ex loco utilis & inutilis, qua ſumma* Pſalmi *repetitur.*

Aliud ex Pſalmo 133. Ecce quàm bonum, &c.

I: Propoſitio: *Res ſaluberrima eſt doctrinæ concordia.*

II. *Amplificatio continet imaginem de balſamo & rore, qua ſuauitas & utilitas concordiæ illuſtratur.*

III. *Aſſeueratio ex promiſsione* Dei *de benedictione & uita.*

RATIO TRACTANDI χρείας, γνώμας ἀποφθέγματα.

I. *Commendatur ſententia propoſita, uel etiam autor eius ex locis honeſti.*

II. *Additur amplificatio, quæ uſum dicti explicet.*

III. *Accedit confirmatio ex cauſis, antitheſi, ſimilitudine, exemplis, teſtimonijs.*

IIII. *Concluditur breui* Epilogo.

Exemplum χρείας breue.

Diuus Baſilius *commendaturus* Eccleſiæ *doctoribus concordiam, dixit, tam eſſe opus concordia docentibus, quàm ſiniſtræ opus eſt dextra. Quod ſanè dictū doctrinam ſaluberrimam admirabili breuitate continet. Voluit enim uir ſanctus, & plurimo doctrinæ ſtudio, tum magno etiam uſu tractandæ* Eccleſiæ, *magnaquè ſuorum temporum uarietate eruditus, ſimilitudine rei,*

I. Dictū ipſum.

II. Explicatio.

ne rei, ex uſu quotidiano notiſſimæ, ſignificare utrunque, & quàm ſalutaris res ſit, uera inter docentes conſenſio, & quàm horrenda mala ex diſcordia inter eoſdem oriantur. Manui uni quàm neceſſarium ſit adminiculum alterius, omnes experimur. Ex quo natum eſt hoc tritum ſermone prouerbium: Manus manũ lauat, Manus manum fricat. Vt igitur in obeundis miniſterijs coniuncta dextræ et ſiniſtræ manus opera eſt neceſſaria: ſic in Eccleſia opus eſt mutuo docentium conſenſu, ut non ſolùm doctrinã eandem uno ore ſonent, ſed mentibus etiam & uoluntatibus inter ſe ritè congruant. Hoc ubi fit, efficax eſt doctrina, & propagatur feliciter. Quamuis enim fremat diabolus, & diſtractiones quærant ambitioſi: facilè tamen docentium concordia, uelut adamantino clauo repelluntur.

III. Confirmatio ab exemplo. Quantum profuit Eccleſiæ pius conſenſus præſtantiſſimorum doctorum, Baſilij & Nazianzeni: quorum alter alterum dimidium ſuæ animæ appellat? Ab antitheſi. Quàm pernitioſè uerò eandem turbauit & lacerauit diſſidium Arrij, & epiſcopi Alexandrini, cuius odio immanis illa beſtia, Arrius, tetrum & blaſphemum ſparſit dogma contra filium Dei? Neq; Baſilij A teſtimoniis. tantùm hæc eſt admonitio, ſed eadem eſt uox filij Dei, cum in agone orat ut unum ſimus: & Paulus hortatur ſedulò ad ſpiritus unitatem, iubens nos inuicem ſuſtinere in dilectione & uinculo pacis cum omni humilitate, manſuetudine & longanimitate, quæ dulces ſunt nutriculæ concordiæ, quemadmodum peſtes eiuſdem ſunt ambitio & impatientia. Quoticſcunq; igitur

tur manuum opera coniunctè uti neceſſe eſt, toties IIII.
ſubeat animum recordatio huius admonitionis Baſilij Epilogus.
de conſenſu doctorum, meminerimusq; tamdiu ſaluum fore Eccleſiæ corpus, quamdiu docentium concordia eſt integra: Hac uerò diſſoluta & uiolata, mutilationem certò ſecuturam.

TERTIA CLASSIS MATERIARVM generis Demonſtratiui, in qua continetur laudatio & vituperatio factorum.

LAudatio & uituperatio factorum ſumitur ex locis generis Deliberatiui, qui ſunt, Honeſtum, Vtile & Facile ſeu difficile. Qui enim factum commendaturus eſt, is dicat neceſſe eſt, quàm honeſtum illud ſit, quantas utilitates adſerat, quantoq; labore te induſtria cōſtiterit. Sunt igitur loci huius claßis hi:

1. *Honeſtum.*
2. *Vtile.*
3. *Facile & difficile. Huc quoq; gratiarum actiones pertinent.*

REGVLA.

In laudandis & uituperandis factis danda eſt opera, ut præcipua membra facti aptè transferantur ad locos communes uirtutum, qui adhibitis exemplis & circumſtantijs ornandi & amplificandi ſunt.

Exemplum.

Orationis Ciceronis habitæ pro M. Marcello, pars prior complectitur laudationem facti Iulij Cæſa-

ris,

Digitized by Google

in reſtituendo Marcello: cuius diſpoſitionem breuiter recitabo. Tota illa orationis pars conſiſtit in comparatione huius laudabilis facti, cum cæteris geſtis ſeu uirtutibus caſtrenſibus. Loci ſunt: Honeſtum, Difficile, & Vtile. Sed addam etiam Exordium. Eſt autem illud ſumtum à cauſa, cur ad dicendum redeat, quam ait eſſe inſigne beneficium Cæſaris erga Marcellum reſtitutum. Propoſitio: Nihil ex omnibus tuis rebus geſtis, quamuis ingentibus, laudabilius eſt hoc facto de reſtitutione Marcelli. Confirmatio ita diſponitur: Primò ponitur argumentum ab honeſto per comparationem, cuius ſenſus ſummatim ita comprehendi poteſt: Cæteræ tuæ laudes ſunt alijs quoque communes, quorum adminiculo eas adeptus es: ſed hæc gloria, parta hoc tuo clementi facto, eſt tota tua. Omittitur autem maior, quæ talis eſſe debet: Laus propria eſt honeſtior, quàm quæ adminiculo fortunæ aut aliorum paratur. Omittitur etiam concluſio, & differtur ad ſecundi argumenti Epilogum. Secundò ponitur argumentum à difficili, cuius ſumma eſt: In hoc facto uiciſti teipſum, quod multo difficilius eſt quàm hoſtes uincere. Hæc duo argumenta ita concluduntur: Itaq; C. Cæſar hoc factum eſt laudabilius omnibus uictorijs. Tertiò ſuccedit argumentum ab utili. 1. Primò enim ait, hoc factum æternam laudem pariturum eſſe. 2. Per id bonos uiros, qui uel errore uel metu ciuilia bella ſecuti erant, Reipub. reſtitui & ſeruari. 3. Pacem quæri & conſtitui. Hæc uarijs amplificationibus exornata tractantur uſq; ad concluſionem,

ſionem, quæ talis eſt: Quare gaude, & fruere iſta gloria, quam ſapientia & clementia tua peperiſti, & conſeruare bonos ciues conſtanter perge.

De tranſitu populi Iſraelitici per Iordanem, Ioſuæ 3. & 4.

Cum Deus*, cæſis omnib. primogenitis* Aegyptio*rum, ſuum populũ ex ſeruitute in terram promiſſam, lacte & melle fluentem educere uellet, ritum agni paſchalis inſtituit, ut memoriam & teſtimonium ſuæ uoluntatis perpetuum conſeruaret: iuſsitq́; eundem ritum annuatim repeti, & inculcari poſteris, ut de tanto beneficio diuinitùs præſtito commonefierent ac edocerentur.* Vult *enim ſua benefacta non latêre, ſed tanquam in illuſtri loco ſita conſpici, diuq́; et firmiter memoria teneri, atq; ad omnem poſteritatem propagari: ut iſtorum cogitatione in nobis accendatur & confirmetur fides, inuocatio & gratiarum actio, ſicut in* Pſ*alm. 78. dicitur:* Mandauit patribus *noſtris nota facere ea filijs ſuis, ut ponant in* Deo *ſpem ſuam.* Ita*, cum populũ ſuũ traduxiſſet per* Iord*anem, duce* Ioſ*ua, præcepit in perpetuam huius mirandi facti memoriam erigi duodecim lapides: mandauitq́;, ut interrogantibus filijs, quid ſibi iſti uelint? reſponderetur,* Deum *olim populum ſuum ſiccis uadis per illum locum* Iorda*nis traduxiſſe, ut omnes gentes potentiã ipſius cognoſcant ac reuereantur.* Cum *igitur* Deus *ab omnibus hominibus illuſtria & glorioſa ſua facta cerni, prædicariq; & magnifieri uelit, decet nos non ſolùm gratam*

A cauſa finali miraculorum.

Digitized by Google

memoriam eorum retinere, ſed etiam crebris cogitationibus & ſermonibus illa repetere & uſurpare, ut & agnitio benigniſsimè ipſius erga nos uoluntatis, & timor, cum uera fide & inuocatione in nobis creſcant ac corroborentur. Cùm autem ea uniuerſa ſimul neq; cogitatione comprehendi, neq; ullius humani ingenij ui ac dicendi copia enarrari poſsint: ſumamus in præſentia tantùm unicum eius factum, de traductione populi Iſraelitici per Iordanem: de eoq;, quantum cœleſtis orator λόγος καὶ εἰκὼν patris per Spiritum ſanctũ inſpirauerit, dicemus. Etſi autem tanta huius facti amplitudo & maieſtas ſit, ut neq; principium neq; finem orationis facilè inuenias, nec uerba ornamentaq; quibus illud efferas, ſatis apta ſuccurrant: tamen nos breuiter, ut omnia, ſumma tantùm faſtigia ſequentes, ut poeta inquit, certos locos, uelut fines terminosq; nobis proponamus, intra quos oratio tota contineatur. Referemus enim hiſtoriam totam ad locos honeſtatis, utilitatis, & difficultatis. Sed antequam id præſtamus, hiſtoria breuiter enarrãda eſt. Cùm Iſraelitæ iã annos 40. poſt exitum ex Aegypto in deſerto fuiſſent, mortuus eſt Moſes: quo amiſſo, magno in luctu & ſqualore fuit populus dies 30, quòd tanto heroe & præſide orbatus eſſet. Quia uerò promiſsionem ſuam de terra Chanaan, explere atque perficere Deus uolebat, uocat Ioſuam ad regendum & ducendum populum Iſraeliticum: eumquè autoritate, uirtute & prudentia eximia ornat: & ſucceſſus in negotijs uocationis tantos præbet, ut omnes ipſum reuereantur,

Propoſitio.

Attentio.

Narratio.

&

& ſponte illi obtemperent. Quare iubet eum educere Iſraelitas per Iordanem in terram promiſſam: quo facto, accingitur populus uniuerſus ad tranſeundum Iordanem, ingentis altitudinis & rapiditatis flumen. Cumq; iam tertius dies poſt expletum Moſi luctum ageretur, aſſumptis mulieribus, impuberibus, mancipijs, armentis & alijs, ad littus uicinum Hierichunti progreßi, uident incredibili Dei bonitate atque potentia aquas diſcindi, & ſuperius fontem uerſus in immenſam molem accumulari: inferius uerò uerſus mare ſolitudinis omnino deficere, atque in lacum Aſphaltiten exonerari. Facto igitur peruio Iordane, per ſicca uada incolumes & ſalui tranſierunt Hebræi, & ad portum toties promiſſum diuq́; deſideratum peruenerunt, ſtante interim & quaſi in ſublimi pendente aqua fluminis. Hæc eſt facti hiſtoria: quam ideo breuius recenſui, quòd poſtea in loco difficultatis clarius exponenda erit per circumſtantias. O uerò inæſtimandum & glorioſum factum, quod præter omnem opinionem humanan, & contra uniuerſum naturæ curſum & ordinem, tunc Eccleſiæ ſuæ præſtitit Deus: eoq́; ſuam maieſtatem, potentiam & promißiones magnificè & inſigniter confirmauit, omnesq́; ſuos hoſtes et idololatras perpetua ignominia affecit, et ita blaſphemiam eorum cōfutauit, ut de omnipotentia ipſius dubitare non amplius poſſent. Tantus enim ilico terrore conſternatioq́; perculſit Chananæos, Hyphæos, Pherizæos, Gargaſcos, Emoræos

Digitized by Google

& Iebuſæos, audito hoc populi Iſraelitici per Iordanem tranſitu, ut timore nimio quaſi quodam immiſſo fulmine obſtupefacti, quò ſe uerterent, quidq́; de ſe facerent, uehementer dubitarent. Hic eſt triumphus glorioſus & magnificus, per quem conterritis & exanimatis hoſtibus Eccleſiæ, ſalus decusq́; reſtitutum eſt, & terræ fœcundißimæ & amœnißimæ poſſeßio parta. Hæc eſt uictoria non ſolùm de potentibus inimicis & tyrannis, ſed de natura etiam tota. Laudabile eſſe ducimus, truculentum aliquem & bellicoſum reprimere regem: præclarum eſſe putamus, forti & inuicta manu reducere in regnum oppreſſos. Eximium fuit, Alexandrum illum Magnum uictricibus armis totum ferè peragrare & expugnare orbem terræ, debilitatis & fractis tot regibus, tam munitis urbibus, & tantis ubiq; collocatis præſidijs. Sed ſi huic facto id compares, uix tibi umbra uideatur. Ab eo enim debellati ſunt homines, & uicta ea quæ & naturam & conditionem ut uinci poſſent habebant. Neq; eſt in rebus humanis quicquam tam robuſtum, tamq́; diuturnum, quod non ferro ac uiribus comminui conuelliq; poßit. Verùm in hoc facto natura ipſa deuicta eſt, & è curſu ſuo, quem tamen incredibili conſtantia tot annos continuè tuetur atq; ſeruat, dimota eſt. Hoc quid poteſt eſſe rarius & inuſitatius, magnificentiusq́; ? quæq́; laus & prædicatio par aut ſufficiens illi inuenietur? Admirantur illud angeli, obſtupuerunt recordatione eius omnes pij, quotquot ab eo tempore in Eccleſia floruerunt. Hic enim Deus uerè ſuam

Comparatio.

A difficultate reſpectu humanorum factorum.

rè ſuam illam incomparabilem & inuictam potentiam declarauit, dum naturam rerum mutauit: hîc ſuam prouidentiam, clementiam & bonitatem uniuerſam manifeſtauit, & opulentè effudit in Eccleſiam, traducendo eam contra ſpem & expectationem omnem per flumen tam rapidum & altum in Terram ſanctam. Hîc hoſtes planè pudefecit, idola omnia fictosq; deos eneruauit & inaniuit. Hîc ſeſe ita patefecit, ut fidem, timorem & inuocationem ſui in omnium hominum pectoribus meritò confirmarit & conſignarit, ut relictis cæteris omnibus, ipſi ſoli fidamus, ab ipſo ſalutem, opem & liberationem in periculis petere & expectare debeamus. Quomodo enim de eius animo atq; auxilio dubitare poſſumus, qui ſuas promiſsiones clariſsimas & ſaluberrimas tam ingentibus & miraculoſis facinoribus conteſtatur & comprobat? Magna ſunt cætera Dei opera omnia, & quidem inenarrabilia: ut creatio rerum ex nihilo, formatio hominis ad imaginem Dei, & ſuſtentatio continua, & conſeruatio pulcherrimi ordinis in natura, legum, diſciplinæ, & aliorum. Hæc certè niſi tam magna eſſe fateamur, ut ea nullius hominis mens aut cogitatio complecti poſsit, amentes ſimus. Sed ſunt alia non minora: conſeruatio Noë in uniuerſali orbis terræ inundatione, eductio Hebræorum ex Aegyptiaca ſeruitute, & oppreſsio inſequentium hoſtium in mari rubro, retractio ſolis ex medio curſu, defenſio Danielis inter ſæuos leones: & quod omnium maximum eſt, incarnatio & reſurrectio filij Dei unigeniti ex mor-

Comparatio cum aliis Dei operibus.

te. Hæc talia ſunt, ut ea nullus angelus, nedum nos homunciones intelligere aut eloqui poßimus. Veruntamen nō poſtremum eſt hoc quoq; deſiccatis aquis Iordanis, & tuto populi Iſraelitici tranſitu. Eſt enim non minus admirabile, ſcindi aquas, & ita curſum earum inhiberi, ut ſicca uada præbeant traijcientibus: quàm ſeruari Noamum in arca uagantem in uaſtis diluuij fluctibus, aut cuſtodiri Danièlem inter medios leones uerſantem. Quare annumeretur hoc factum inæſtimabilibus & incomprehenſibilibus Dei facinoribus, quæ Eccleſiæ ſuæ ab initiò exhibuit, ad declarandam ſuam infinitam & immenſam potentiam, & oſtendendam ſuam beneficam & amicam erga nos uoluntatem: ut illis commonefacti & conuicti, non poßimus non certè indubitateq; ſtatuere, eum eſſe uerum illum Deum, & patrem noſtrum clementißimum, à quo creati ſumus, & liberamur ex peccato & calamitatibus cæteris, quæ modò cunq; nobis obijciuntur.

Sed eiuſmodi facta quāuis uerè ſint amplißima, & omnium gentium laude, prædicatione, literis atq; monumentis dignißima: tamen neſcio quomodo, dum nudè audiuntur aut leguntur, parum nos afficiunt, neq; tā efficaciter animos noſtros permouent, ut meritò moueri debebant. Eſt enim mentibus atq; cordibus noſtris inſita naturalis quædam hebetudo & ſtupiditas, unde fit, ut ea etiam quæ diuinißima ſunt, & angeli ipſi admirantur, uel negligantur à nobis, uel certè obiter tantùm conſiderentur. Hæc peruerſitas deploranda

Digitized by Google

da eſt: & orandus Deus ſedulò, ut ſpiritu ſuo uiuifico ferrea noſtra pectora effodiat, emolliat & accendat, ut non ſolùm iſtiuſmodi admiranda facta libenter audiamus: ſed etiam ſeriò meditemur, ueramq; ſalutem & conſolationem inde percipiamus. Cum autem in factorum deſcriptione nihil tam pectora noſtra feriat, quàm circumſtantiarum illuſtris commemoratio: eas ipſas quoque recenſebimus, ut quàm periculoſus & difficilis hic tranſitus populo uiſus ſit, inde æſtimare poßimus, & maior etiam huius diuini beneficij admiratio nos capiat. Factus eſt igitur hic tranſitus eo in loco, ubi Iordanis quàm plurimis alijs fluminibus ac torrentibus congregatis, mirum in modum excreſcit, & multo eſt latior profundiorq;, quàm in cæteris partibus, quæ à fontibus eius propius abſunt. Eſtq; adeò ſecundum Hebræos inundationis tempore uadum, quod tranſierunt Iſraelitæ duodecim milliarium ſpacio extenſum. Ex quo ſanè manifeſtè conſpicitur, quanta periculi magnitudo fuerit in tranſeundo tanto flumine, non tantùm ſuo alueo undiq; completo, ſed exundante etiam, & latè uicina loca complectente. Minus miraculoſum fuiſſet, ſi ſuperius aliquanto, in parte aliqua uiciniore fontibus Hebræi tranſiſſent, ubi anguſtius flumen, minusquè profundum, tutius uadum præbuiſſet. Sed ita ſolet Deus ſuos beare, & regere: ut ubi minimè ſalutem ſperent, nihilq; uideatur impoßibilius, ibi uel maximè eos iuuet atq; liberet. Sic etiam tunc in eo potißimùm loco traducere Hebræos uoluit, quo flumen minimè

Circumſtantiæ.

Loci.

Digitized by Google

peruiũ eſſe poſſe uidebatur. Hanc.n.artẽ ſibi ſoli Deus reliq̃ fecit,ut quæ noſtra opinione impoßibilia, et omniũ difficillima exiſtunt, ipſi facillima ſint, & promptißimè cedant. Acceßit etiam hæc non mediocris difficultas, quòd in terram ignotam tranſituri eſſent, cuius incolas infeſtos ſibi eſſe norant. Proficiſcebantur enim tunc in terram Chanaan, ad occupandam eam, excußis & eiectis prioribus dominis. Quare in magno metu fuerunt, cùm tanta pericula ab incolis eius loci ſibi imminere ſcirent. Nam ut maximè flumen tutò tranſijſſent: tamen ueniebat eis in mentem, uereri ne ab occurſantibus undiq; tot incolis hoſtiliter à portu repellerentur, & uel occiderentur, uel in medium fluuium retrò abacti præcipitarentur. Quid quæſo tibi eſſet animi, ſi eo loco eſſes, quo tunc fuerunt Iſraelitæ? Nónne toto pectore horreres & trepidares, ſi tantum flumen tibi tranſeundum eſſet, præter omnem modum & rationem naturæ: & quidem cum mulieribus,liberis, & alijs non exiguis oneribus: & inſuper etiam ſcires, omnes incolas eius loci ad quem iter haberes, tibi eſſe inimicos? Quid de te futurum eſſe exiſtimares, ſi in eiuſmodi anguſtias adducereris, ut nihil niſi præſentem mortem omnia tibi intentare uideres? Non in minore equidem periculo tunc Iſraelitas fuiſſe iudico, quàm cum ad mare rubrum ueniſſent,inſectante hoſtiliter à tergo crudeli Pharaone, cum exercitu inſtructißimo. Quod enim illicponè habuerunt, id hic ante ſeſe habituros in ulteriore fluminis ripa conſpiciunt. Quamobrem quantus in hoc

Alia difficultas ex loco.

tranſitu

tranſitu gemitus, quantaq; anxietas huius populi animos occupauerit, nemo noſtrûm conijcere poteſt. Sed hic eſt mos Dei perpetuus, ut per difficultates & aduerſitates multas ſuos educat, & glorioſè tandem liberet: ſicut etiam nunc Eccleſiam ſuam mirabiliter inter tot pericula & hoſtium multitudinem ducit ac protegit. Eſt enim hic Iſraelitarum tranſitus genuina imago Eccleſiæ, quæ in miraculoſo tranſitu per calamitates & aduerſitates plurimas continuò uerſatur, donec ad portum ſuum cœleſtem perueniat. Eſt autem hoc quoq; conſideratione diligenti dignum, quòd in eo ipſo loco Iordanis, unde Hebræi tranſire cœperunt, poſt annos 1500. Chriſtus Ieſus baptiſmo per Ioannem initiatus eſt, & deinceps aliquoties ibidem uerſatus: indeq; ad paßionem ſuam, per quam uerè omnibus credentibus factus eſt tranſitus, ad uitam æternam migrarit. Dictusq; eſt is locus Bethabara, quod eſt domus tranſitus: haud dubiè in teſtimoniũ et memoriã perpetuã huius miraculoſæ populi Iſraelitici traiectionis. Ita procul dubio hæc populi traductio cũ arca fœderis, q̃ ſacerdotes per mediũ flumen geſtabãt, figura fuit tranſitus Meßiæ per mortem et reſurrectionem ad patrem, per quem uicta morte et diabolo, nos omnes ſecum in patriam cœleſtem traduxit. Demonſtrabit adhuc clarius magnitudinem facti, circumſtantia temporis: ideo illam quoq; recitabimus. Tranſijt autem populus tempore meßis, quo Iordanis plus quàm in cæteris anni partibus exundare conſueuit. Factum eſt enim ſingulari Dei beneficio, ut ſub meßis

Imago Eccleſiæ.

Tempus.

Digitized by Google

initium, collectis undiq; aquis Iordanis inſigniter augeretur: ut iſta aquarum mole ceu quodam uallo muniti atq; tecti eius loci incolæ, fruges tutò demetere atq; colligere poſſent. Quod alioqui, propter infeſtos in uicinia latrones Moabitas et alios, fieri non potuiſſet. Hi enim, niſi rapiditate & altitudine fluminis prohibiti eſſent, in eam ipſam regionem irruiſſent, & optimas quaſq; fruges incolis ſurripuiſſent. Fuitq; hæc regio diuino hoc dono ornata, ut fertilitate cæteras antecelleret. natum eſt enim in ea nobiliſſimum & odoratiſſimum illud balſamum, quod paſſim tantis laudibus extollitur. Huius fragrantia compleuit totum illum locum, adeò ut urbi etiam ipſi quæ ibi ſita fuit, nomen indiderit. Eſt enim Hiericho idem, quod nobis fragrantia. Hanc ob cauſam à latronum incurſionibus crebrò infeſtati eſſent incolæ, præſertim meſſis tempore, niſi diuinitùs diffuſo Iordane tecti fuiſſet. Quare tunc, cum Hebræi tranſire deberent, Iordanis inundare cœpit, reſolutis æſtiuali calore niuibus adeò, ut non modò alueum ſuum, ſed ripas etiam undique compleret. Etiamſi enim tunc talis calor ſolis ibi fuerit, ut fruges percoctæ atq; maturatæ demeti inciperent: tamen remanſerunt in montium cacuminibus, & præſertim in Libano, unde Iordanis originem trahit, niues, uſq; ad meſſis tempus, & ultrà. Ex his non difficile eſt diem huius miraculoſi tranſitus cognoſcere. Incidit enim meſſis in terra Chanaan, in menſem Niſan, quem quidam ad Martium noſtrum, nonnulli ad Aprilem referunt: de quo non moueo litem.

Illud

Digitized by Google

Illud patet, tranſiiſſe Hebræos Iordanem die 10. menſis Niſan, quem 10 Aprilis noſtris eſſe conſentaneum eſt. Hæc eò paulo altius repetiui, ut difficultatem huius tranſitus aliquo modo declarent. Cum. n. tanta tunc Iordanis fuerit inundatio, ut ripam utramq; egrederetur: conſtat, mirum in modum auctam eſſe periculi magnitudinem, & metum, in tam latè effuſo atq; rapido flumine tranſeundo. Sed tantam tamen, tamq́; terribilem et immenſam aquarum molem Deus potenti manu repreßit, coaceruatam ſuperius in ingentem altitudinem ad modum rupis: tamq́; diu earum impetum curſumq́; inhibuit, donec totus populus tandem, etiam ſacerdotes geſtantes arcam fœderis, ſiccis pedibus ad ulteriorem ripam perueniſſent. Interim verò dum in itinere Iſraelitæ fuerunt, quid non mœſticiæ, trepidationis atq́; conſternationis ſenſerunt? Quid mali ob oculos non habuerunt? Cuius enim pectus tam ferreum eſſe poteſt, qui in tam inaudita periculorum magnitudine conſtitutus, non langueſcat, & extimeſcat? Quid grauius eſſe potuiſſet, quàm per uadum tam aſperum ſaxis incedere, præſertim cum tanta turba coniugum gementium & eiulantium, liberorum impuberum, quos partim humeris ſuſceptos baiulari, partim manu prehenſos non ſine ſumma difficultate & ægritudine trahi oportuit? Quem tunc ploratum non eſſe auditum? quem gemitum non effuſum exiſtimas? Luctuoſum eſſe per ſe iudicares, ſi nullis alijs grauatus oneribus, per tam horrendum uadum tranſires, pendente à latere tuo tam horribili

Dies.

Difficultas a comitibus & oneribus.

&

& minaci aquarum mole, adcò ut iamiam ruitura, te-que funditùs deletura uideretur. At *cum ad hoc periculoſum iter accedit etiam difficultas à coniugibus, moleſtia à liberis, impedimentum à ſeruulis, ancillis, armentorum iumentis, non ſolùm grauiter incedentibus, ſed miſerè etiam gementibus & conquerentibus, quid tunc calamitoſius eſſe poteſt? quibus oculis tu aſpiceres ingentem illum aceruum aquarum, hærentem in ſublimi ad modum excelſi muri, ſine omni ſuſtentaculo, contra omnem modum & rationem creaturarum? quantos gemitus ederes, ſi coniugem & liberos tuos in tanta rerum anguſtia acerbè plorantes atq; lugentes uideres, & quidem tam diu?* Non *enim citò confici hoc iter per tantum uadum potuit, ſed ad tempus longius durauit.* Hic *cogita, quid miſeræ plebi tum animi fuerit, cum tot periculis undiq; circumdata eſſet. nec obiter tantùm, ut politicam aliquam hiſtoriam, hoc factum inſpice: ſed diu apud animum uerſato, examinando teipſum, quo animo tu periculum tantum perferres: num etiam* Deo *iubenti, in tranſcundo tam periculoſo uado, ad loca incognita & infeſta hoſtibus, obedires: an uerò rei difficultate fractus, quiduis potius faciendum duceres, quàm tantum uitæ diſcrimen adeundum?* Quam *difficile eſt humanis animis fidere, ubi ratio diffidere ſuadet: & ſperare, ubi natura ſpem omnem denegat?* Et *tamen* Deo *præcipienti obtemperandum eſt, ſiue diſſuadeat ratio, ſiue refragetur natura.* Hinc *exiſtit mirabilis illa lucta & trepidatio mentium, cum contra ſpem & rationem*

Digitized by Google

rationem cauſarum ſecundarum aliquid agere iubemur. Sed commonefacti hoc Iſraelitarum exemplo, ſciamus neq; rationem neq; naturam audiendam, aut in conſilium adhibendam eſſe, cùm diuina negocia tractamus: ſed ſimpliciter Deo *obediendum, & euentus illi committendos.* Non enim Deus *adeò impotens eſt, ut imperare ſciat, perficere uerò neſciat. Quin ita obfirmandi ſunt animi noſtri, ut certò ſtatuamus tam ratum eſſe quod* Deus *loquitur aut iubet, ut ſiue nobis uideatur, ſiue non uideatur, euentum ſequi oporteat.* Hoc *exemplum* Hebræorum *ſedulò nobis inculcare, altéq; pectoribus infigere debemus, ut eo edocti, ſimiliter* Deo *fidere & obedire diſcamus.* Eſt *enim eadem nunc fortuna* Eccleſiæ, *quæ tunc fuit populi Iſraelitici.* Traducimur *enim perpetuò per* Iordanem, *ſepti & circumdati ingentibus periculis diaboli, mortis & inferni: ſicut dux noſter ipſe* IESVS CHRISTVS, *per immenſum pelagus peccati & crudeliſſimorum hoſtium agmen ad thronum cœleſtem tranſijt.* Eſt *igitur* Hebræorum *tranſitus genuina uitæ Chriſtianæ imago, pingens inſigniter ingentia pericula, certamina & difficultates, quas pios in hac uita perferre neceſſe eſt.* Nam *curriculum Chriſtianorum durum eſt & aſperum: & accedunt multæ ærumnæ, priuatæ & publicæ: ut ſunt morbi, infelicitas liberorum, inopiæ & difficultates aliæ innumerabiles.* Hæc.n.*nunquam Chriſtianis deeſſe ſolent: ſed perinde eos comitantur, ut* Hebræorum *ueſtigia ponè legebant coniuges, liberi & familia re-*

Imago vitæ Chriſtianæ.

Digitized by Google

lia reliqua. Hinc *gemitus & lachrymæ quàm plurimæ exiſtunt, foris uerò imminent hoſtes, diabolus & ſquamæ eius, iamiam oppreßionem & interitum minitantes: quemadmodum* Iſraelitis *aqua procul in uaſtam altitudinem collecta, exitium præſentißimum minari uidebatur.* Ex *aduerſo habemus latrones & graſſatores ſæuos, qui uel ex ſedibus noſtris eijcere, uel in medios aquarum fluctus præcipites nos dare conantur: quemadmodum* Iſraelitæ *ab incolis ulterioris ripæ* Iordanis *ſibi euenturum eſſe uerebantur.* Ita *fit, ut periculis plena ſint omnia, ſiue antè, ſiue retrò, ſiue ad latus reſpicias.* Sed *bono animo ſimus. nam ut* Hebræis *hæc tam terribilis malorum multitudo nihil nocere potuit, ſed tutus tandem ſiccis pedib. ad optatum portum tranſitus diuinitùs conceſſus eſt: ita nobis quoq;, neq; hoſtes, neq; aliud mali quicquam obſtabit, quò minus ad deſideratam terram aliquando ueniamus.* Ac *quamuis interim dum in uia adhuc ſumus, acerbitates aliquæ atq; aduerſitates ſeſe offerant: non tamen ideo ab incepto curriculo deſiſtendum eſt, ſed grauiter nullo obſtante pergendum: illudq; animis infixum ſit, quamuis minentur interitum hoſtes, ruinam præ ſe ferat cœlum, & tota facies naturæ triſtis & horrida uideatur, non tamen interire* Eccleſiam *poſſe, quia uehit arcam fœderis: hoc eſt, habet* CHRISTVM, *& profitetur uerbum* Dei. Vt *enim conglobatæ aquæ* Iordanis *tam diu curſum ſuum tenuerunt, donec ſacerdotes, qui in medio* Iordane *tranſeunte uniuerſo populo ſteterant, cum arca egreſſi eſſent:*

ſi eſſent: ita dum Chriſtum habemus, nulla tempeſtas, nullus impetus, nulla tyrannorum rabies nocere nobis poterit. Si itaq; aut à diabolo, aut aliunde aduerſitates ibi accidũt, ſubeat animum tuum ſeria cogitatio molis iſtius terribilis, quæ in Iordane *quidem minaciter pependit, ſed* Hebræis *tamen nocere non potuit.* Eo*dem enim modo quoq; tibi obeſſe non poſſe ſtatue, etiamſi magna moles calamitatum obijciatur.* Me*tuebant etiam* Hebræi *uehementer hoſtilem incolarum ultra* Iordanem *occurſionem: ſed cum tranſijſſent, hoſtes omnes fugabant. ita etiam nos ſæpe pertimeſcimus, ubi nihil periculi fuiſſe tandem animaduertimus. Quare confirmandi ſunt animi noſtri hoc miraculoſo exemplo, ut non illico trepidemus atque diffidamus, ſi pericula aut calamitates nos circumſtare uideamus: ſed* DEO *conſtanter fidamus, qui omnia mala auertere uult, atq; etiam poteſt.* Hic *eſt fructus, quem ex hoc admirabili* DEI *facto percipere debemus, ut in ſimili fortunæ aſperitate non ſuccumbamus: ſed per medium periculorum agmen intrepidè tranſeamus, meliora ſemper ſperantes.* Sed *eſt alia adhuc huius facti diuina utilitas, quam ſilentio præterire minimè poſſum.* Ideo *enim* Deus *tam claris & inſignibus miraculis ſeſe* Eccleſiæ *ſuæ patefecit, ut omnipotentia & benefica ipſius uoluntas inde cognoſcatur & celebretur: ſicut ipſe ait, ſe ideo per mare rubrum* Iſraelitas *traduxiſſe, ut in* Pharaone *glorificaretur. &* Eſaias *63. inquit:* Sic *eduxiſti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.*

Fructus hiſtoriæ.

Hunc

Hunc fructum Deus *ſuo iure pro facinoribus ſuis à nobis poſtulat, ut laudetur & glorificetur.* Q*uapropter celebremus hoc factum* Dei *literis & linguis, non ſolùm in hac caduca & breui uita, ſed in altera, etiam in omnem æternitatem uſq;, toto pectore & pleno ore illum laudemus, quòd non ſolùm* Iſraelitas *per rapidum* Iordanem *tutò traduxerit, ſed nos etiam omnes per filium ſuum* Ieſum Chriſtum *à tyrannide diaboli liberatos, per mare immenſum peccati & mortis, in promiſſam uitæ cœleſtis requiem traducit.*

Epilogus per cohortationem.

EXEMPLA PLVRA AVDITOribus ad tractandum relicta:

Sacra.

1. Diluuium, *quo* Deus *totum genus humanum deleuit, excepto* Noah *cum familia: in quo locus communis eſt de horrenda* Dei *ira, & pœnis aduerſus peccata: ac uiciſsim de miranda conſeruatione* Eccleſiæ *inter fluctus & tempeſtates ſæuiſsimas.* 2. *Præclarum factum* Phinees *nepotis* Aaronis, *qui caſtitatis zelo, & cauſa propugnandæ gloriæ* Dei, *occidit* Iſraelitam, *ſcortantem cum* Madianitide: Num.25. Pſalmo 106. 3. *Factum* Ioſuæ, *quo uicit munitiſsimam urbem* Hierichuntem, *ſolo buccinarum clangore, & uociferatione populi* : Ioſ.6. *in quo locus communis eſt de uanitate uirium humanarum, & miranda uictoria piorum.* 4. *Factum* Ignatij Epiſcopi, *qui* Romæ *in martyrio obiectus leonibus rugientibus tanta fuit conſtantia, ut diceret ſe eſſe frumentum* Chriſti: *& iam*

Digitized by Google

& iam per beſtiarum dentes moli, ut panis Dei mundus inueniretur. Euſebius libro 3.cap.36. In quo locus communis eſt, de conſtantia confitendi Euangelium Chriſti.

Philoſophica.

1. Factum Cimonis, redimentis ad ſepulturam patrem ſuum in carcere defunctum, propter crimen peculatus, translatis in ſeſe ipſius uinclis. Iuſtinus lib.2. in quo locus communis eſt, de pietate liberorum erga parentes. 2. Factum Alexandri, filij Amyntæ, in legatos Perſicos: quos conuiuio exceptos, propter fœdam libidinē à ſubordinatis adoleſcentibus pro mulieribus confodi iuſſit. Herodot. ἐν τερψιχόρῃ. Iuſtin. in 7. Philip. Melanch. lib. 2. Chronicorum. In quo facto loci communes duo ſunt: primus, de hoſpitalitate, quam clementer legatis præſtitit Amyntas: alter, de uindicandis intolerabilibus libidinibus. 3. Factum Alexandri Magni erga Timocleam mulierē Thebanam, quæ poſt expugnatam urbem, ducem quendam, à quo per uim ſtuprata erat, poſcentem theſauros reconditos, in puteum aſtu præcipitauit. Plutarch. in uita Alexandri. 4. Factum laudabile Scipionis, cedentis criminationibus tribunorum plebis. Liuius Decad. 4. lib. 8. 5. Vituperatio facti Leocratis, deſerentis patriam propter periculum. Lycurgus in oratione contra Leocratem. 6. Expugnatio urbis Hieroſolymitanæ, Troiæ, &c.

DE GRATIARVM ACTIONIBVS.

Digitized by Google

IN gratiarũ actionibus duo complectimur. Primùm, acceptũ beneficiũ laudamus. Deinde, remunerationem aut gratitudinẽ pollicemur. Exempla in Pſalmis ſunt multa. In 104. eſt gratiarũ actio procreatione et benigna procuratione rerũ, in natura. Primùm .n. recenſentur et prædicãtur ordine creaturæ Dei, incipiendo à ſummo cœlo, et deſcendendo ad infima. Deinde ſub finem additur gratiarum actio in his uerſibus, Sit gloria Domini, &c. Item: Cantabo Domino. Hæc .n. eſt unica retributio, quam Deus pro immenſis ſuis beneficijs à nobis poſtulat, ut ea grato pectore agnoſcamus atq; celebremus. Similis compoſitio eſt Pſal. 115. in quo Propheta agit gratias Deo, pro ingenti ipſius erga ſe bonitate, & pro regno Chriſti.

EXEMPLA GRATIARVM ACTIOnis ex Cicerone.

Oratio habita ad Quirites poſt reditum, eſt gratiarum actio inſignis pro reſtitutione in patriam. cuius itidem duæ ſunt partes, in quarum prima beneficium reſtitutionis magnificè prædicatur: in altera, pietas & ſtudium in referenda gratia promittitur. Exordium ductum eſt ab affectu læticiæ, de reditu ſuo per collationem. Propoſitio magnitudinem beneficij ſubijcit. Confirmatio habet perpetuam amplificationem eiuſdem, per comparationes, confert enim primùm ſuæ reſtitutionis beneficium, cum beneficijs diuinis. Deinde cum reſtitutione aliorum, ſcilicet Metelli, Popilij & Marij. Tertio, prædicat officium eorum

eorum à quibus adiutus eſt. Atq; hæc omnia eò ſpectant, ut amplitudo beneficij extollatur. Poſt hæc addit pollicitationem ſuæ egregiæ in patriam uoluntatis perpetuæ, & pietatis in remunerando maximæ.

Epiſtola Ciceronis 11. lib. 15. Familiar.
Quantæ tibi curæ, &c.

Continet gratiarum actionem Ciceronis pro officio Marcelli, in qua primùm meritum ipſum laudat: deinde recompenſationẽ officioſè ſpondet atq; offert. Eodem modo gratulationes quoq; inſtituuntur. nam primùm rem quam gratulari uolumus, honorificè prædicamus: deinde, ut proſperè & feliciter eueniat, precamur. Exempla ſtudioſi requirant ex Ciceronis epiſtolis.

Gratulaturus amico nouum aliquod officium, primùm quàm pium illud ſit, Deo gratum, ſalutare hominibus, & ipſi etiam honeſtum, oſtendit: poſtea, ut fauſtè cedat in diuini nominis gloriam, Reipub. ſalutem, & quamplurimorum hominum utilitatem, exoptat.

PSALMVS XXXIIII.

Eſt gratiarum actio pro liberatione & defenſione in periculis & difficultatibus.

• *Benedicam* a *Dominum omni tempore: ſemper laus eius in ore meo.*

In b *Domino gloriabitur anima mea, ut audiãt afflicti & lætentur.*

Magnificate c *Dominũ mecum: et exaltemus nomen eius ſimul.*

a Propoſitio: Gratias ago Deo pro liberationibus.
b Cauſa finalis, vt afflicti exhilarentur.
c Hortatur vniuerſam Eccleſiam et ſingulos ad celebrandum Deum.

Digitized by Google

Quæſiui a *Dominum, & exaudiuit me: & ex omnibus pauoribus meis eripuit me.*

Qui b *reſpiciunt ad eum, & accurrunt, eorum facies non confundentur.*

Iſte c *pauper clamauit: & Dominus exaudiuit eum: & ex omnibus tribulationibus eripuit eum.*

Caſtrametatur d *Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

Guſtate e *& uidete, quoniam ſuauis eſt Dominus: beatus uir qui ſperat in eo.*

Timete f *Dominum omnes ſancti eius: quoniam non eſt inopia timentibus eum.*

Diuites g *eguerunt & eſurierunt: inquirentes autem Dominum, non indigebunt omni bono.*

Venite h *filij: audite me: timorem Domini docebo uos.*

Quis i *eſt qui deſiderat uitam? & amat uidere dies bonos?*

Prohibe k *linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum.*

Declina l *à malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam.*

Oculi m *Domini ſuper iuſtos: & aures eius in preces eorum.*

Vultus n *Domini contra facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*

Clama-

a A ſuo exemplo.
b Hypotypoſi declarat ac curſum afflictorum & liberationem eorum.
c Iterum ſuũ proponit exemplum.
d Conſolatio ab angelorũ excubiis & cuſtodia.
e Epiphonema de bonitate Dei & fiducia eius.
f Præceptũ cum promiſſione.
g Antitheſis de diuitibus.
h Regulæ de vita & moribus.
i Ab vtili ſeu fine timoris Dei & obedientiæ. Pollicetur enim & adfert bonos dies.
k Præceptũ de veritate.
l Præceptum de iuſticia vniuerſali & pacis ſtudio.

m Promiſſio de exauditione & protectione iuſtorum.
n Antitheſis habens comminationem aduerſus impios.

Digitized by Google

Clamauerunt, a *& Dominus exaudiuit: & ex omnibus tribulationibus earum liberauit eos.*

a Confirmatio ab euentu.

Propè b *eſt Dominus omnibus contritis corde: et fractos ſpiritu ſaluabit.*

b A præſentia Dei.

Multæ c *tribulationes iuſtorum: & de his omnibus liberabit eos Dominus.*

c Confert per antitheſin ſortem pioru͂ & impioru͂.

Cuſtodit omnia oſſa eorum: unum ex his non conteretur.

Impium interficiet malum: & qui oderunt iuſtum, erunt rei.

Redimit d *Dominus animas ſeruorum ſuorum: & non erunt rei omnes qui ſperant in eo.*

d Concluſio epiphonematica, continens aſſeuerationem de liberatione piorum.

PSALMVS CIII.

Eſt εὐχαριστικὸς, continens celebrationem beneficiorum Dei, corporalium & ſpiritualium.

Propoſitio: Gratias ago Deo toto pectore pro beneficiis eius. quæ cuiuſmodi ſint nominatim recenſet.

Benedic anima mea Domino: & omnia uiſcera mea nomen ſanctum eius.

Benedic anima mea Domino: & ne obliuiſcaris omnium beneficiorum eius.

Qui e *propicius eſt omni iniquitati tuæ: qui ſanat omnem infirmitatem tuam.*

e Remiſsio peccati, & infirmitatis ſanatio.

Qui eripit ex interitu uitam tuam: qui coronat f *te bonitate & miſerationibus.*

f Conſeruatio vitæ & valetudinis.

Qui g *replet bonis os tuum: renouat ſicut aquilæ iuuentutem tuam.*

g Dona, ſucceſſus, & vires in vocatione.

Facit h *iuſticias Dominus: & iudicia omnibus iniuriam patientibus.*

h Neceſſaria ad victum cultumq́ corporis.

i Liberatio ab iniuriis.

Notas a facit Moyſi uias ſuas: filijs Iſrael cogitationes ſuas.

Miſericors b & miſerator Dominus: tardus ad iram & multæ bonitatis.

Non c in perpetuum contendet: neq; in æternum iraſcetur.

Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neq; ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

Quoniam d ſicut altitudo cœlorum ſupra terram: magnificata eſt bonitas eius ſuper timentes eum.

Sicut diſtantia ortus ab occaſu. longè remouit à nobis transgreſsiones noſtras.

Sicut e miſeretur pater ſuper filios, miſeretur Dominus ſuper timentes ſe.

Quoniam f ipſe nouit figmentum ſuum: recordatur quia puluis ſumus.

Dies hominis eſt ſicut fœnum: tanquam flos agri ſic efflorebit.

Quoniam ſpiritus tranſibit per eum: & non erit, & non cognoſcet amplius locum ſuum.

Bonitas g autem Domini à ſeculo uſq; in ſeculum ſuper timentes eum, & iuſticia eius filijs filiorum.

His h qui cuſtodiunt teſtamentum eius: & qui memores ſunt mandatorum eius, ut faciant ea.

Dominus i in cœlo parauit ſedem ſuam: & regnũ eius in omnibus dominabitur.

Benedi-

a Patefactio Dei.

b Amplificatio a cauſa efficiente beneficiorũ, quæ eſt immenſa Dei miſericordia & bonitas.

c Expolitio qua clementiam Dei illuſtrat.

d Comparationes ex natura rerum, quibus miſericordiã Dei declarat.

e Comparatio φιλοστοργίαν Dei depingens.

f A cauſa obiectiua, hoc eſt, miſeria noſtra & inſtabilitate.

g Antitheſis opponens miſeriæ noſtræ æternam Dei bonitatem.

h Connectio de perſonis, ad quas pertinent beneficia, nempe omnes qui fidem & bonam conſcientiam habent.

i Amplificatio a maieſtate Dei.

Digitized by Google

Benedicite Domino angeli eius, potentes uirtute, facientes uerbum eius, audientes uocem uerbi eius. Epilogus quo inuitat ad celebrationem Dei, angelos creaturasq; reliqua, & ſeipſum.

Bendicite Domino omnes exercitus eius: miniſtri eius facientes uoluntatem eius.

Benedicite Domino omnia opera eius, in omnibus locis regni eius: benedic anima mea Domino.

FINIS.

Digitized by Google

EPITHALAMION DO-CTISSIMO VIRO MATTHAEO Dreſſero, & honeſtiſſ. virgini Iu-lianæ Sarcerinæ ſcriptum,

à

Ioanne Lauterbachio.

DVm pia coniugij Chriſto petis auſpice vincla,
DRESSERE, Aonij maxima fama chori:
Accipe, caſta modò quæ commoda conferat vxor,
Legitimo thalamis ordine iuncta tuis.
Vxor honeſta, pium Chriſto quæ præſtat amorem,
Et domui magna ſedulitate vacat,
Omnibus eſt gemmis, omni precioſior auro,
Nobiliorque ipſa nobilitate ſimul.
Audet in aduerſis illi confidere coniunx,
Audet in illius fundere cuncta ſinum.
Nam cui ius animi, cui fecit corporis vſum,
Hunc oculis vnum plus amat vna ſuis.
Suaue ſodalitium fragilis per tempora vitæ,
Aſſerit infracto pectore iura thori.
Non moroſa fidem, non denegat aſpera munus,
Quod magna ſemper dexteritate ſubit.
Emollit ſolers impreſſo pollice lanam,
Vt minuat tereti penſa voluta colo.
Hinc aſtans pleno felix opulentia cornu,
Non vllis vnquam rebus egere ſinit.

Vt

Digitized by Google

Vt nauis varias adducit per freta merces,
Acquirit multis commoda mille viјs.
Ante diem thalamo torpentes excitat artus,
Eoæ Phœbus quàm prius exit aquis.
Demenſus famulis iuſtum partitur, & inde
Præſens, vt rectè quæque gerantur, adeſt.
Nec contenta bonis tantùm quæ tecta miniſtrant,
Nunc extra gaudet mœnia ferre pedes.
Comparat apricos generandis frugibus agros,
Ex quorum paſcat fertilitate domum.
Conſerit hæc eadem multo vineta labore,
Vt pleno ſpument dulcia muſta lacu.
Accingit lumbos, tunicam collecta fluentem:
Eſt agilis, ſtupido nec trahit ore moram.
Hæc illi requies, hæc illi ſumma voluptas,
Non vllo frangi poſſe dolore manus.
Quæ cauſa eſt, animã parteîs quòd vertit in omnes
Quòd tanto officiј pondus amore ſubit?
Succeſſus ſentit faciles, & grande leuamen,
Dum gratam ſummo numine ſentit opem.
Nec ſatis eſt longæ ſudorem ferre diei,
Feruet ad incenſas curáque mensque faces.
Vellera nunc format nebulas referentia tractu,
Nunc aliud, rerum quod petit vſus, agit.
Nunc loca cuncta domus nunq̃ defeſſa pererrat,
Ne partas temere perdat abuſus opes.
Non parat ingenti menſis conuiuia luxu,
Non ſtruit æquantes ſumma theatra domos.

Ipſa iuuat verbi ſolita pietate miniſtros,
Ipſa iuuat Chriſto templa ſacrata ſcholas.
Si qua ferunt preſsi nimium diſcrimina ciues,
Fert aliquam facili dexteritate ſtipem.
Non timet algentis ſæuiſsima frigora brumæ,
Cum riget inuiſo mortua terra gelu.
Non tempeſtates, quæ vel nimboſus Orion,
Vel Boreas denſa mole coactus agit.
Tota domus duplici quoniam circundata veſte,
Fortunæ claudi non leuitate poteſt.
Brachia docta mouens radio facit ipſa ſonanti
Stragula, quæ multo picta colore nitent.
Induit imbutas Sarrano murice veſtes,
Et byſſo ætati membra decora tegit.
Non vt regali fulgens miretur amictu,
Et tumeat molli fortè ſuperba gradu:
Sed ſanctum vt niueo demonſtret in ore pudorem,
Atque pudicitiæ dona colenda probet.
Turpe nihil quicquam temeraria concipit auſu,
Nititur vt dulci laus ſit honorque viro.
Tum velut ingenti complectitur igne maritum,
Sic illi texit Mæonis arte togam.
Hanc gerit in procerum celebri non vltimus orbe,
Qua tutas præbet publica porta vias.
Quin parat, & vendit, mercator vt impiger, omnj
Qui ſtudio paruas creſcere gaudet opes.
Si cupis ornatum, quo compta niteſcit, habere:
Ornatus mentis non operoſus hic eſt.

Cor

Cor patiens, animi nunquam penetrabile robur,
Cura, fides, pietas, pax, amor, alta quies.
Hinc etiam gaudet generoſo candida riſu,
In permanſuris quòd ſit adulta bonis.
Lætatur fragili quòd mens non dedita lucro,
Delicias Chriſtum iudicet vna ſuas.
Nunc dicenda mihi facundæ gratia linguæ,
Et quàm feſtiuo gaudeat ore loqui:
Seu priuata colit ſua cum teſtudine tecta,
Publica ſeu vitæ pro ratione loca.
Non offendiculo teneris eſt auribus, atque
Non præter legem liberiora ſonat.
Semper honeſtatis, ſemper memor illa decori,
Verba Dei magna de bonitate refert.
Explorat præſens greſſus vitamque ſuorum,
Tum quid de Chriſto, quid didicere Patre.
Hæc dum cuncta cupit ſtudio præſtare fideli,
Non capit appoſitas deſidioſa dapes.
Quamuis multa premant talem ſuſpiria nuptam,
Multa tamen rurſum gaudia læta feret.
Cum florens olim natis accreuerit ætas,
Perpetua matrem laude per aſtra vehent.
Qua pietate domum, qua rexerit arte miniſtros,
Conſtabit, cæli dum cadat axe polus.
Diuitias aliæ propter laudantur, & ipſo
In mundo magnum nomine nomen habent:
Eſt qui formoſæ forma deceptus inhæret,
Et talem totus gaudet habere toro:

Hæc

Digitized by Google

Hæc verò nomen tantum laudemque meretur,
Quæ timet, & Chriſtum corpore pura colit.
Inſignes huius reſonabunt munera portæ,
Et quocunque hominũ conuenit orbe cohors.
Dum Dreſcre tibi talis quoque contigit vxor,
Quæ ſtudioſa Dei, quæ ſtudioſa tui:
Gratulor hoc vitæ ſanctum genus atque beatum,
Virtutis rectum quod tibi monſtrat iter.
Oro, Deus præſens etiam conatibus adſit,
Inque maritali pace beatus agas,
Vt ſummo poßis cultum præſtare Tonanti,
Cumque tua Chriſtum concelebrare domò.
Vt viuas longos cum coniuge lætus in annos,
Et vacuam repleas prole decente domum,
Sic vt luminibus maternum filia corpus
Exprimat, & tenero filius ore patrem.

NVPTIALIS ODE, SCRIpta M. Matthæo Dreſſero, & Iulianæ Sarcerinæ Virgini, à Ludouico Helmboldo.

MVſa, Matthæo quid agis Dreſero,
Virginem ſperante? per Arnſtadinos
Quæ modò campos volitante curru
Fertur ad vrbem.
Qua nihil maius ſibi Hiera viſum
Prædicat, quando fluuij frequentes

Conflu-

Confluunt, & proxima quæque ripis
Oppida narrant.
Res lyram poſcit: ſatus ille patre
Eſt bono, quamuis humili: fuiſſe
O quotus princeps ita ſe propinquo
Funere malit?
A Deo vires animo tributas
Non (vt hoc mos eſt maleſanus æuo)
Perdidit prauis ſtudijs, honeſtas
Pronus in artes.
Has (vt æſtiuus gelidum viator
Geſtit ad fontem) ſitienter hauſit:
Nec ſitim nocturna, diurna nedum,
Lympha repreßit.
Nunc ſalutares patrio Lycæo
Riuulos fundit, modo recreari
Expetat, languet nimis, & ſalubres
Negligit vndas.
Ille nequaquam tamen abſtinebit,
Nec decet: currunt fluuij perennes,
Seu frequens, ſeu rarus eos bibace
Viſitet vrna.
Eſt DEO gratißima res, docere:
Mundus ignorat, neque diſciplinam
Curat at curat DEVS, & magiſtris
Præmia ſeruat.
Hæc ſuo dat tempore: iam pudicæ
Virginis ſponſum faciet D. RES SERVM.

Æra

Aëra quid iactas? venit illud altis
Munus ab aſtris.

Clara dat ſignum tuba, num propinquat?
Ecce deſcendit ſpecioſa curru:
Salue SARCERI ſoboles ERASMI,
Es patre digna.

Cuius à terris ſuper aſtra nomen
Transferet CHRISTVS, ſubita rüina
Quando collapſum renouabit idem
Conditor orbem.

Moribus ſtirps imbuitur paternis,
Caſtris immotis pudor ex ocellis
Lucet, interni decoris refulget
Splendor in illis.

Clara cum charo ſubitura templum,
Sponſa cum ſponſo, ſimul audietis,
Sæpe, ſed nunquam ſatis, antè dicta
Verba maritis:

Ex Adæ coſta Dominum creaſſe
Fœminam: non mas alius, nec vxor
Extitit, pleno ſed adhæſit vni
Solus amore.

Atque ſi plures voluiſſet eſſe
Coniuges vni, ſocialis autor
Fœderis, plures ab Adæ tuliſſet
Corpore coſtas.

Lege diuina thalamus regatur,
Vnus vnius iuuenis puellæ

Vir

Vir ſit, eiuſdem putet illa ſeſe
Corpore natam.
Credat, hoc verax etenim locutus
Eſt DEVS, puramque ſuo reſeruet
Se cohærentem capiti, nec vnquam
Inde recedat.
Non poteſt ſaluum remanere membrum;
Quod ſuo ſe ſubtrahit, & repugnat
Corpori, prorſus perit, & dolore
Cætera torquet.
Alter eſt pars alterius, iugalem
Qui thorum ſcandunt, duo ſunt in vna
Carne conſortes: vter inchoatum
Rumpit amorem,
Caſtitas illum fugit: hæc maritæ
Sanitas vitæ ſimul ac recedit,
Ingruit. morbus nec enim valere
Aeſtimo mæchum:
Mortuum dicas, quia nuptiali
Excidit vita, ſociam dolore
Afficit: quo nil grauius ſceleſto
Prodijt Orco.
Hunc Deus noſtro prohibe cubili,
Et nouis ſponſis animum fidelem
Adde, ſit prægnans Venus, & ſuo ſe
Pignore firmet.
Quicquid infauſtis homini diebus
Accidit, concordia, pax, amorque

Deuoret

Digitized by Google

Deuoret, ſordes velut vniuerſas
Deuorat ignis.
Prole gauiſos ſatis, atque functos
Partibus, quas à patre Chriſtiano
Et pia conſorte DEVS requirit,
Tollat Olympus.

FINIS.

Digitized by Google

MATHAEI DRESSERI
Erphordenſis

ORATIONES ALIQVOT RHETOricæ inuentionis & diſpoſitionis

Pars altera.

Quibus exempla orationum per omnia cauſarum genera, lectu digniſsima atque vtiliſsima proponuntur.

Earum Catalogum poſt præfationem reperies.

VVITEBERGAE.

Digitized by Google

NOBILI VIRO, DIGNITATE & virtute præſtanti, Franciſco de Hotzfelt, Commendatori in Griffſtet, ſuo domino honorando S.P.D.

SVPERIORI libro Rhetoricæ noſtræ ea ferè exempla vſurpauimus, quæ nudè & breuiter præceptorum vſum exercitiumque demonſtrarẽt. Nunc verò ad integras orationes deducendi ſunt ſtudioſi, vt artificium omne inueniendi, diſponendi & ornandi amplificandiq́ plenius cognoſcant. Ita enim rectiſsimè diſci hæc ars demũ poterit, ſi prius παχυλῶς καὶ τύπῳ, hoc eſt, rudi quadam forma, tum deindè accuratius & plenius, quæ ad eã pertinent, tradantur. Sunt igitur in hoc ſequenti libro exempla magis τεχνιλόγικα ſiue artificioſa ſummorũ ſcilicet oratorum, Ciceronis, Iſocratis, Baſilij, quibus noſtra etiam paucula adiunximus, non ſuperioribus illis quidem annumeranda, ſed fortaſſè tamen ad erudiendos adoleſcentes nõ prorſus inutilia. Contulimus autem ad explicationem orationum Ciceronis Iſocratis & Baſilij noſtrum ἐπιβάλλον μέρος, quo iuuari legentes nonnihil poſſe confidimus, plura collaturi, ſi aut inſtituti noſtri ratio paſſa eſſet, aut tuliſſet ſuſceptus libelli modus. Hanc verò partem tibi dedico, vir digniſsime,

Digitized by Google

me, quòd & tibi nomen titulumque eorum qui literas amant & fouent, conuenire maximè arbitror. Talem enim te cognoui, qui non nobilitate tantùm excellere, ſed ex virtute etiam, pietate, & erga literatos beneuolentia, laudem quærere ſtudeas. Nec profectò malè & nomini & conſcientiæ tuæ hac in re conſulis. Non enim aliter celebrari nomen tuum, & cognoſci à poſteris virtus tua poterit, niſi ſint qui literis monumentisque eam decorent. Neque etiam melius conſcientia tua conquieſcet, quàm ſi de Eccleſia Chriſti & literarum doctrinarumque propagatoribus benè mereberis. Idque vt facias ſeriò, te per Dei gloriam, qua nihil nobis antiquius, nihilque prius eſſe debet, oro. DEO æterno Patri Domini noſtri IESV CHRISTI te commendo, eumque rogo, vt te diu florentem conſeruet, quò rectis ſtudijs deditos iuuare, augere & ornare plurimum poßis. Vale. Datę Erphordiæ Cal. Martij, Anno M. D. L X X.

Tuæ amplitudini
addictißimus
Matthæus Dreſſerus.

Digitized by Google

CATALOGVS ORATIONVM.

1 Oratio Ciceronis pro Q. Ligario.
2 Oratio Ciceronis prima in L. Catilinam.
3 Oratio Ciceronis ad Quirites poſt reditum.
4 Oratio Iſocratis, cui titulus Euagoras.
5 Oratio M. Dreſſeri de inſtauratione Hieroſolymorum poſt 70. annorum exilium.
6 Oratio M. Dreſſeri de eductione populi Iſraelitici per mare rubrum.
7 Oratio M. Dreſſeri de dicto Xenophōtis: Artes ſunt fontes bonorum.
8 Oratio Baſilÿ magni de Inuidia.
9 Oratio Baſilÿ magni de Humilitate.
10 Oratio Baſilÿ magni de ira.
11 Oratio Baſilÿ magni, Quòd Deus non ſit cauſa mali.

ORATIO

ORATIO CICERONIS PRO LIGARIO.

ARGVMENTVM.

Tubero accuſauerat Ligarium, quòd in bello ciuili partes Pompeij contra Cęſarem ſecutus eſſet. Hunc verò defendit Cicero hac oratione, quæ eſt generis iudicialis, ſtatum habens aſſumtiuum, videlicet conceſsionem, purgationem & deprecationem. Primùm enim fatetur Cicero, Ligarium in Africa fuiſſe, ſed arma contra Cæſarem non ſumſiſſe. Secundò purgat factum Ligarij per extenuationem. Nam quòd Pompeium ſecutus eſt, inquit, non ſcelus, ſed error nominandus eſt. Syllogiſmus principalis defenſionis eſt. In Africa ſine armis contra Cæſarem fuiſſe, non eſt crimen. Ligarius fuit in Africa ſine armis contra Cæſarem. Igitur Ligarius nullum admiſit crimen.

SERIES PARTIVM ORATIONIS.

I. Poſt exordium & narrationem facti obiurgat Tuberonem, acerbitatem accuſationis eius exaggerans.

II. Purgat ſiue mitigat & extenuat crimen obiectum, quòd non ſit ſcelus, ſed fatalis calamitas.

III. Confert cupiditates & ſtudia Ligarij & Tuberonis inter ſe, probans Tuberonis delictum multò eſſe atrocius quàm Ligarij.

IIII. Deprecatur culpam omiſſa defenſione, ſe conuertens ad miſericordiam Cæſaris.

Exordiū ex ipſa cauſa per ironiam ad extenuandū crimen obiectum.

*N*Ouum crimen, C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe: idq; C. Panſa, præſtanti uir ingenio, fretus fortaſſe ea familiaritate, quæ eſt ei tecum, auſus eſt confiteri. itaq; quò me uertam, neſcio: paratus enim ueneram, cum tu id neq; per te ſcires, neq; audire aliūde potuiſſes, ut ignoratione tua ad hominis miſeri ſalutem abuterer. ſed quoniam diligentia inimici inueſtigatum eſt, quod latebat: confitendum eſt, ut opinor: præſertim cū meus neceſſarius C. Panſa fecerit, ut id iam integrum non eſſet: † omiſſaq; controuerſia, omnis oratio ad miſericordiam tuam conferenda eſt, qua plurimi ſunt conſeruati, cum à te non ſolùm liberationem culpæ, ſed erratì ueniā impetrauiſſent. Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maximè optandum, confitentem reum: ſed tamen ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te Tubero, qua uirum omni laude dignū, patrem tuum. itaq; prius de ueſtro delicto confiteamini, neceſſe eſt, quàm Ligarij ullā culpam reprehendatis. Q. igitur Ligarius, cum eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, legatus in Africam cum proconſule C. Conſidio profectus eſt: qua in legatione et ciuibus & ſocijs ita ſe probauit, ut decedens Conſidius prouincia, ſatisfacere hominibus non poſſet, ſi quenq̄ alium prouinciæ præfeciſſet. itaq; Q. Ligarius, cum diu recuſans nihil profeciſſet, prouinciam

Dubitatio.

Antitheſis de deprecatione culpæ.

† Scil. negare Ligarium in Africa fuiſſe.

Permiſsio & ἀντικατηγορία, id eſt, criminis relatio ſiue regeſtio.

Narratio, in qua iacit fundamenta defenſionis, nempe qua occaſione, quib. de cauſis Ligarius in Africā uenerit, & cur illuc manſerit.

Digitized by Google

uinciam accepit inuitus: cui ſic præfuit in pace, ut et ciuibus & ſocijs gratiſsima eſſet eius integritas & fides. Bellum *ſubitò exarſit: quod, qui erant in Africa, antè audierunt geri, quàm parari. quo audito, partim cupiditate inconſiderata, partim cæco quodam timore, primò ſalutis cauſa, pòſt etiā ſtudij ſui, quærebant aliquem ducem.* Tum Ligarius *domū ſpectans, et ad ſuos redire cupiens, nullo ſe implicari negocio paſſus eſt.* Interim P. *Actius Varus, qui prætor Africam obtineret, Vticā uenit.* Ad *eum ſtatim concurſum eſt: atq; ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, ſi illud imperium eſſe potuit, quod ad priuatū, clamore multitudinis imperitæ, nullo publico conſilio deferebatur.* Itaq; Ligarius, *qui omne tale negociū cuperet effugere, paulum aduentu* Vari *conquieuit.* Adhuc C. *Cæſar* Q. Ligarius *omni culpa uacat.* Domo *eſt egreſſus non modò nullū ad bellū, ſed ne ad minimā quidem ſuſpicionem belli. legatus in pace profectus, in prouincia pacatiſsima ita ſe geſsit, ut ei pacem eſſe expediret.* Profe*ctio certè animum tuum non debet offendere: num igitur remanſio? multò minus: nam profectio uoluntatem habuit non turpem, remanſio etiam neceſsitatem honeſtam.* Ergo *hæc duo tempora carent crimine: unum, cum eſt legatus profectus: alterū, cum efflagitatus à prouincia, propoſitus Africæ eſt, tertiū eſt tempus, quo poſt aduentum* Vari *in Africa reſtitit. quod ſi eſt criminoſum, neceſsitatis crimen eſt, nō uoluntatis.* An *ille, ſi potuiſſet illinc ullo modo euadere, Vticæ potius, quàm Romæ: cum* P. *Actio quàm*

a Aſia in prouinca.

Neceſsitas remanſionis.

πάθος de deſiderio reditus, ad fratres.

 cum

cum concordiſsimis fratribus: cum alienis eſſe, quàm cùm ſuis maluiſſet? cum ipſa legatio plena deſiderij ac ſolicitudinis fuiſſet propter incredibilem quendam fratrum amorem, hic æquo animo eſſe potuit belli diſſidio diſtractus à fratribus? Nullum igitur habes Cæſar adhuc in Q. Ligario ſignum alienæ à te uoluntatis: cuius ego cauſam, animaduerte quæſo, qua fide defendam, cum prodo meam. O clementiam admirabilẽ, atq; omni laude, prædicatione, literis, monimentisq; decorandam. M. Cicero apud te defendit alium in ea uoluntate non fuiſſe, in qua ſeipſum confitetur fuiſſe: nec tuas tacitas cogitationes extimeſcit: nec, quod tibi de alio audienti, de ſeipſo occurrat, reformidat. Vide, quã non reformidem: uide, quanta lux liberalitatis & ſapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur. quantum potero, uoce contendam, ut hoc populus R. exaudiat. Suſcepto bello Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nulla ui coactus, iudicio meo, ac uoluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumta contra te. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui, cùm hoc ſciret, tamen me, antequã uidit, Reipub. reddidit: qui ad me ex Ægypto literas miſit, ut eſſem idem qui fuiſſem: qui cum ipſe imperator in toto imperio populi R. unus eſſet, eſſe me alterum paſſus eſt: à quo hoc ipſo C. Panſa mihi nuncium perferente, conceſſos faſces laureatos a tenui, quoad tenendos putaui: qui mi tum deniq; ſe ſalutem putauit reddere, ſi eam nullis ſpoliatam ornamentis redderet. Vide quæſo Tubero, ut, qui de meo facto non dubitem dicere, de Ligarij non audeam confite-

Concluſio narrationis. Genus defenſionis. Exclamatio, qua Cæſaris clementiam prædicat, & ſuã ipſius culpam confitetur, vt extenuet factum Ligarii, & ad ignoſcendum ei Cæſarem inuitet.

a Id eſt, triumphales.

Apoſtrophe ad aduerſarium. Oſtendit ſuum fauorẽ

conſiteri. Atq; hæc propterea de me dixi, ut mihi Tubero, cum de ſe eadem dicerem, ignoſceret. cuius ego induſtriæ gloriæq; fauco, uel propter propinquam cognationem, uel quòd eius ingenio ſtudijsq; delector, uel quòd laudem adoleſcentis propinqui exiſtimo etiã ad meum aliquem fructum redundare. Sed hoc quæro, quis putet fuiſſe crimen, eſſe in Africa Ligariũ? nempe is qui & ipſe in eadem Africa eſſe uoluit, & prohibitum ſe à Ligario queritur, & certè contra ipſum Cæſarem eſt congreſſus armatus. Quid a enim, Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? nimis urgeo: commoueri uidetur adoleſcens: ad me reuertar. iiſdẽ in armis fui. Quid autẽ aliud egimus Tubero, niſi ut, quod hic poteſt, nos poſſemus? quorum igitur impunitas, Cæſar, tuæ clementiæ laus eſt, eorum ipſorum ad crudelitatem te acuet oratio? Atq; in hac cauſa nonnihil equidem Tubero etiam tuam, ſed multò magis patris tui prudentiã deſidero, quòd homo cùm ingenio, tum etiam doctrina excellens, genus hoc cauſæ quod eſſet, non uiderit. nam ſi uidiſſet, quouis profectò, quã iſto modo, à te agi maluiſſet. Arguis fatentem: non eſt ſatis. Accuſas eum qui cauſam habet, aut, ut ego dico, meliorem quàm tu: aut, ut tu uis, parem. Hæc non modò mirabilia ſunt, ſed prodigijs ſimilia, quæ dicam. Non habet eam uim iſta accuſatio, ut Q. Ligarius condemnetur, ſed ut necetur. hoc egit ciuis R. ante

erga Tuberonẽ, ne odio videatur eum criminari.

Ἀντικατηγορία conuincens, aduerſarium in eadem fuiſſe cauſa, in qua Ligariũ fuiſſe criminatur: vt leniat Ligarii crimen.

a Congeries.

Mitigat inſectationẽ, addito ſuo exẽplo.

Taxat imprudentiam Tuberonum, & actionis modum.

Exaggerat iniquitatem accuſationis enumeratione finium.

te nemo. Externi *iſti mores uſq; ad ſanguinem incitare ſolent odium aut leuiũ* Græcorum, *aut immaniũ* Barbarorum. *nam quid aliud agis? ut* Romæ *ne ſit? ut domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc* T. Broccho, *auunculo ſuo, ne cum eius filio, conſobrino ſuo, ne nobiſcum uiuat? ne ſit in patria? num in patria eſt? num poteſt magis carere his omnibus, quã caret?* Italia *prohibetur, exulat.* Non *tu ergo hunc*

Amplificatio per collationem Syllæ & Cæſaris.

patria priuare, qua caret, ſed uita uis. At *iſtud ne apud eum quidem dictatorem, qui omnes quos oderat, morte multabat, quiſquam egit iſto modo.* Ipſe *iubebat occidi, nullo poſtulante: præmijs etiam inuitabat. quæ tamen crudelitas ab hoc eodem aliquot annis pòſt, quem tu*

Præoccupatio.

Conceſsio.

nunc crudelem eſſe uis, uindicata eſt. Ego *uerò iſtud non poſtulo, inquies. ita mehercule exiſtimo,* Tubero: *noui enim te, noui patrem tuum, noui domum, nomenq; ueſtrum: ſtudia deniq; generis ac familiæ ueſtræ uirtutis, humanitatis, doctrinæ, plurimarum artium atq; optimarum, nota ſunt mihi omnia.*

Reiicit cauſam accuſationis tam acerbæ in imprudentiam.

Itaq; *certò ſcio, uos non petere ſanguinem: ſed parum attenditis, res enim eò ſpectat, ut ea pœna, in qua adhuc* Q. Ligarius *ſit, non uideamini eſſe contenti.* Quæ *eſt igitur alia præter mortem? Si enim in exilio eſt, ſicuti eſt: quid amplius poſtulatis? an ne ignoſcatur? hoc uerò multò acerbius, multoq; eſt durius.* Quod *nos domi petimus precibus, & lacrymis proſtrati ad pedes, non tam noſtræ cauſæ fidentes, quàm huius humanitati: id ne impetremus, pugnabis? & in noſtrũ fletum irrumpes? & nos iacentes ad pedes ſupplicum*

uoce

Digitized by Google

uoce prohibebis? Si, cùm hoc domi faceremus, quod & facimus, &, ut ſpero, non fruſtra fecimus, tu derepentè irrupiſſes, et clamare cœpiſſes, C. Cæſar caue credas, caue ignoſcas, caue te fratrũ pro fratris ſalute obſecrantiũ miſereat: nónne omnẽ humanitatem exuiſſes? quantò hoc durius, quod nos domi petimus, id à te in foro oppugnari, & in tali miſeria multorum, perfugium miſericordiæ tollere? Dicam planè, C. *Cæſar, quod ſentio. Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non eſſet, quantã tu per te, per te inquam, obtines (intelligo quid loquar) acerbißimo luctu redundaret iſta uictoria. quàm multi enim eſſent de uictoribus, qui te crudelem eſſe uellent: cum etiam de uictis reperiantur? quàm multi, qui cum à te nemini ignoſci uellent, impedirent clementiam tuam: cum etiam ij quibus ipſe ignouiſti, nolint te in alios eſſe miſericordem? Quòd probare Cæſari poſſemus, in* Africa Ligarium *omnino non fuiſſe: ſi honeſto & miſericordi mendacio ſaluti ciuis calamitoſi conſultũ eſſe uellemus: tamen hominis non eſſet, in tanto diſcrimine & periculo ciuis, refellere & coarguere noſtrum mendacium: et ſi eſſet alicuius, eius certè non eſſet, qui in eadem cauſa & fortuna fuiſſet. Sed tamen aliud eſt, errare Cæſarem nolle: aliud, nolle miſereri.* Diceres: Caue *Cæſar credas: fuit in* Africa Ligarius*: tulit arma contra te.* Nunc quid dicis? Caue ignoſcas. *Hæc nec hominis, nec ad hominem uox eſt. qua qui apud te* C. *Cæſar utetur, ſuam citius abijciet humanitatem, quàm extorquebit tuam.* Ac *primus aditus, & poſtulatio*

Exaggeratio a loco.

Laudat lenitatem Cæſaris, vt acerbitatem accuſationis amplificet.

Alia amplificatio inhumanitatis accuſationis.

Defenſio facti ex diſſimu-

tione, quod ſcelus non ſit nominandũ.

latio Tuberonis hæc,ut opinor,fuit, uelle ſe de Q. Ligarij ſcelere dicere. Non dubito, quin admiratus ſis: uel ꝙ de nullo alio quiſq̃, uel quòd is qui in eadẽ cauſa fuiſſet,uel quidnã noui facinoris afferret. Scelus tu illud uocas Tubero? cur? iſto.n.nomine illa adhuc cauſa caruit. alij errorẽ appellant,alij timorem: qui durius,

Translatio in fatum.

ſpem,cupiditatem,odiũ, pertinaciã:qui grauiſsimè,temeritatẽ: ſcelus præter te, adhuc nemo. ac mihi quidẽ, ſi proprium et uerũ nomen noſtri mali quæratur,fatalis quædam calamitas incidiſſe uidetur,& improuidas hominum mentes occupauiſſe, ut nemo mirari debeat,

πάθος

humana conſilia diuina neceſsitate eſſe ſuperata. Liceat eſſe miſeros,quanquam hoc uictore non poſſumus.

de mortuis honorifice loquendum.

Sed non loquor de nobis: de illis loquor, qui occiderunt. Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces: ſceleris uerò crimine, furoris, parricidij liceat Cn. Pompeio mortuo,liceat multis alijs carere. Quando hoc quiſquam ex te Cæſar audiuit, aut tua quid aliud arma uoluerunt, niſi à te contumeliam propulſare?

A Cæſaris iudicio.

quid egit tuus ille inuictus exercitus, niſi ut ſuum ius tueretur, & dignitatem tuam? quid? tu cum pacem eſſe cupiebas, id ne agebas, ut tibi cum ſceleratis, an ut cum bonis ciuibus conueniret?

A ſuo exemplo.

Mihi uerò Cæſar tua in me maxima merita tanta certè non uiderẽtur, ſi me ut ſceleratum à te conſeruatũ putarem.

Ab vtili.

Quo modo autem tu de Rep. bene meritus eſſes, ſi tot ſceleratos incolumi dignitate eſſe uoluiſſes?

Iterum prouocat ad Cæſaris iudiciũ.

Seceſsionem tu illam exiſtimauiſti Cæſar initiò, non bellum: non hoſtile odium, ſed ciuile diſsidium: utriſq; cupientibus

Remp.

Remp. ſaluam, ſed partim conſilijs, partim ſtudijs à communi utilitate aberrantibus. Principum *dignitas erat penè par, non par fortaſſe eorum qui ſequebantur: cauſa tum dubia, quòd erat aliquid in utraq; parte, quod probari poſſet: nunc melior certè ea iudicanda eſt, quam etiam dij adiuuerunt.* Cognita *uerò clementia tua, quis non eam uictoriam probet, in qua occiderit nemo, niſi armatus? Sed ut omittam communem cauſam, ueniamus ad noſtram.* Vtrum *tandem existimas facilius fuiſſe* Tubero, Ligarium *ex* Africa *exire, an uos in* Africam *non uenire?* Poteramus *ne, inquies, cum ſenatus cenſuiſſet? Si me conſulis, nullo modo. ſed tamen* Ligarium *ſenatus idem legauerat. atq; ille eo tempore paruit, cum parêre ſenatuì neceſſe erat: uos tunc paruiſtis, cum paruit nemo qui noluit.* Reprehendo *igitur? miminè uerò: neq; enim licuit aliter ueſtro generi, nomini, familiæ, diſciplinæ. Sed hoc non concedo, ut quibus rebus gloriemini in uobis, eaſdem in alijs reprehendatis.* Tuberonis *ſors coniecta eſt ex* S. C. *cum ipſe non adeſſet, morbo etiam impediretur: ſtatuerat ſe excuſare.* Hæc *ego noui propter communes neceßitudines, quæ mihi ſunt cum* L. Tuberone*: domi unà eruditi, militiæ contubernales, pòſt affines, in omni deniq; uita familiares: magnum etiam uinculum, quòd ijſdem ſemper ſtudijs uſi ſumus.* Scio *igitur* Tuberonem *domi manere uoluiſſe: ſed ita quidem agebant, ita* Reipub. *ſanctißimum nomen opponebant, ut, etiamſi aliter ſentiret, uerborum tamen ipſorum pondus ſuſtinere non poſſet.* Ceßit *autoritati*

Collatio facti ſiue cauſæ Ligarii & Tuberonis, ad extenuandum delictũ Ligarii.

amplißi-

Digitized by Google

ampliſsimi uiri, uel potius paruit. Vnà eſt profe-ctus cum ijs, quorum erat una cauſa: tardius iter fe-cit: itaq; in Africam uenit iam occupatam. Hinc in Ligarium crimen oritur, uel ira potius. nam ſi crimen eſt prohibere illum uoluiſſe: non minus magnum eſt, uos Africam, omnium prouinciarum arcem, natam ad bellum contra hanc urbem gerendum, obtinere uoluiſ-ſe, quàm aliquem ſe imperatorem eſſe maluiſſe. atq; is tamen aliquis Ligarius non fuit. Varus imperium ſe habere dicebat: faſces certè habebat. Sed quoquo mo-do ſeſe illud habet, hæc querela ueſtra Tubero quid ua-let? Recepti in prouinciam non ſumus. Quid, ſi eſſe-tis? Cæſarine eam tradituri fuiſſetis, an contra eum re-tenturi? Vide a quid licentiæ Cæſar nobis tua liberali-tas det, uel potius audaciæ? Si reſponderit Tubero, Africā, quò ſenatus eū ſorsq; miſerat, tibi patrem ſuū traditurum fuiſſe: non dubitabo apud ipſum te, cuius id eum facere interfuit, grauiſsimis uerbis eius conſi-lium reprehendere: non enim ſi tibi ea res grata fuiſ-ſet, eſſet etiam probata. Sed iam hoc totum omitto, non tam ut ne offendā tuas patientiſsimas aures, quàm ne Tubero, quod nunquā cogitauit, facturus fuiſſe uidea-tur. Veniebatis igitur in Africam, prouinciam unam ex omnibus huic uictoriæ maximè infeſtā, in qua erat rex potētiſsimus inimicus huic cauſæ, aliena uoluntas, conuentus firmi atq; magni. quæro, quid facturi fuiſſe-tis? quanquam, quid facturi fueritis, non dubitem, cum uideam quid feceritis. Prohibiti eſtis in prouincia ueſtra pedem ponere, ut perhibetis, ſumma cum in-iuria.

A uoluntate Tuberonis amplificat eius delictū, cōmemorans ſtudia illius & acta.

a Apoſtrophe captans beneuolentiam.

Digitized by Google

iuria. Quo modo tuliſtis? acceptæ iniuriæ querelam ad quem detuliſtis? nempe ad eum, cuius auctoritatem ſecuti, in ſocietatem belli ueneratis. Quòd ſi Cæſaris cauſa in prouinciam ueniebatis, ad cū profectò excluſi prouincia ueniſſetis. Veniſtis ad Pompeium. Quæ eſt ergo apud Cæſarem querela, cum eum accuſetis, à quo queramini uos prohibitos contra Cæſarem bellum gerere? Atq; in hoc quidem uel cum mendacio, ſi uultis, gloriari per me licet, uos prouinciam fuiſſe Cæſari tradituros, etiam ſi à Varo et quibuſdam alijs prohibiti eſſetis: ego autem confitebor culpam eſſe Ligarij, qui uos tantæ laudis occaſione priuauerit. Sed uide quæſo C. Cæſar conſtantiā ornatiſsimi uiri L. Tuberonis, quā ego, quamuis ipſe probarem, ut probo, tamen non cōmemorarem, niſi à te cognouiſſem in primis eam uirtutē ſolere laudari. Quæ fuit igitur unq̄ in ullo homine tanta conſtantia? conſtantiam dico? neſcio, an melius patientiam poſſem dicere: quotus.n. iſtud quiſq; feciſſet, ut à quibus partibus in diſſenſione ciuili non eſſet receptus, eſſetq; etiam cum crudelitate eiectus, ad eas ipſas rediret? Magni cuiuſdā animi, atq; eius uiri eſt, quem de ſuſcepta cauſa, propoſitaq; ſententia nulla contumelia, nulla uis, nullū periculum poſſet depellere. Vt enim cætera paria Tuberoni cum Varo fuiſſent, honos, nobilitas, ſplendor, ingenium, quæ nequaquam fuerunt: hoc certè præcipuum Tuberonis fuit, quòd iuſto cum imperio ex S. C. in prouinciam ſuam uenerat. hinc prohibitus, non ad Cæſarem, ne iratus: non domum, ne iners: non aliquā in regionem,

Conſtantiam Tuberonis prædicat, quod eiectus etiam diſcedere a Pompeianis noluerit.

nem,

nem, ne condemnare cauſam illam, quam ſecutus eſſet, uideretur: in Macedoniam, in Cn. Pompeij caſtra uenit, in eam ipſam cauſſam, à qua erat reiectus cum iniuria. Quid? cum iſta res nihil commouiſſet eius animum, ad quem ueneratis: languidiore, credo, ſtudio in cauſſa fuiſtis. tantummodo in præſidijs eratis, animi uerò à cauſſa abhorrebant: an, ut fit in ciuibus bellis, nec in uobis magis, quàm in reliquis, omnes uincendi ſtudio tenebamur? Pacis equidẽ ſemper auctor fui, ſed tum ſerò: erat.n. amentis, cũ aciem uideres, pacẽ cogitare. Omnes inq̃ uincere uolebamus: tu certè præcipuè, qui in eum locũ ueniſſes, ubi tibi eſſet pereundum, niſi uiciſſes: quanq̃, ut nunc ſe res habet, non dubito quin hanc ſalutem anteponas illi uictoriæ. Hæc ego non dicerem Tubero, ſi aut uos conſtantiæ ueſtræ, aut Cæſarem beneficij ſui pœniteret. Nunc quæro, utrum ueſtras iniurias, an Reipub. perſequamini. ſi Reipub. quid de ueſtra in ea cauſſa perſeuerantia reſpõdebitis? ſi ueſtras, uidete ne erretis, qui Cæſarem ueſtris inimicis iratum fore putetis, cum ignouerit ſuis. Itaq; nũ tibi uideor Cæſar in cauſa Ligarij occupatus eſſe? num de eius facto dicere? Quicquid dixi, ad unam ſummam referri uolo, uel humanitatis, uel clementiæ, uel miſericordiæ tuæ. Cauſſas Cæſar egi multas, et quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certè nunquam hoc modo, ignoſcite iudices, errauit, lapſus eſt, non putauit, ſi unquam poſthac. ad parentem ſic agi ſolet: ad iudices, non fecit, non cogitauit, falſi teſtes, fictum crimen. Dic te Cæſar de facto Li-

Redit ad exaggerationẽ voluntatis & ſtudiorũ Tuberonis in cauſa belli.

Concluſio collationis.

Tranſitio ad deprecationem, omiſſa defenſione.

Digitized by Google

cto Ligarij iudicem eſſe: quibus in præſidijs fuerit, quære. taceo, ne hæc quidem colligo, quæ fortaſſe ualerent etiam apud iudicem: legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppreſſus, in eo non acerbus, tum etiam fuit totus animo & ſtudio tuus. ad iudicem ſic agi ſolet. ſed ego ad parentē loquor, errani, temerè feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti ueniam peto, ut ignoſcas oro: ſi nemo impetrauit, arroganter: ſi plurimi, tu idem fer opem, qui ſpem, dediſti. An ſperandi Ligario cauſſa non ſit, cum mihi apud te ſit locus etiam pro altero deprecandi? Quanquam neq; in hac oratione ſpes eſt poſita cauſæ, nec in eorum ſtudijs, qui à te pro Ligario petunt, tui neceſſarij. uidi enim & cognoui, quid maximè ſpectares, cum pro alicuius ſalute multi laborarent, cauſſas apud te rogantium gratiores eſſes, quàm preces: neq; ſpectare, quàm tuus eſſet neceſſarius is, qui te oraret: ſed quā illius, pro quo laboraret. itaq; tribuis tu quidē tuis ita multa, ut mihi beatiores illi eſſe uideantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quàm tu ipſe, qui illis tam multa concedis. Sed uideo tamen apud te cauſas, ut dixi, rogantium ualere plus, quàm preces: ab ijsq; te moueri maximè, quorum iuſtiſsimum dolorem uideas in petendo. In Q. Ligario conſeruando, multis tu quidem gratum facies neceſſarijs tuis. Sed hoc quæſo conſidera, quod ſoles. Poſſum fortiſsimos uiros Sabinos tibi probatiſsimos, totumq; agrum Sabinum florem Italiæ, robur Reipub. proponere. Noſti optimè homines. Animaduerte horum omnium mœ-

I. Argumentum ab aliorum exēplis.

II. A ſua gratia apud Cæſarem.

III. A cauſis deprecantium, videlicet, dolore iuſto ex fratris & propinqui calamitate.

ſticiam & dolorem. Huius T. Brocchi, de quo, non dubito, quid exiſtimes, lacrymas, ſqualoremq́; ipſius, et filij uides. Quid de fratribus dicam? Noli Cæſar putare de unius capite nos agere. Aut tres Ligarij in ciuitate retinendi ſunt, aut tres ex ciuitate exterminandi. Quoduis exiliũ his eſt optatius, quàm patria, quàm domus, quàm dij penates, uno illo exulante. Si fraternè, ſi piè, ſi cũ dolore faciunt: moueant te horũ lacrymæ, moueat pietas, moueat germanitas, ualeat tua uox illa, quæ uicit: te enim dicere audiebamus, Nos, omnes aduerſarios, putare, niſi qui nobiſcum eſſent: te omnes, qui contra te non eſſent, tuos. Vidéſne igitur hunc ſplendorem omnem, hanc Brocchorum domum, hunc L. Marcium, C. Ceſetium, L. Cornificium, hoſce omnes equites R. qui adſunt ueſte mutata, non ſolùm notos tibi, uerùm etiam probatos uiros, qui tecum fuerunt? atq; his maximè iraſcebamur, & hos requirebamus, & his nonnulli etiam minabantur. Conſerua igitur tuis ſuos, ut, quemadmodum cætera, quæ dicta ſunt à te, ſic hoc ueriſſimum reperiatur. Quòd ſi penitus perſpicere poſſes concordiam Ligariorum, omnes fratres tecum iudicares fuiſſe. An poteſt quiſquam dubitare, quin, ſi Q. Ligarius in Italia eſſe potuiſſet, in eadem ſententia futurus fuerit, in qua fratres fuerunt? quis eſt, qui horum conſenſum conſpirantem, & penè conflatum, in hac propè æqualitate fraterna non nouerit? qui hoc non ſentiat, quiduis prius futurum fuiſſe, quam ut hi fratres diuerſas ſententias fortunasq; ſequerentur? Voluntate igitur omnes

Amplificatio cauſæ deprecantium per translationẽ.

IIII. A uoce Cæſaris, qui ſuos dixit eſſe omnes qui non aduerſentur.

V. A concordia Ligariorum, et uoluntate Ligarii ſuius exulis.

Digitized by Google

omnes tecum fuerunt, tempeſtate abreptus eſt unus: qui ſi conſilio id feciſſet, eſſet eorum ſimilis, quos tu tamen ſaluos uoluiſti. Sed ierit ad bellum, diſſenſerit non à te ſolùm, uerùm etiam à fratribus: hi te orant tui. Equidem cùm tuis omnibus negocijs intereſſem, memoria teneo qualis tum T. Ligarius, quæſtor urbanus, fuerit erga te, & dignitatem tuam. Sed parum me eſt hoc meminiſſe: ſpero etiam te, qui obliuiſci nihil ſoles, niſi iniurias, quoniam hoc eſt animi, quoniam etiam ingenij tui, te aliquid de huius quæſtoris officio cogitantem, etiam de alijs quibuſdam quæſtoribus reminiſcentem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud (neq; enim hæc diuinabat) niſi ut tu eum ſtudioſum & bonum uirum iudicares, nunc à te ſupplex fratris ſalutem petit. quam huius admonitus officio, cùm utriſq; his dederis, tres fratres optimos & integerrimos non ſolùm ſibi ipſos, neq; his tot ac talibus uiris, neq; nobis neceſſarijs ſuis, ſed etiam Reipub. condonaueris. Fac igitur, quod de homine nobiliſſimo & clariſſimo M. Marcello reſtituto feciſti nuper in curia, nunc idem in foro de optimis, & huic omni frequentiæ probatiſſimis fratribus. ut conceſſiſti illum ſenatui, ſic da hunc populo, cuius uoluntatem cariſſimam ſemper habuiſti: &, ſi ille dies tibi glorioſiſſimus, populo R. gratiſſimus fuit, noli obſecro dubitare C. Cæſar, ſimilem illi gloriæ laudem quàm ſæpiſſime quærere. nihil eſt enim tam populare, quã bonitas: nulla de uirtutib. tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt: homines n.

VI. A ſtudio & fide fratris erga Cæſarẽ in quæſtura.

VII. Ab exẽplo Marcelli.

VIII. A conſequentibus, id eſt, a laude ſecutura.

Digitized by Google

ad Deos nulla re propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua maius, quàm ut poßis: nec natura tua melius quàm ut uelis conſeruare quamplurimos. Longiorem orationem cauſa forſitan poſtulat, tua certè natura breuiorem. Quare cum utilius eſſe arbitrer, te ipſum, quàm aut me, aut quenquam, loqui tecum, finem iam faciam. Tantùm te admonebo, ſi illi abſenti ſalutem dederis, præſentibus his omnibus te daturum.

Epilogus per præciſionem & admonitionem.

M. T. CIC. ORATIO PRIMA contra Catilinam.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ DVO:

Vnum de cauſa, quæ Ciceronem impulit, vt hanc orationem haberet: alterum de ſtatu & diſpoſitione.

De primo.

Moliebatur coniurationem in Repub. Romana L. Catilina, qua Rempub. oppreſſurus, & omnem eius dignitatē & libertatem deleturus erat. Comparata enim iam erant omnia ad cædem ciuium, & incendium vrbis neceſſaria, parte alia coniuratorum extra, alia intra vrbem diſpoſita. Vnicū illud obſtabat, quòd Ciceronem prius extinctum volebant, quàm conatus nefarios aggrederentur. Verùm Cicero inſidias ſuæ vitæ ſtrui ſentiens, præſidio adhibito ſibi cauet. Cumque in ſummo ſe & Rempub. periculo eſſe intelligeret, ſenatum in ædē Iouis Statoris vocauit, ad quem etiam Catilina venit,

Digitized by Google

nit, vel coniurationis ſuſpitionem amoliturus, vel iuſta Dei vindicta compulſus, vt ibi confunderetur detecta fraude, & diſcuſsis inſidijs omnibus. Hic igitur orationem hanc in Catilinam habuit Cicero conſul, & ex duobus ſententijs, quæ in ſenatu diſputatæ fuerant, mitiorem elegit & explicauit, quæ diſcedere ex vrbe Catilinam iubebat, relicta altera ſeueriori, dc occidendo Catilina.

De *Secundo.*

Eſt autem oratio generis Deliberatiui, quia hortatur Catilinam, atque adeò vrget, vt cum coniuratis exeat, vel in exilium, vel in Manlij caſtra. Status eſt Iuridicialis, quia defenditur. Quòd melius ſit Catilinam vrbe egredi iubere, quàm interimere. Quia verò quibuſdam in Senatu, vt Catoni, ſatius videbatur Catilinam interficere: duo tractantur præcipui in hac oratione ſyllogiſmi. Prior eſt: Pernicioſus ciuis eſt interficiendus. Catilina eſt pernicioſus ciuis. Ergo eſt interficiendus. Sed priorem hanc ſententiam reijcit Cicero tanquam crudelem, præſertim nondum ſatis patefacta coniuratione, tum etiam quòd interempto Catilina, reliqui coniurati nihilominus in vrbe remanſuri ſint. Alteram verò ſententiam defendit, iubens Catilinam vrbe excedere, vel in exiliū, vel in bellum contra patriam ſuſceptum, propterea quòd iam pateant eius conſilia omnia, & ciuibus cunctis ſuſpectus atque infenſus ſit, tum iudicio ſena-

torum & ſuo damnatus. Ad bellum verò idcirco illum exire iubet, vt cum laude & commodo Reipub maiore poßit opprimi atque deleri. Ita ergo in duas partes oratio poteſt diſtribui: in quarum priori parte ſententia de interimendo, in poſtriori ſententia de expellendo Catilina tractatur. Maior ſyllogiſmi prioris confirmatur exemplis Gracchi, Melij, &c. Minor κρινόμενον *eſt, ideo probatur multis argumentis, ad demonſtrandam coniurationem comparatis. Concluſio ſyllogiſmi poſterioris, eſt ſtatus ſeu principalis propoſitio.*

Partes orationis habet omnes. Exordium à perſona aduerſarij ductum eſt. Narratio in totam ſpargitur orationem, vt minori fidem faciat. Propoſitio eſt: Egredere ex vrbe. Confirmatio defendit propoſitionem de expellendo ex vrbe Catilina. Confutatio refellit ſententiam de interimendo Catilina. Peroratio: Quare ſecedant improbi, &c.

a Exordium a perſona aduerſarii Catilinæ figuratū in percunctatione, qua furorem & audaciam eius inſectatur.
b Id eſt, quẽ finem tuæ audaciæ facies?
c Congeries
d Synonymia ſiue interpretatio.
e Id eſt, agnoſci ab omnibus.

QVouſq; a tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? quamdiu nos etiam furor iſte tuus eludet? Quem b ad finem ſeſe effrenata iactabit audacia? Nihil'ne c te nocturnum præſidium palatij, nihil urbis uigiliæ, nihil timor populi, nihil concurſus bonorum omnium, nihil hic munitiſsimus habendi ſenatus locus, nihil horum ora uultusq; mouerunt? Patêre d tua conſilia non ſentis? e Conſtrictam iam omnium hominum conſcientia teneri coniurationem

tionem tuam, non uides? quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris, ubi fueris, quos conuocaueris, quid conſilij ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris? O a *tempora, ô mores: ſenatus hæc intelligit, conſul uidet, hic tamen uiuit.* b *Viuit? Imò uerò etiam in ſenatum uenit, fit publici conſilij particeps, notat & deſignat oculis ad cædem unum quenque noſtrûm.* Nos c *autem uiri fortes ſatisfacere* Reipub. *uidemur, ſi iſtius furorem ac tela uitemus.* Ad d *mortem te Catilina duci iuſſu conſulis iampridem oportebat: in te conferri peſtem iſtam, quam tu in nos omnes iampridem machinaris.* An e *uerò uir ampliſsimus* f *P. Scipio Pont. Max. Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum* Reip. *priuatus interfecit? Catilinam uerò orbem terrarum cæde atque incendijs uaſtare cupientem, nos conſules perferemus?* g *Nam illa nimis antiqua prætereo, quòd Q. Seruilius Hala, Sp. Melium, nouis rebus* h *ſtudentem manu ſua occidit. Fuit,* i *fuit iſta quondã in hac* Rep. *uirtus, ut uiri fortes acrioribus ſupplicijs ciuem pernicioſum quam acerbiſsimum hoſtem coercerent. Habemus* k *ſenatuſconſultum in te Catilina uehemens et graue. Non deeſt* Reip. *conſilium, neq; autoritas huius ordinis: nos, nos dico apertè, conſules deſumus. Decreuit* l *quondã ſenatus, ut* L. *Opimius conſul uideret, ne quid* Reſp. *detrimenti caperet: nox nulla interceſsit, mox interfectus*

Ii 4

a Exclamatio augẽs indignitatẽ rei ab impunitate: Quamuis grauiſsime deliquerit Catilina, tamen uiuit, & impune quiduis deſignat.
b Repetitio.
c Ironia perſtringẽs ignauiam ſenatus.
d Proponit priorem ſenatus ſententiã de occidendo Catilina.
e Maior ſyllogiſmi prioris ſententiæ, recitans exempla quæ probent ſeditioſos eſſe interficiendos.
f Primum exemplum ſeditioſi ciuis interfecti: eſtq; cõparatio a minori ad maius.
g Secundum exemplum de Melio, per præteritionẽ.
h Id eſt, affectantem regnum.

i Epiphonema ex loco honeſti. prædicat enim maiorum ſeueritatem in puniendis ſeditioſis.
k Translatio culpæ a ſenatu in cõſules.
l Tertium exemplum a iudicato de interfecto C. Graccho.

Digitized by Google

ſectus eſt propter quaſdam ſeditionum ſuſpiciones C. *Grachus, clariſsimo patre natus, auis maioribus occiſus* a *eſt cum liberis* M. *Fuluius conſularis. Simili* b *ſenatuſconſulto* C. *Mario, &* L. *Valerio Coſs. permiſſa eſt* Reſp. *Num unũ diem poſtea* L. *Saturninũ Tribunus pleb. &* C. *Seruiliũ mors ac* Reip. *pœna remorata eſt?* At c *nos uigeſimũ iam diẽ* d *patimur hebeſcere aciem horum autoritatis.* Habemus.n.*huiuſmodi ſenatuſconſultum, uerum incluſum in tabulis, tanquam in uagina reconditum: quo ex ſenatuſconſulto confeſtim interfectum te eſſe Catilina conuenit. Viuis, & uiuis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. Cupio* P. C. *me eſſe clementem. Cupio* e *in tantis* Reip. *periculis me non diſſolutum uideri: ſed iam me ipſum inertiæ nequitiæq́; condemno. Caſtra ſunt in Italia contra* Remp. *in* Hetruriæ f *faucibus collocata. Creſcit in dies ſingulos hoſtium numerus: eorũ autem* Imperatorem *caſtrorum, ducemq́; hoſtium intra mœnia, atq́; adeò in ſenatu uidemus, inteſtinam aliquam quotidie perniciem* Reip. *molientem.* g *Si te iam Catilina comprehendi, ſi interfici iuſſero, credo, erit uerendum mihi, ne hoc potius omnes boni ſerius à me, quàm quiſquam crudelius factum eſſe dicat.* h *Verum ego hoc, quod iam pridem factum eſſe oportuit, certa de cauſa nondum adducor, ut faciam. Tunc deniq́; interficiam te, cum iam nemo tam improbus, tã perditus, tam tui ſimilis inueniri poterit, qui id non iurè factum eſſe fateatur.* Quandiu i *quiſquam erit, qui te defendere audeat: uiues, & uiues ita, ut nunc uiuis,*

a Quartum exemplum de Fuluio.
b Quintum de Saturnino & Valerio.
c Accommodatio ad cauſam per comparationem a minori ad maius.
d Id eſt, non acriter vindicamus ſeditioſum. metaphora ab obtuſis gladiis.
e Ratio ſuæ voluntatis & cauſæ.
f Id eſt, prope Romam.
g Ratiocinatio, qua concludit, iuſte Catilinam interfici poſſe.
h Antitheſis, in qua exponit, cur interfici Catilinã nondum velit.
i Conceſsio, Viues quidẽ, ſed obſeſſus

Digitized by Google

uiuis, multis meis & firmis præſidijs oppreſſus, ne cōmouere te contra Rempub. *poßis multorum te etiā oculi, & aures, non ſentientem, ſicut adhuc fecerunt, ſpeculabuntur atq; cuſtodient.* Etenim *quid eſt Catilina, quod iam amplius expectes? Si neq; nox tenebris obſcurare cœptus nefarios, nec priuata domus parietibus continere uocem coniurationis tuæ poteſt: ſi illuſtrantur, ſi erumpunt omnia: muta iam iſtam mentem: mihi crede, obliuiſcere cædis atq; incendiorum.* Tenêris *undiq;, luce ſunt clariora nobis tua conſilia omnia.* Quæ a *etiam mecum licet, recognoſcas.* Meminiſti b *ne, me ante diem* XII. Calend. Nouemb. *dicere in ſenatu, certo die fore in armis, qui dies futurus eſſet ante diem* VIII. Calend. Nouemb. C. Manliū *audaciæ ſatellitem atq; miniſtrum tuæ?* Num *me fefellit,* Catilina, *non modò res tanta, tam atrox, tam incredibilis? uerùm id quod multò magis eſt admirandum, dies?* Dixi *ego idem in ſenatu, cædem te optimatum contuliſſe ante diem* V. Calend. Nouemb. *tum cū multi principes ciuitatis* Romæ *non tam ſui conſeruandi, quàm tuorum conſiliorū reprimendorum cauſa profugerunt.* Num *inficiari potes, te illo ipſo die meis præſidijs, mea diligentia circumcluſum, commouere te contra* Rempub. *non potuiſſe? Cum tu diſceſſu cæterorū, noſtra tamen, qui remanſiſſemus, cæde te contentū eſſe dicebas? Quid? Cum te* Præneſte *Cal. ipſis* Nouemb. *occupaturum nocturno impetu eſſe cōſideres?* Senſiſtine *illam coloniam meo iuſſo, meis præſidijs, cuſtodijs, uigilijsq; eſſe munitam?* Nihil *agis,*

Aggreditur minorem ſyllogiſmi, exponens per narrationem conſilia & conatus Catilinæ omnes, vt ſeditioſum eū eſſe, liquido conſtare poſsit.

a Communicatio.

b A temporis circumſtantia, vt probabilior ſit narratio.

A loco.

Digitized by Google

nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modò non audiam, ſed etiam uideam, planeq́; ſentiam. Recognoſce *mecum tandem illam ſuperiorem noctem, iam intelliges multò me uigilare acrius ad ſalutē, quàm te ad perniciem* Reipub. *Dico te priori nocte ueniſſe inter* Fal*carios (non agā obſcurè) in* M. Leccæ *domū, conueniſſe eôdem complures eiuſdem amentiæ ſceleriſq́; ſocios.* Num a *negare audes? quid taces?* Conuincā, *ſi negas.* Video.*n. eſſe hic in Senatu quoſdam, qui tecum unà fuere.* O b *dij immortales, ubinam gentium ſumus? quam* R*empub. habemus? in qua urbe uiuimus?* Hîc, *hîc ſunt in noſtro numero,* P. C. *in hoc orbis terræ ſanctiſſimo grauiſſimoq́; conſilio, qui de noſtro, omniumq́; interitu, qui de huius urbis, atq; adeò orbis terrarum exitio cogitent.* Hoſce *ego uideo conſul, & de* Repub. *ſententiam rogo: & quos ferro trucidari oportebat, eos nondum c uoce uulnero.* Fuiſti d *igitur apud Leccam illa nocte Catilina:* e *diſtribuiſti partes* Italiæ: *ſtatuiſti, quò quenq; proficiſci placeret: delegiſti, quos* Romæ *delinqueres, quos tecum educeres: deſcripſiſti urbis partes ad incendia: confirmaſti teipſum iam eſſe exiturum: dixiſti paululum tibi eſſe etiam nunc moræ, quòd ego uiuerem.* Reperti *ſunt duo equites* Ro*mani, qui te iſta cura liberarent, & ſe illa ipſa nocte, paulò ante lucem, me in meo lecticulo interfecturos pollicerentur.* Hæc *ego omnia uixdum iam cœtu ueſtro dimiſſo comperi, domum meam maioribus præſidijs muniui atq; firmaui: excluſi eos quos tu manè ad me ſalutatum miſeras, cum illi ipſi ueniſſent, quos ego*

iam

a Percuncta tionibus vrget, vt cōfeſſionem illi extorqueat.
b Exclamatio de ſenatoribus quibuſdam coniurationis cōſciis & ſociis.
c Manifeſto.
d Redit ad inſtitutam expoſitionem conatuum Catilinæ.
e Hypotypoſis.

iam multis ac ſummis uiris ad me uenturos id tēporis eſſe prædixeram. Quæ a *cum ita ſint Catilina, perge* b *quò cœpiſti: egredere aliquando ex urbe: patent portæ, proficiſcere.* Nimium *diu te imperatorem illa tua* Manliana *caſtra deſiderant.* Educ *tecum omnes tuos: ſi minus, quamplurimos.* Purga *urbem.* Magno *me metu liberabis, dummodo inter me atq; te murus interſit.* Nobiſcum *uerſari iam diutius non potes.* Non *feram, non patiar, non ſinam.* c Magna *dijs immortalibus habenda eſt gratia, atq; huic ipſi* Ioui Statori, *antiquiſsimo cuſtodi huius urbis, quòd hanc tetram, tam horribilem, tamq́; infeſtam* Reipub. *peſtem toties iam effugimus.* d Non *eſt ſæpius in uno homine ſalus ſumma periclitanda* Reipub. e Quamdiu *mihi conſuli deſignato Catilina inſidiatus es, non publico me præſidio, ſed priuata diligentia defendi.* Cùm *proximis comitijs conſularibus me conſulē in campo, et competitores tuos interficere uoluiſti: compreſsi tuos nefarios conatus amicorum præſidio & copijs, nullo tumultu publicè concitato.* Deniq; *quotieſcunq; me petiſti, per me tibi obſtiti, quanquam uidebam pernitiem meam cum magna calamitate* Reipub. *eſſe coniunctam.* Nūc f *etiam apertè* Rempub. *uniuerſam petis, templa* Deorum *immortalium, tecta urbis, uitam omnium ciuium,* Italiam *deniq; totam ad exitium & uaſtitatem uocas.* Quare, g *quoniā id quod primum, atq; huius imperij diſciplinæq; maiorum propriū eſt, facere non audeo: faciam id quod eſt ad ſeueritatē lenius,* h *ad cōmunem*

ſalutem

a Epilogus, & orationis propoſitio, Egredere ex vrbe: exornata circumſtantiis Loci & temporis quo ſit abeundū, & quam cito.
b Synonymia.
b Epiphonema de protectione diuina.
d Exaggerat periculū per diſtributionē ſui & Reip.
e Suum periculum oſtendit ab euentis.
f Reipub. peculum.
g Confirmatio principalis propoſitiōis in hac oratione. Reddit enim rationē, cur non interficere, ſed expellere ex vrbe Catilinam velit.
h Locus ab vtili.

ſalutem utilius. a Nam ſi te interfici iuſſero, reſidebit in Repub. reliqua coniuratorũ manus. Sin tu (quod te iam dudum hortor) exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna & pernicioſa ſentina Reipub. b Quid eſt Catilina? Num dubitas id me imperante facere, quod iam tua ſponte faciebas? Exire ex urbe conſul hoſtem iubet. Interrogas me, num in exilium? Non iubeo: ſed ſi me conſulis, ſuadeo. c Quid enim Catilina eſt, quod te iam in hac urbe delectare poßit? in qua nemo eſt extra iſtam coniurationem perditorũ hominum, qui te non metuat: nemo, qui te non oderit. d Quæ nota domeſticæ turpitudinis non inuncta uitæ tuæ eſt? Quod priuatarum rerum dedecus non hæret infamiæ? Quæ libido ab oculis, quod facinus à manib. tuis unquam, quod flagitium à toto corpore abſuit? Cui tu adoleſcentulo, quem corruptelarum illecebris irretiſſes, non aut ad audaciã ferrum, aut ad libidinem facẽ prætuliſti? Quid uerò nuper, cùm morte ſuperioris uxoris nouis nuptijs domum e uacuã feciſſes, nónne etiam alio incredibili f ſcelere hoc ſcelus cumulaſti? g quod ego prætermitto, & facilè patior ſileri, ne in hac ciuitate tanti facinoris immanitas aut extitiſſe, aut non uindicata eſſe uideatur. Prætermitto ruinas h fortunarum tuarum, quas omnes impendêre tibi proximis Idib. ſentiens. i Ad illa uenio, quæ non ad priuatam ignominiam uiciorum tuorum, non ad domeſticam tuam difficultatem, non ad turpitudinem, ſed ad ſummam Reipub. atq; ad omnium noſtrûm uitam ſalutemq;

a Ratio: Nã te occiſo ſuperſtites erũt complices. Te vero exeunte, vnà exibunt tui, & metu liberabitur ciuitas.

b Argumentum ab authoritate conſulari.

c Argumentum ab inſuaui: Nihil eſt quod te in vrbe delectare poſsit, igitur non inuitus exibis.

d Enumerat notas turpitudinis Catilinæ domeſticas, priuatas & publicas.

e Id eſt, filiũ ex ſuperiori matrimonio ſuſceptum occidiſſes.

f Id eſt, coitu cum filia.

g Præteritio.

h Scilicet propter æs alienum.

i Tranſitio ad publicorum ſcelerum commemorationem.

Digitized by Google

ſalutemq; pertinent. Poteſt ne tibi huius uitæ hæc lux Catilina, aut huius ſpiritus cœli eſſe iucundus? cum ſcias horum eſſe neminem, qui neſciat, te pridie Cal. Ian. Lepido & Tullio Coſſ. ſtetiſſe in comitio cum telo, manũ conſulum & principũ ciuitatis interficiendorum cauſa parauiſſe? ſceleri ac furori tuo non aliquam mentem aut timorem tuum, ſed fortunam populi Rom. obſtetiſſe? Ac iam illa omitto: neq; enim ſunt aut obſcura, aut non multo pòſt commiſſa. Quoties tu me deſignatum, quoties me conſulem interficere uoluiſti? Quot ego tuas petitiones ita coniectas, ut uitari poſſe non uiderentur, parua quadam declinatione, & ut aiunt, corpore effugi? Nihil agis, nihil aſſequeris, nihil moliris, quod me latêre ualeat in tempore: neq; tamen conari ac uelle deſiſtis. Quoties a iam, quoties iam tibi extorta eſt ſica iſta de manibus? Quoties uerò excidit caſu aliquo, & elapſa eſt? tamen ea carere diutius non poteſt. b Quæ quidẽ, quibus abs te initiata ſacris, ac deuota ſit, neſcio, quòd eam neceſſe putas conſulis in corpore defigere. c Nunc uerò, quæ tua eſt iſta uita? Sic enim iam tecum loquor, non ut odio permotus eſſe uidear, quo debeo: ſed ut miſericordia, quæ tibi nulla debetur. Veniſti paulo antè in ſenatum: quis te ex hac tanta frequentia, ex tot tuis amicis ac neceſſarijs ſalutauit? Sic hoc poſt omniũ hominum memoriam contigit nemini, uocis expectas contumeliam, cum ſis grauiſſimo iudicio taciturnitatis oppreſſus? Quid quòd aduẽtu tuo iſta ſubſellia uacua facta ſunt? Quid quòd omnes conſulares, qui tibi perſæpe

Cædes parata conſulibus, et principibus ciuitatis.

Inſidias ſuæ vitæ ſtructas recitat.

a Amplificatio conatuum Catilinæ, non ſemel, ſed ſæpius patefactorum.

b Allegoria a ſacris immolationibus id eſt: Perinde me tua ſica mactare vis, ac ſi voto aliquo ad id deſtinata eſſet.

c Odium cõmune omniũ amicorum & neceſſariorũ in Catilinam cõmemorat, quod ex aduentu ſuo in ſenatũ paulo ante intelligere potuerit.

Digitized by Google

ſæpe ad cædem conſtituti fuerunt, ſimul atq; aſſediſti, partem iſtam ſubſelliorum nudam atq; inanem reliquerunt? Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Serui me hercle mei, ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem. Tu tibi urbem non arbitraris? Et ſi me meis ciuibus iniuria ſuſpectum tam grauiter atque inſenſum uiderem, carere me aſpectu ciuium, quàm infeſtis omnium oculis conſpici mallem. Tu cùm conſcientia ſcelerum tuorum agnoſcas odium omnium iuſtum, & iam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes ſenſusq; uulneras, eorum aſpectum præſentiamq; uitare? Si te parentes timerent, atq; odiſſent tui, neq; eos ulla ratione placare poſſes: ut opinor, ab eorum oculis aliquò concederes. Nunc te patria, quæ communis eſt omnium noſtrûm parens, odit ac metuit, & iam diu de te nihil iudicat, niſi de parricidio ſuo cogitare: huius tu neque autoritatem uerebere, neque iudicium ſequêre, neque uim pertimeſces? Quæ tecum Catilina ſic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum iam tot annis facinus extitit, niſi per te. Nullum flagitium ſine te. Tibi uni multorum ciuium neces, tibi uexatio direptioq; ſociorum impunita fuit ac libera. Tu non ſolùm ad negligendas leges & quæſtiones, uerùm etiam ad euertendas perfringendasq; ualuiſti. Superiora illa quanquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui tuli. Nunc uerò me totum eſſe in metu propter te unum, quicquid increpuerit, Catilinam timeri, nullum uideri

A ſuo exemplo, et ex minori.

Simile parentũ & patriæ: Parentũ iuſſui eſt obediendum, ergo etiam patriæ.

Proſopopeia: Patria ipſa iubet te exire.

deri contra me conſilium iniri poſſe, quod à tuo ſce-lere abhorreat, non eſt ferendum. Quamobrem diſcede, atq; hunc mihi timorem eripe: ſi uerus eſt, ne opprimar: ſin falſus, ut tandem aliquando timere deſinam. Hæc ſi tecum, ut dixi, patria loquatur, nónne impetrare debeat, etiamſi uim adhibere non poßit? Quid? quòd tu te ipſe in cuſtodiam dediſti? Quid? quòd uitandæ ſuſpicionis cauſa apud M. Lepidum te habitare uelle dixiſti? à quo non receptus, etiam ad me uenire auſus es, atque domi meæ te aſſeruari rogaſti? Cum à me quoque id reſponſum tuliſſes, me nullo modo poſſe his parietibus tutum eſſe tecum, qui magno in periculo eſſem, quòd iiſdem mœnibus contineremur: ad Q. Metellum prætorem ueniſti: à quo repudiatus, ad ſodalem tuum uirum optimum M. Marcellum demigraſti, quem tu uidelicet & ad cuſtodiendum te diligentißimum, & ad ſuſpicandum ſagacißimum, & ad uindicandum fortißimum fore putaſti. Sed quàm longè uidetur à carcere, atque à uinculis abeſſe debere, qui ſeipſum iam dignum cuſtodia iudicauerit? a Quæ cum ita ſint Catilina, dubitas, ſi hîc morari æquo animo non potes, abire in aliquas terras, & uitam iſtam multis ſupplicijs iuſtis debitisque ereptam, fugæ ſolitudinique mandare? b Refer, inquis, ad ſenatum. Id enim poſtulas. Et ſi hic ordo ſibi placere decreuerit, te ire in exilium, obtemperaturum te eſſe dicis. Non referam id quod abhorret à meis moribus: ſed

Argumentū a conſcientiæ propriæ teſtimonio: Cuſtodiri voluiſti conſcientia ſcelerum.

Ironia.

Noema: Qui ſeipſum damnat, haud inſons eſſe poteſt.

a Concluſio: Ergo non potes habere locum in vrbe.

b προκαταλήψις: At ſi ſenatus ita decreuerit, cedam.

Digitized by Google

ſed tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te ſentiant. Egredere ex urbe Catilina, libera Rempub. metu: in exilium, ſi hanc uocem expectas, proficiſcere. a Quid eſt Catilina? quid attendis? quid animaduertis horũ ſilentium? patiuntur, tacent. Quid expectas autoritatem loquentium, quorum uoluntatẽ tacitorum perſpicis? b At ſi hoc idem huic adoleſcenti optimo P. Sextio, ſi fortiſsimo uiro, M. Marcello dixiſſem, iam mihi conſuli hoc ipſo in templo iure optimo ſenatus uim & manus intuliſſet. De te autem Catilina cum quieſcunt, probant: cum patiuntur, decernunt: cum tacent, clamant. c Neq; hi ſolùm, quorum ibi autoritas eſt uidelicet chara, uita utiliſsima: ſed etiam illi equites Romani honeſtiſsimi atq; optimi uiri, cæteriq; fortiſsimi ciues, qui circumſtant ſenatum: quorum tu frequentiam uidere, & ſtudia perſpicere, & uoces paulo antè exaudire potuiſti: quorum ego uix abs te iam diu manus ac tela contineo: eoſdem facilè adducam, ut te hæc quæ iam uaſtare ſtudes, relinquentem, uſq; ad portas proſequantur. d Quanquam, quid loquar? te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditère? tu ullum ut exilium cogites? e Vtinam tibi iſtam mentem Dij immortales donarent. f Tametſi uideo, ſi mea uoce ire in exilium animum induxeris, quanta tempeſtas inuidiæ nobis, ſi minus in præſens tempus recenti memoria ſcelerum tuorum, at in poſteritatem impendeat. Sed non eſt mihi tanti, dummodo iſta tua ſit priuata calamitas, & à Reipub. pericu-

a Solutio obiectionis ex tacita voluntate & cõſenſu ſenatus.

b Fictis exemplis illuſtrat et confirmat, quod de ſenatus voluntate dixit.

c Amplificatio: Non ſolum ſenatus, ſed equites etiam, & alii ſic volunt.

d Correctio.

e Votum, vt perficiantur dicta.

f Occupatio de ſecutura inuidia.

Solutio: opponit enim priuatæ inuidiæ publicã ſalutem.

Digitized by Google

periculis ſeiungatur. Sed tu, ut uicijs tuis commoueare, ut legum pœnas pertimeſcas, ut temporibus Reip. *cõcedas, non eſt poſtulandum.* Neq; a *enim Catilina is es, ut te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocarit.* Q*uamobrem ut ſæpe iam dixi, proficiſcere.* A*c, ſi mihi inimico, ut prædicas, tuo, conflare uis inuidiam, rectà perge in exilium.* V*ix feram ſermones hominum, ſi id feceris.* V*ix molem iſtius inuidiæ, ſi in exilium ieris iuſſu conſulis, ſuſtinebo. Sin autem ſeruire meæ laudi & gloriæ mauis, egredere cum importuna ſceleratorum manu, confer te ad* M*anlium, concita perditos ciues, ſecerne te à bonis, infer patriæ bellum, exulta impio latrocinio, ut à me non eiectus ad alienos, ſed inuitatus ad tuos iſſe uidearis.* Q*uanquam quid ego te inuitem, à quo iam ſciam eſſe præmiſſos, qui te ad forum* A*urelium præſtolarentur armati: cùm ſciam pactam & conſtitutã eſſe cum* M*anlio diem, à quo etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus pernicioſam eſſe confido, & funeſtam futuram, cui domi tuæ ſacrariũ ſcelerum conſtitutum fuit, ſciam eſſe præmiſſam?* T*u, tu illa diutius carere poßis? quam uenerari ad cædem proficiſcens ſolebas: à cuius altaribus ſæpe iſtam dextram impiam ad necem ciuium tranſtuliſti?* I*bis tandem aliquando, quò te iam pridem tua iſta cupiditas effrenata ac furioſa rapiebat.* N*eq; enim tibi hæc res adfert dolorem, ſed quandam incredibilem uoluptatem.* A*d hanc te amentiam natura peperit, uoluntas exercuit, fortuna ſeruauit.* N*unquam tu non modò*

Correctio: Sed nihil proficio. non emendaris.

a Ratio ex adiunctis.

Concluſio hortans ad cedendum.

Correctio: Non eges cohortatione, ſpõte curris. Signum quo ante etiam uſus eſt Marius in bello ciuili.

a ſuaui.

a natura & inſtituto.

 ocium

ocium, ſed ne bellum quidem, niſi neſarium, concu-piſti: nactus es ex perditis, atq; ab omni non modò fortuna, uerùm etiam ſpe derclictis conflatam impro-borum manum. Hîc tu qua lætitia perfruêre? quibus gaudijs exultabis? quanta in uoluptate bacchabere? cum in tanto numero tuorum neq; audies uirum bo-num quenquam, neq; uidebis? Ad huius uitæ ſtudium meditati illi ſunt qui feruntur labores tui: Iacere hu-

† Id eſt, ſcortum.

Ironia.

mi non modò ad obſidendum † ſtuprum, uerùm etiam ad facinus obeundum. Vigilare non ſolùm ad inſidian-dum ſomno maritorum, uerùm etiam bonis occi-ſorum. Habes ubi oſtentes tuam præclaram illam pa-tientiam famis, frigoris, inopiæ rerum omnium, quib.

Acclamatio, quæ prædicat ſuos labores aduerſus Catilinam.

te breui tempore confectum eſſe ſenties. Tantum profeci tum, cum te à conſulatu repuli, ut exul potius tentare, quàm conſul uexare Rempub. poſſes, atq; ut id quod eſſet à te ſceleratè ſuſceptum, latrocinium po-

Excuſatio ſuæ lenitatis erga Catilinam, quod occidi eũ noluit, ſed tãtum emitti.

a Attentio.

b Proſopopeia.

tius quàm bellum nominaretur. Nunc ut à me P. C. quandam propriè iuſtam patriæ querimoniam dete-ſter atq; deprecer, a percipite quæſo diligenter quæ dicam, & ea penitus animis ueſtris mentibusq; man-date. b Etenim ſi mecum patria, quæ mihi uita mea multò eſt charior: ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſpub. loquatur: M. Tulli, quid agis? Tu' ne eum, quem eſſe hoſtem comperiſti, quem ducem belli futurum uides, quẽ expectari imperatorem in caſtris hoſtium ſentis, autorem ſceleris, principem coniurationis, euocatorem ſeruorum & ciuium perditorum, exire patieris? ut abs te non emiſſus ex urbe, ſed immiſſus in urbem eſſe

uidea-

Digitized by Google

uideatur? Nónne hunc in uincula duci, non ad mortem rapi, non ſummo ſupplicio mactari imperabis? Quid tandem impedit te? mósne maiorum? At perſæpe etiam priuati in hac Republica *pernicioſos ciues morte multarunt. An leges, quæ de ciuium reorum ſupplicio rogatæ ſunt? At nunquam in hac urbe hi qui à* Republica *defecerunt, ciuium iura tenuerunt. An inuidiam poſteritatis times? Præclaram uerò populo* Romano *refers gratiam, qui te hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum, tam maturè ad ſummum imperium per omnes honorum gradus extulit, ſi propter inuidiam, aut alicuius periculi metum ſalutem ciuium tuorum negligis. Sed ſi quis eſt inuidiæ metus, non eſt uehementior ſeueritatis ac fortitudinis inuidia, quàm inertiæ ac nequitiæ pertimeſcenda. An cùm bello uaſtabitur* Italia, *uexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non exiſtimas inuidiæ incendio conflagraturum? His ego ſanctiſsimis* Reipub. *uocibus, & eorum hominum, qui idem ſentiunt, mentibus pauca reſpondebo. Ego, ſi hoc optimum factu iudicarem* P. C. *Catilinam morte multari, unius uſuram horæ gladiatori iſti ad uiuendum non dediſſem. Etenim ſi ſummi uiri & clariſsimi ciues, Saturnini, & Gracchorum, & Flacci, & ſuperiorum compluriũ ſanguine non modò ſe non contaminârunt, ſed etiam honeſtauerunt: certè uerendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida ciuium interfecto, inuidiæ mihi in poſteritatem redundaret. Quód ſi ea mihi maximè impenderet, tamen hoc animo ſemper fui, ut inui-*

Subiectiones, quibus colligit & exaggerat omnia quæ obiici poterant.

Refutatio obiectionum, quæ ſeueritatem ſuadent.

A cõmodis.

Refutatio obiectionis de inuidia.

Digitized by Google

per inuerſionem: Non inuidia, ſed gloria mihi erit.

a Perſtringit per correctionem eos, qui probaturi nō eſſent, ſi Catilina interficeretur.

Colligit ex ſequentib. Catilinam emittere optimū fore.

ut inuidiam uirtute partam, gloriam, non inuidiam, putarem. a *Quanquam nonnulli ſunt in hoc ordine, qui aut ea quæ imminent, non uideant: aut ea quæ uident, diſsimulent. qui ſpem Catilinæ mollibus ſententijs aluerunt, coniurationemq́; naſcentem non credendo, corroborauerunt: quorum autoritatem ſecuti multi, non ſolùm improbi, uerùm etiam imperiti, ſi in hūc animaduertiſſem, crudeliter, non egregiè factum eſſe dicerent.* Nunc *intelligo, ſi iſte, quò intendit, in Manliana caſtra peruenerit, neminem tam ſtultum fore, qui non uideat coniurationem eſſe patefactam: neminem tam improbum, qui non fateatur.* Hoc *autem uno interfecto, intelligo hanc* Reipub. *peſtē pauliſper reprimi, non in perpetuum comprimi poſſe.* Quòd *ſi ſe eiecerit, ſecumq́; ſuos eduxerit, & eôdem cæteros undiq́; collectos naufragos adgregauerit, extinguetur atq; delebitur non modò hæc tam adulta* Rei*publicæ peſtis, uerùm etiam ſtirps ac ſemen malorum hominum.* Etenim *iam diu* P. C. *in his periculis coniurationis, & inſidijs uerſamur: ſed neſcio, quo pacto omnium ſcelerum, ac ueteris furoris & audaciæ maturitas in noſtri conſulatus tempus erupit.* Quòd *ſi ex tanto latrocinio iſte unus tolletur, uidebimur fortaſſe ad breue quoddam tempus cura & metu eſſe releuati: periculum autem reſidebit, & erit incluſum penitus in uenis atq; in uiſceribus* Reipub. Vt *ſæpe homines ægri morbo graui cùm æſtu febriq́; iactantur, ſi aquam gelidam biberint, prius releuari uidentur, deinde multò grauius uehementiusq́; adflictantur: ſic*

Ex cōtrariis colligit incōmoda, ſi Catilina occideretur.

Similitudo ab ægrotis ſumta.

ſic hic morbus, qui eſt in Reipub. *releuatus iſtius pœna, uehementius ciuibus reliquis ingraueſcet.* Quare *ſecedant improbi, ſecernant ſe à bonis, unum in locum congregentur: muro deniq;, id quod ſæpe iam dixi, ſecernantur à bonis: deſinant inſidiari domi ſuæ conſuli, circumſtare tribunal prætoris urbani, obſidere cum gladijs curiam, malleolos, ad incendendã urbem faceſq; comparare. Sit deniq; inſcriptum in fronte uniuſcuiuſq;, quid de* Repub. *ſentiat.* Polliceor *hoc uobis* P, C. *tantam in nobis conſulibus fore diligentiam, tantam in uobis autoritatem, tantam in equitibus* Romanis *uirtutem, tantam in omnibus bonis conſenſionem, ut* Catilinæ *profectione omnia patefacta, illuſtrata, oppreſſa, uindicata eſſe uideatis.* Hiſce *omnibus* Catilina *cum ſumma* Reipub. *ſalute, & cum tua peſte ac pernicie, cumq; eorum exitio, qui ſe tecum omni ſcelere parricidioq; iunxerunt, proficiſcere ad impium bellum ac nefarium.* Tum *tu* Iuppiter, *qui ijſdem, quibus hæc urbs, auſpicijs à* Romulo *es conſtitutus, quem* Statorem *huius urbis atq;* Imperij *uerè nominamus, hunc & huius ſocios à tuis aris, cæteriſq; templis, ac tectis urbis, ac mœnibus, à uita fortuniſq; ciuium omnium acerbis: & omnes inimicos bonorum, hoſtes patriæ, latrones* Italiæ, *ſcelerum fœdere inter ſe ac nefaria ſocietate coniunctos, æternis ſupplicijs uiuos mortuosq; mactabis.*

Peroratio repetens propoſitionem.

Inflammat, enumeratis õnibus prælidiis, vt Catilinæ profectioni aſſentiantur.

Apoſtrophe ad Catilinam repetens concluſionem.

Ευχή, id eſt, precatio, vt Iuppiter, malos omnes reprimat, qui labefactare et conuellere Rempub. conantur.

Digitized by Google

ORATIO CICERONIS AD Quirites poſt reditum.

Cicero reuocatus ab exilio in patriam, & honore ſummo à ſenatu populoque exceptus, hac oratione gratias egit.

Exordium a lætitia ex fructu ſuorum laborum pro Repub. percepto.

QVod precatus à Ioue optimo maximo, cæteriſq; dijs immortalibus ſum, Quirites, eo tempore, cùm me fortunaſq; meas pro ueſtra incolumitate, ocio concordiaq; deuoui, ut, ſi meas rationes unquam ueſtræ ſaluti antepoſuiſſem, ſempiternam pœnam ſuſtinerem mea uoluntate ſuſceptam: ſin & ea quæ antè geſſeram, conſeruandæ ciuitatis cauſſa geßiſſem, & illam miſeram profectionem ueſtræ ſalutis gratia ſuſcepiſſem, ut quod odium ſcelerati homines & audaces in Rempub. & in omnes bonos conceptum iam diu continerent, id in me unum potius, quàm in optimum quenque, & in uniuerſam Rempub. deflecterent: hoc ſi animo in uos liberosquе ueſtros fuiſſem, ut aliquando uos, patres conſcriptos, Italiamq; uniuerſam memoria mei, miſericordia deſideriumq; teneret: eius deuotionis me eſſe conuictum iudicio deorum immortalium, teſtimonio ſenatus, conſenſu Italiæ, confeßione inimicorum, beneficio diuino immortaliquе ueſtro, maximè lætor Quirites. Etſi homini nihil eſt magis optandum, quàm proſpera, æquabilis, perpetuaq; fortuna, ſecundo uitæ, ſine ulla offenſione, curſu: tamen ſi mihi tranquilla & placata omnia

Id eſt, compotem eſſe factum.

Exaggeratio lætitiæ per collationem rerum aſsiduo perceptarum & aliquandiu deſideratarum.

omnia fuiſſent, incredibili quadam & penè diuina, qua nunc ueſtro beneficio fruor, læticiæ uoluptate caruiſſem. Quid *dulcis hominum generi à natura datum eſt, quàm ſui cuiq; liberi? mihi uerò & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium uita ſunt mea cariores: tamen non tanta uoluptate erant ſuſcepti, quanta nunc ſunt reſtituti.* Nihil *cuiquam fuit unquã iucundius, quàm mihi meus frater. non tam id ſentiebam, cum fruebar, quàm tunc, cum carebam, & poſteaquam uos me illi, & mihi eum reddidiſtis.* Res *familiaris ſua quenq; delectat: reliquæ meæ fortunæ recuperatæ plus mihi nunc uoluptatis afferunt, quàm tunc incolumi afferebant.* Amicitiæ, *conſuetudines, uicinitates, clientelæ, ludi deniq; & dies feſti quid haberent uoluptatis, carendo magis intellexi, quàm fruendo.* Iam *uerò honos, dignitas, locus, ordo, beneficia ueſtra, quanquam mihi ſemper clariſſima uiſa ſunt, tamen ea nunc renouata illuſtriora uidentur, quàm ſi obſcurata non eſſent.* Ipſa *autem patria, dij immortales, dici uix poteſt, quid caritatis, quid uoluptatis habet? quæ ſpecies* Italiæ? *quæ celebritas oppidorum? quæ forma regionum? qui agri? quæ fruges? quæ pulchritudo urbis? quæ humanitas ciuium? quæ* Reipub. *dignitas? quæ ueſtra maieſtas? quibus ego omnibus antea rebus ſic fruebar, ut nemo magis.* Sed *tanquã bona ualetudo iucundior eſt eis, qui è graui morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt: ſic ea omnia deſiderata magis, quàm aſſiduè percepta, delectant.*

Declaratio collationis: I. Per exemplum liberorum.

II. Fratris.

III. Rei familiaris.

IIII. Amicorum, &c.

V. Honorum, &c.

VI. Patriæ ipſius.

VII. Per ſimilitudinem eorũ, qui ex morbo graui cõualeſcunt.

Digitized by Google

Propoſitio de beneficiorum magnitudine.

Quorſum igitur hæc diſputo? quorſum? ut intelligere poſſitis, neminem unquã tanta eloquẽtia fuiſſe, neq; tam diuino atq; incredibili genere dicendi, qui ueſtrorum magnitudinem multitudinemq; beneficiorũ, quæ in me, fratremq; meum, liberosq; noſtros contuliſtis, non modò augere, aut ornare oratione, ſed enumerare aut conſequi poſſit. A *parentibus, id quod neceſſe erat, paruus ſum procreatus: à uobis natus ſum conſularis. Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus eſſet dederunt: uos ſpectatum & incredibili pietate cognitũ reddidiſtis.* R*empub. illis accepi temporibus eam, quæ penè amiſſa eſt. à uobis eam recuperaui, quam aliquando omnes unius opera ſeruatam iudicauerunt.* D*ij immortales mihi liberos dederunt, uos reddidiſtis. multa præterea à dijs immortalibus optata conſecuti ſumus: niſi ueſtra uoluntas fuiſſet, omnibus diuinis munerib. caruiſſemus.* V*eſtros deniq; honores, quos eramus gradatim ſingulos aſſecuti, nunc à uobis uniuerſos habemus: ut quantum antea parentibus, quantum dijs immortalibus, quantum uobiſmetipſis, tantum hoc tempore uniuerſum cuncto populo* R. *debeamus.* N*am cum in ipſo beneficio ueſtro tanta magnitudo eſt, ut eam complecti oratione non poſſim: tum in ſtudijs ueſtris tanta animorum declarata eſt uoluntas, ut non ſolùm calamitatem mihi detraxiſſe, ſed etiam dignitatem auxiſſe uideamini.* Non † *enim pro meo reditu, ut pro* P. Popilli*j, nobiliſſimi hominis, adoleſcentes filij, & multi præterea cognati atque affines deprecati ſunt: non, ut pro* Q. Metello, *clariſſimo uiro, iam*

Enumeratio & exaggeratio beneficiorum ſiue ſtudiorum populi Romani per collationem cum parentum meritis, liberorũ dono, & aliis diuinis beneficiis.

† ãplificatio ex collatione ſiue exemplis aliorum reſtitutionis, qui ſcilicet deprecantib. multis propinquis reuocati ſunt.

ro, iam ſpectata ætate filius: non L. *Dalmaticus conſularis ſumma auctoritate uir: non* Q. *Metellus cenſorius, non eorum liberi: non* Q. *Metellus nepos, qui tum conſulatum petebat, non ſororum filij* Luculli, Seruilij, Scipiones. *permulti enim tũ* Metelli, *aut* Metellorum *liberi, pro* Q. *Metelli reditu uobis ac patribus ueſtris ſupplicauerunt.* Quòd *ſi ipſius ſumma dignitas, maximæq; res geſtæ non ſatis ualerent: tamen filij pietas, propinquorum preces, adoleſcentium ſqualor, maiorum natu lacrymæ populũ* R. *mouere potuerunt.* Nam C. *Marij, qui poſt illos ueteres clariſſimos conſulares, ueſtra patrumq; memoria, tertius ante me conſularis ſubijt indigniſſimam fortunam præſtantiſſima ſua gloria, diſſimilis fuit ratio: non enim ille deprecatione redijt, ſed in diſſenſu ciuium, exercitu ſe armisq; reuocauit. me autem nudum à propinquis, nulla cognatione munitum, nullo armorum ac tumultus metu,* C. *Piſonis generi mei diuina quædam & inaudita auctoritas atq; uirtus, fratrisq; mei miſerrimi atq; optimi quotidianæ lacrymæ ſordesq; lugubres à uobis deprecatæ ſunt.* Frater *erat unus, qui ſuo ſqualore ueſtros oculos inflecteret: qui ſuo fletu deſiderium mei memoriamq; renouaret: qui ſtatuerat,* Quirites, *ſi uos me ſibi non reddidiſſetis, eandem ſubire fortunam: & tanto in me amore extitit, ut negaret fas eſſe non modò domicilio, ſed ne ſepulchro quidem ſe à me eſſe ſeiunctum.* Pro *me præſente ſenatus hominumq; præter ea uiginti millia ueſtem mutauerunt: pro eodem me abſente unius ſqualorem ſordesq; uidiſtis. unius hic,*

Altera collationis pars de ſua reſtitutione per ſtudia populi, ſolo deprecante fratre.

Fratris merita.

qui domi, qui in foro poſſet eſſe, mihi pietate filius inuentus eſt, beneficio parens, amore idẽ qui fuit frater. nam cõiugis miſeræ ſqualor et luctus, atq; optimæ filiæ mœror aßiduus, filijq́; parui deſideriũ mei lacrymæq́; pueriles, aut itineribus neceſſarijs, aut magna parte tectis ac tenebris continebantur. Quare hoc maius eſt ueſtrum in nos promeritũ, ꝙ non multitudini propinquorum, ſed uobiſmetipſis nos reddidiſtis. Sed queadmodum propinqui, quos ego parare non potui, mihi ad deprecandã calamitatẽ meam non affuerunt: ſic illud ꝙ mea uirtus præſtare debuit, adiutores, auctores, hortatoresq́; ad me reſtituendũ ita multi fuerunt, ut longè ſuperiores omnes hac dignitate copiaq́; ſuperarẽ. Nunquam de P. Popillio, clarißimo atq; fortiß. uiro: nunq̃ de Q. Metello, nobilißimo & conſtantißimo ciue: nunquam de Mario, cuſtode ciuitatis, atq; imperij ueſtri, in ſenatu mentio facta eſt. tribunitijs ſuperiores illi rogationibus, nulla auctoritate ſenatus ſunt reſtituti: Marius uerò non modò non à ſenatu, ſed etiam oppreſſo ſenatu eſt reſtitutus: nec rerum geſtarum memoria in reditu C. Marij, ſed exercitus atq; arma ualuerunt. at de me, ut ualeret, ſemper ſenatus flagitauit: ut aliquando perficeretur, cum primùm licuit, frequentia atq; auctoritate perfecit. Nullus in eorum reditu motus municipiorum & coloniarũ factus eſt: at me in patriam ter ſuis decretis Italia cuncta reuocauit. Illi, inimicis interfectis, magna ciuium cæde facta, reducti ſunt: ego ijs, à quibus eiectus ſum, prouincias obtinentibus, inimico autem optimo uiro, & mitißimo al-

Concluſio huius cõmemorationis de ſtudiis populi.

Commemoratio ſtudiorum ſenatus erga ſe.

Exemplis oſtendit, ſuam reſtitutionem eſſe glorioſiorem propter tot tantaq; ſenatus ſtudia, quanta alii nulli contigerunt.

Id eſt, animorũ promtitudo.

mo altero conſule referente, reductus ſum, cum is inimicus, qui ad meam perniciem uocem ſuam communibus hoſtibus præbuiſſet, ſpiritu duntaxat uiueret, re quidem infra omnes mortuos amandatus eſſet. Nunquam de Popilio L. Opimius, *fortiſſimus conſul: nunquam de* Q. Metello, *non modò* C. Marius, *qui erat inimicus, ſed ne is quidem, qui ſecutus eſt,* M. Antonius, *homo eloquentiſſimus, cum* A. Albino *collega ſenatum aut populum eſt cohortatus. at pro me ſuperiores conſules ſemper, ut referrent, efflagitatì ſunt: ſed ueriti ſunt, ne gratiæ cauſa facere uiderentur, quòd alter mihi affinis erat, alterius cauſam capitis receperant. qui prouinciarum fœdere irretiti, totum illum annum querelas ſenatus, luctum bonorum,* Italiæ *gemitum pertulerunt:* Kal. *uerò* Ianuar. *poſteaquam orba* Reſpub. *conſulis fidem, tanquam legitimi tutoris implorauit,* P. Lentulus, *conſul, parens, decus, ſalus noſtræ uitæ, fortunæ, memoriæ, nominis, ſimul ac de ſolenni religione retulit, nihil humanarum rerum ſibi prius, quàm de me, agendum, iudicauit. atque eo die confecta res eſſet, niſi is tribunus plebis, quem ego maximis beneficijs quæſtorem conſul ornaueram, cum & cunctus ordo, & multi cum ſummi uiri ornarent, &* Cn. Oppius *ſocer, optimus uir, ad pedes eius flens iaceret, noctem ſibi ad deliberandũ poſtulaſſe: quæ deliberatio nõ in reddenda, quemadmodũ nonnulli arbitrabantur, ſed, ut patefactum eſt, in augenda mercede conſumta eſt.* Poſtea *res acta eſt in ſenatu alia nulla: & cùm uarijs rationib. impediretur,*

Commemoratio ſtudiorum magiſtratuum erga ſe.

uoluntate

uoluntate tamen perſpecta ſenatus, cauſa ad uos menſe Ianuar. *deferebatur.* Hic *tantum interfuit inter me & inimicos meos.ego, cum homines in tribunali* Au*relio palàm conſcribi centuriariq́; uidiſſem, cum intelligerem ueteres ad ſpem cædis* Catilinæ *copias eſſe reuocatas: cum uiderem ex ea patre homines, cuius partis nos uel principes numerabamur, partim quòd mihi inuiderent, partim quòd ſibi timerent, aut proditores eſſe, aut deſertores ſalutis meæ: cum duo conſules empti pactione prouinciarum, auctores ſe inimicis* Reipub. *tradidiſſent: cum egeſtatem, auaritiam, libidines ſuas uiderent expleri non poſſe, niſi me conſtrictum domeſticis hoſtibus dediſſent: cum ſenatus equites* Rom. *flere pro me, ac mutata ueſte uobis ſupplicare, edictis atq; imperijs uetarentur: cum omnium prouinciarum pactiones, cum omnia cum omnibus fœdera, reconciliationes gratiarum ſanguine meo ſancirentur: cum omnes boni non recuſarent, quin uel pro me, uel mecum perirent: armis decertare pro mea ſalute nolui: quòd & uincere & uinci luctuoſum* Reipub. *fore putaui. at inimici mei, menſe* Ian. *cùm de me ageretur, corporibus ciuium trucidatis, flumine ſanguinis meum reditũ intercludendum putauerunt.* Itaq; *cùm ego abſui, eam* Rempub. *habuiſtis, ut æquè me atq; illã reſtituendam putaretis.* Ego *autem, in qua ciuitate nihil ualeret ſenatus, omnis eſſet impunitas, nulla iudicia, uis & ferrum in foro uerſarentur, cum priuati ſe parietum præſidio, non legum tuerentur, tribunipl. nobis inſpectantibus uulnerarentur, ad* Magiſtratuum *domos*

Digreditur in cõmemorationem cauſarum exilii ſui.

Id eſt, fœdere prouinciarũ irretiti.

domos cum ferro & facibus iretur, conſulis faſces frangerentur, deorum immortalium templa incenderentur, Rempub. *nullam eſſe putaui: itaq; neq;* Rep. *exterminata mihi locum in hac urbe eſſe duxi: nec, ſi illa reſtitueretur, dubitaui, quin me ſecum ipſa reduceret.* a An *ego, cum mihi eſſet exploratißimum,* P. Lentulum *proximo anno conſulem futurum, qui illis ipſis* Reip. *periculoſißimis temporibus ædilis curulis, me conſule omniū meorum conſiliorum particeps, periculorumq; ſocius fuiſſet: dubitarē, quin is me confectum conſularibus uulneribus, conſulari medicina ad ſalutem reduceret?* Hoc *duce, collega autem eius, clementißimo atq; optimo uiro, primò non aduerſante, pòſt etiam adiuuante, reliqui magiſtratus penè omnes fuerunt defenſores ſalutis meæ: ex quibus excellenti animo, uirtute, auctoritate, præſidio,* T. Annius & P. *Sextius, præſtanti in me beneuolentia & diuino ſtudio extiterunt. eodēq;* P. Lentulo *auctore, & pariter referente collega, frequentißimus ſenatus, uno diſſentiente, nullo intercedente, dignitatem meam, quibus potuit uerbis amplißimis, ornauit, ſalutem uobis, municipijs colonijsq; omnibus commendauit.* Ita *me nudum à propinquis, nulla cognatione munitum, conſules, prætores, tribuni pl. ſenatus,* Italia *cuncta ſemper à uobis deprecata eſt: deniq; omnes qui ueſtris maximis beneficijs honoribusq; ſunt ornati, producti ad uos ab eodem, nō ſolùm ad me conſeruandū uos cohortati ſunt, ſed etiam rerum mearum geſtarum auctores, teſtes laudatoresq; fuerunt. quorum princeps ad cohortandum uos,*

Concluſio commemorationis de cauſis ſui diſceſſus ſiue exilii.

a Recitat ordine eos, quorum ope reuocatus eſt, & gratias ſimul agit.

P. Lentulus.

T. Annius.

Digitized by Google

Cn. Pompeius. dum uos, & ad rogandos fuit Cn. Pompeius, uir omnium qui ſunt, fuerunt, erunt, uirtute, ſapientia ac gloria princeps. qui mihi unus uni priuato amico eadem omnia dedit, quæ uniuerſæ Reipub. ſalutem, ocium, dignitatem. cuius oratio fuit, quemadmodũ accepi, tripartita. primùm uos docuit, meis conſilijs Rempub. eſſe ſeruatam: cauſamq́; meam cum communi ſalute cõiunxit: hortatusq́; eſt, ut auctoritatem ſenatus, ſtatum ciuitatis, fortunas ciuis bene meriti defenderetis: tum in perorando poſuit, uos rogari à ſenatu, rogari ab equitibus R. rogari ab Italia cuncta: deniq; ipſe ad extremum pro mea uos ſalute non rogauit ſolùm, uerùm etiam obſecrauit. Huic ego homini, Quirites, tantum debeo, quantum hominem homini debere uix fas eſt. Huius conſilia, P. Lentuli ſententiam, ſenatus auctoritatem uos ſecuti, in eo me loco, in quo ueſtris beneficijs fueram, iiſdem centurijs, quibus collocaratis, repoſuiſtis. Eodem tempore audiſtis eodem ex loco ſummos uiros, ornatiſſimos atque ampliſſimos homines, principes ciuitatis, omnes conſulares, omnes prætorios eadem dicere, ut omnium teſtimonio, per me unum Rempub. conſeruatam eſſe, conſtaret.

P. Seruilius: Itaq; cum P. Seruilius, grauiſſimus uir, & ornatiſſimus ciuis, dixiſſet, opera mea Rempub. incolumem magiſtratibus deinceps traditam, dixerunt in eandem ſententiam cæteri. Sed audiſtis eo tempore clariſſimi uiri non ſolùm auctoritatem, ſed etiam teſtimonium, L. Gellij: qui, quia ſuam a claſſem attentatã magno cum ſuo periculo penè ſenſit, dixit in concione ueſtra,

L. Gellius.

a Id eſt, tribũ.

ſtra, ſi ego Conſul, cum fui, non fuiſſem, Rempub. funditùs interituram fuiſſe. En ego tot teſtimonijs, Quirites, hac auctoritate ſenatus, tanta conſenſione Italiæ, tanto ſtudio bonorū omnium, agente P. Lentulo, conſentientib. cæteris magiſtratibus, deprecante Cn. Pompeio, omnibus hominibus fauentibus, dijs deniq; immortalibus frugum ubertate, copia, utilitate, reditum meū comprobantibus, mihi, meis, Reipub. reſtitutus, tantum uobis, quantum facere poſſum, Quirites pollicebor: primùm, qua ſanctiſsimi homines pietate erga Deos immortales eſſe ſolent, eadem me erga populum R. ſemper fore, numenq; ueſtrum æquè mihi graue & ſanctum, ac deorum immortalium, in omni uita futurum. Deinde, quoniam me in ciuitatem Reſpub. ipſa reduxit, nullo me loco Reipub. defuturum. Quòd ſi quis exiſtimat, me aut uoluntate eſſe mutata, aut debilitata uirtute, aut animo fracto, uehementer errat. Mihi quod potuit uis, & iniuria, & ſceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abſtulit, diſsipauit: quod uiro forti adimi non poteſt, id manet & permanebit. Vidi ego fortiſsimum uirum, municipem meum, C. Marium, quoniam nobis quaſi aliqua fatali neceſsitate non ſolùm cum ijs, qui hæc delere uoluiſſent, ſed etiam cum fortuna belligerandum fuit: eum tamen uidi, cum eſſet ſumma ſenectute, non modò non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, ſed confirmato atque renouato. quem egomet dicere audiui, tum ſe fuiſſe miſerum, cum careret patria, quam obſidione liberauiſſet: cum ſua bona poſsideri ab inimicis ac diripi audiret: cum

Epilogiſmus eorum omnium a quib. adiutus eſt, cum promiſſione pietatis et officiorum in Rempub.

Occupatio de ſua virtute nequaquā fracta aut diminuta.

Exemplum Marii.

Digitized by Google

adoleſcentem filium eiuſdem ſocium calamitatis: cum in paludibus demerſus, concurſu ac miſericordia Minturnenſium corpus ac uitam ſuam conſeruaſſet: cùm parua nauicula traiectus in Africam, quib. regna ipſe dederat, ad eos inops ſupplexq; ueniſſet. recuperata uerò ſua dignitate, ſe non commiſſurum, ut, cum ea quæ amiſerat, ſibi reſtituta eſſent, uirtutem animi non haberet, quam nunquam perdidiſſet. Sed hoc inter me atq; illum intereſt, quòd ille, qua re plurimum potuit, ea ipſa re inimicos ſuos ultus eſt, armis: ego, qua conſueui, utar pietate. quoniam illi arti in bello ac ſeditione locus eſt: huic in pace atq; ocio. quodq; ille animo irato nihil, niſi de inimicis ulciſcendis, agebat: ego de ipſis inimicis tantum, quantum mihi Reſpub. permittet, cogitabo. Denique, Quirites, quoniam me quatuor omnino genera hominum uiolarunt: unum eorum qui odio Reipub. quòd eam ipſis inuitis conſeruaram, mihi inimiciſsimi fuerunt: alterum, qui per ſimulationem amicitiæ nefariè me prodiderunt: tertiũ, qui, cum propter inertiam ſuam eadem aſſequi non poſſent, inuiderunt laudi & dignitati meæ: quartum, qui, cum cuſtodes Reipub. eſſe debuerunt, ſalutem meã, ſtatum ciuitatis, dignitatem eius imperij, quod erat penes ipſos, uendiderunt: ſic ulciſcar genera ſingula, quemadmodum à quibusq; ſum prouocatus: malos ciues, Rempub. bene gerendo: perfidos amicos, nihil credendo, atq; omnia cauendo: inuidos, uirtuti & gloriæ ſeruiendo: mercatores prouinciarũ reuocando domum, atq; ab ijs prouinciarum rationem repetendo.

Diſsimilitudo exempli Marii & ſui.

Per diſtributionem notat eos a quibus læſus eſt, & vltionem minatur.

Quan-

Digitized by Google

Quanquam mihi maiori curæ eſt, quemadmodum quidem uobis, qui de me eſtis optimè meriti, gratiam referam, quàm quemadmodum inimicorum iniurias crudelitatemq; perſequar. Etenim ulciſcendæ iniuriæ facilior ratio eſt, quàm beneficij remunerandi: propterea quòd ſuperiorem eſſe contra improbos, minus eſt negocij, quàm bonis exæquari: tum etiam nec tam neceſſarium quidem eſt, malè meritis, quàm optimè meritis, referre q. debeas. Odiū uel precibus mitigari poteſt, uel tēporibus Reip. cōmuniq; utilitate deponi, uel difficultate ulciſcendi teneri, uel uetuſtate ſedari: benemeritos quin colas, nec exorari fas eſt, neq; id Rep. repetere, utcunq; neceſſe eſt, neq; eſt excuſatio difficultatis, neq; æquū eſt tempore & die memoriam beneficij definire. Poſtremò, qui in ulciſcendo remiſſior fuit, mox apertè laudatur: at grauiſſimè uituperatur, qui in tantis beneficijs, quanta uos in me contuliſtis, remunerandis eſt tardior: neq; ſolùm ingratus, quod ipſum graue eſt, uerùm etiam impius appelletur neceſſe eſt. Atque in officio perſoluendo diſſimilis eſt ratio, & pecunia debita: propterea, quòd pecuniam qui retinet, non diſſoluit: qui reddidit, non habet: gratiam & qui rettulit, habet: & qui habet, diſſoluit. Quapropter memoriam ueſtri beneficij colam beneuolentia ſempiterna, non ſolùm dum anima ſuperabo mea, ſed etiam cum mortuo monumenta ueſtri in me beneficij permanebunt. In referenda autem gratia hoc uobis repromitto, ſemperq; præſtabo, mihi neq; in conſilijs de Repub. capiundis diligentiam,

Correctio: ſed plus apud me valebit ratio referendæ gratiæ, quam vlciſcendæ iniuriæ.

Confirmatio & expolitio huius ſententiæ per rationes complures.

Peroratio cōtinens pollicitationem remunerationis ſempiternæ.

neq; in periculis à Repub. propulſandis animum, neq; in ſententia ſimpliciter referenda fidem, neq; in hominum uoluntatibus pro Repub. lædendis libertatem, nec in perferendo labore induſtriam, nec in ueſtris commodis augendis gratam animi beneuolentiam deſuturam. Atq; hæc cura, Quirites, erit infixa animo meo ſempiterna, ut cùm uobis, qui apud me deorum immortalium uim et numen tenetis, tum poſteris ueſtris, cũctis gentibus digniſsimus ea ciuitate uidear, quæ ſuam dignitatem non poſſe tenere ſe, niſi me recuperaſſet, cunctis ſuffragijs iudicauit.

EVAGORAS ISOCRATIS, CONuerſus in ſermonem Latinum, per Matth. Dreſſerum: adiuncta diſpoſitione.

ARGVMENTVM.

Euagoras fuit rex Salaminis Cypriæ, cui mortuo filius Nicocles more regio iuſta magnifice fecit. Vnde motus Iſocrates, ſcripſit illi hanc Orationem funebrem, in qua mortui laudes diſertè commemorat & prædicat. Eſt igitur Oratio generis Demonſtratiui, pertinetque ad primam eius claſſem, videlicet laudationem perſonarum. Sunt autem huius Orationis quatuor partes: prima, Exordium: ſecunda, Propoſitio: tertia, Narratio hiſtoriæ, ſecundum locos laudationis: quarta,

Digitized by Google

ta, Concluſio. De his ſingulis ſuo quoque loco dicemus.

I. EXORDIVM.

CVm uideam Nicocles, *te patris tui funus non copia ſolum & pulchritudine iuſtorum, ſed choris etiam et muſica, et gymnicis certaminibus ornare, & inſuper etiam equorum triremiumq; dimicationes adhibere, nihilq; quod quidem ad excellentiam maximam attinet, intermittere:* a *exiſtimaui* Eua*goræ (ſi modò quis ſenſus rerum quæ hic geruntur, mortuis ineſt) gratum quidem eſſe hoc tuum officiũ, lætariq; cum hac tua erga ipſum cura & magnificentia: ſed tamen multò plus quàm cæteris omnibus habere illum gratiæ, ſi quis & facta eius, & ſuſcepta pericula, oratione iuſta exponere poſſet.* b *Experimur enim honoris cupiditate incenſos magnanimosq; uiros non ſolum pro factis ſuis laudari uelle, ſed etiam mori cũ laude, quàm uiuere malle: magisq; de gloria quàm de uita eſſe ſolicitos: & nihil deniq; non audere, quo immortalẽ ſui memoriam poſt ſe relinquant.* c *Sumptus autem nihil tale efficiunt, ſed tantùm opulentiæ ſignum ſunt.* M*uſici uerò & certatores alij ſeipſos celebriores reddunt, dum hi uires, illi artem ſuam oſtentant. Sed oratio, res eius geſtas diſertè exponens, immortalem* Eua*goræ uirtutem apud omnes homines efficit.* P*ar eſt igitur, ut alij quoq; ſuæ ætatis bonos uiros laudent, quo & illi qui facta ueterum ornare poſſunt, apud peritos uerba facientes, uerè*

Exordium a cauſa quæ ad ſcribendũ impulit. Adfert autem rationes plures. Quarum prima eſt, a magnificẽtia apparatuum Nicoclis, in honorem patris.

a II. A voto Euagoræ. ipſi Euagoræ manes deſiderãt, res eius geſtas deſcribi.

b Ratio a cauſa, cur res magnas viri præclari aggrediantur.

c Collatio ludorũ, & orationum, vtrũ eorum ſit melius.

Cauſa ſcribẽdarum orationum, vt ſcilicet iuniores inde ad virtutẽ excitentur.

de ijs diſſerant: et ſimul etiam iuniores uirtutis amore inflammentur, ſcientes, quo meliores alijs fuerint, eo maiorẽ etiam laudem ſe conſequuturos eſſe. a Nũc autem quis non animo frangatur, cum eos qui belli Troiani tempore aut ultrà uixerunt, uideat tot hymnis & tragœdijs celebrari: ſeipſum uerò, quamuis eorum uirtutem ſuperet, nunquam tamen ſimilem laudem eſſe habiturum? b Huius autem rei cauſa eſt inuidia. cui quidem hoc ſolùm boni ineſt, quòd maximum malũ ſit inuidis. c Sunt enim nonnulli adeò peruerſi natura, ut libentius audiant laudes eorum, quos ne quidem an unquam extiterint ſatis nouerunt: quã illorum, à quibus beneficia ipſi acceperint. His tam nefariè ſentientibus hominibus minimè obſequi decet prudentes: ſed negligendi potius ſunt illi, & adſuefaciendi alij ad audiendum ea de quibus dicere iuſtius eſt: præſertim cum acceſſiones factas eſſe uideamus cùm artium, tum aliorũ omnium, non quidem per eos qui more conſtituto uiuunt, ſed qui corrigere & tollere audent, ſi quid non ſatis rectè conſtitutum eſt. d Scio igitur difficile eſſe, quod ſuſcepturus ſum ornare ſcilicet dicendo uiri uirtutem. Nam huius rei argumentum habeo maximum, quòd de alijs quidem rebus multis & uarijs Philoſophi dicere audent: de hoc uerò genere nemo illorum unquam ſcribere conatus eſt.

Sed hos uenia dignos eſſe cenſeo. e Nã poetis conceſſa ſunt multa ornamenta, cum deorum cum homini bus, quibuſcunq; uoluerint, conuerſationes, colloquia atq;

a Aduerſatiua, qua perſtringit penuriam orationum laudatoriarum.

b Trãslatio. reiicit autem cauſam in inuidiam.

c γνώμη: Inuidia id ſolũmodo boni habet, vt nemini magis noceat, quam inuido.

d Attentio. Oſtendit .n. difficultatem ſuſceptæ orationis, a paucitate ſcriptorum in hoc genere.

e Amplificatio difficultatis, per collationem cum poetis: in qua poeſin, quam ſolã tunc populus admirabatur, eleuat, & longe infra orationem ſolutam ponit.

atq; concertationes fingere poßint liberè: in eoq; non uno definito uerborum genere uti, ſed nunc uocabulis peregrinis, nunc nouis, nunc metaphoris, & nihil intermittere corũ, quæcunq; poemati aliquid decoris adferre poſſe uideantur. At oratoribus horum nihil licet: ſed ſtrictè & nominibus popularibus, & ſententijs ex rebus ipſis natis uti coguntur. Illi præterea metris & numeris omnia complectuntur: hi uerò nihil eiuſmodi participant. Eſtq; illorum tanta gratia, ut quamuis nec uerba nec ſententias bonas adhibeant, ipſa tamen numeri uetuſtas, & æquabilis uocum copulatio, auditorum animos oblectet. Quorum quidẽ quanta uis ſit, hinc diſcere maximè licet. Etenim ſi quis poëmatum etiam receptißimorum, relictis uerbis & ſententijs, metrum diſſoluerit: apparebit longè illa eſſe inferiora opinione, quam nunc de ipſis habemus.

II.

Veruntamen licet tanta habeat prærogatiua Poeſis, tamen non propterea ceſſandum eſt: ſed tentandæ orationes ſunt, an & ipſæ præſtantes uiros celebrare poßint, non minus quàm ab his fit, qui carminibus & uerſibus commendant.

Concluſio exordii per antitheſin, quæ eſt propoſitio orationis.

III. Narratio hiſtoriæ vitæ.

Primùm igitur de origine Euagoræ, & quibus ortus ſit maioribus, tametſi multi antè norunt, propter alios tamen de ijs dicendũ mihi eſſe uidetur, ut palàm

I. NATALES.

ſiat omnibus, cum nulla in re maiorum ſuorum præclariſſimis & pulcherrimis exemplis relictis inferiorem extitiſſe. Conſtat equidem, ſemideos illos omniũ eſſe generoſiſſimos, qui à Ioue orti ſunt: his autem ipſis nemo eſt, qui non Aeacidas anteferat. Etenim in cæteris reperimus, alios quidem familiam ſuperare, alios uerò multum eſſe impares. Hi autem omnes ſuo quiſq; tempore celeberrimi fuerunt. Aeacus enim cum Iouis filius, tum generis Teucridarum autor, adeò excelluit, ut cum ſiccitas magna in Græcia eſſet, eaq; multi homines perirent, poſteaquam magnitudo calamitatis immodicè erat aucta, principes ciuitatum ſupplices ad illum uenerint, putantes ſe per eius generoſitatem pietatemq; celerrimè à dijs immortalibus præſentium malorum leuationem eſſe conſecuturos. Cum autem ſeruati eſſent, quæq; petierant obtinuiſſent, ædificârunt templum Græcis commune in Aegina, ubi ille uotum nuncupauerat. Atq; illo quidem tempore, quoad in uiuis erat, maxima fuit gloria: nunc uerò, poſtquam mortem cum uita commutauit, dicitur ſummo cum honore Plutoni & Proſerpinæ aſſidere. Huius filij fuerunt Telamon & Peleus, quorum alter cum Hercule Laomedonti bellum inferens, primas tulit: Peleus uerò, cum in pugna contra Centauros excelluiſſet, & ob multa alia pericula celebraretur, Thethida Nerei filiam immortalem ipſe mortalis uxorem accepit. Et huic ſoli aiunt ex maioribus deos in nuptijs hymenæum ceciniſſe. Habuit autem uterque ſuam ſobolem. Telamoni genuit Aiacem,

Aeacus

Talamon & Peleus.

Aiax.

&

& Teucrum: Peleus uerò, Achillem: qui ſanè maxima & euidentiſſima uirtutum ſuarum documenta dederunt. Non enim in ſuis ſolum urbibus imperârunt, neq; ijs locis quæ incolebant: ſed cum bellum gererent Græci contra barbaros, magnæq; eſſent utrinq; collectæ copiæ, adeò ut nemo clarorum uirorum prætermitteretur: nemo omnium fuit qui in illis periculis Achillem antecelleret, & poſt eum Aiacem uirtute ſuperaret. Teucer autem & horum cognatione dignus, & aliorum nemine inferior factus, poſteaquam ſimul expugnauit Troiam, in Cyprum peruenit, Salaminemq; condidit, quam à priori ſua patria ita uocitauit, & hoc genus regum, qui nunc imperant, poſt ſe reliquit. Hæc tot & tam magna ſunt, quæ ab initio maiores Euagoræ factitârunt. Cum autem hoc modo urbs extructa eſſet, principiò à Teucri poſteris gubernata eſt. Poſtea uerò cum quidam ex Phœnicia ueniſſet exul, fidemq; apud regem qui tunc erat, meruiſſet, & inſuper potentiam haud exiguam adeptus eſſet, accepti beneficij immemor, peſſimam gratiam regi hoſpiti retulit: eoq; auariciæ proceſſit, ut excuſſo ſuo benefactore, ipſe regnum occuparet. Hic cùm rebus geſtis diffideret, regnumque in tuto collocare uellet, & urbem barbaram effecit, & inſulam totam regi Perſarum dedidit. Hoc rerum ſtatu naſcitur Euagoras: de quo quæ omnia, quæ uaticinia, quæque uiſiones per ſomnum factæ ſint, ex quibus quanto maior ille quàm ſors humana fert, fuerit, conſpici poteſt,

Teucer & Achilles.

Teucer author Salaminis, & regum eius.

Exemplum ingrati hoſpitis, quale eſt & militis Alexandri.

II. NATIVITAS.

Digitized by Google

libens omitto: non quòd de illorum ueritate dubitem quæ dicuntur, ſed ut omnibus planum faciam, tantum abeſſe ut quicquam fingere de eius geſtis uelim, ut ea etiam omittam quæ paucis quibuſdam, & non uniuerſis ciuibus cognita ſunt. Incipiam autem de illo dicere ea quæ in confeſſo ſunt.

III. PVERITIA, ornata tribus virtutibus: Pulchritudine, robore, et modeſtia.

Puer cum eſſet, pulchritudine, robore, & modeſtia antecellebat: quæ ſanè præ cæteris bonis maximè hanc ætatẽ decent. Quorũ quidem poſſum citare teſtes. Modeſtiæ quidem ciues, qui ſimul cũ illo educati ſunt: pulchritudinis, omnes quib. modò eſt uiſus: roboris uerò certamina, in quibus ſuperatis æqualibus uictor euaſit.

IIII. AETAS virilis, prædita modeſtia, forma, & robore: cum adiuncta fortitudine, ſapientia, iuſticia.

Hæc ornamenta ſimul cum eo, cum iam uir eſſet factus, accreuerunt: & acceßit inſuper fortitudo, ſapientia, & iuſticia: eaq; non mediocria, neq; ut in alijs quibuſdam eſſe ſolent, ſed tanta fuêre, ut in ſingulis eorum excelleret. Adeò enim cùm corporis tum animi uirtutibus præſtitit, ut ſi fortè aſpicerent, cum qui tunc erant reges, obſtupeſcerent, & regno metuerent: non fieri poſſe exiſtimantes, ut uir tantus priuata ſorte contentus uiueret. Cum uerò mores eius intuerentur, tantam de illo fiduciam concipiebant, ut etiam ſi quis alius nocere ipſis auderet, Euagoram ſibi adiutorem fore putarent: cumq; adeò uariarent opiniones, neutra harum decepti ſunt.

V. VITAE genus, cum rebus geſtis.

Priuatus enim non uixit, neq; etiam in illos deliquit. Sed tam præſenti Dei ope ad accipiendum cum honeſtate regnum uſus eſt, ut quæcunq; per ſcelus obtinere neceſſe eſſet, ea per alium perficerentur: quæ uerò ad ſanctè iuſtèque adipiſcendum re-

gnum

Digitized by Google

gnum pertinerent, ad ea Euagoras *reſeruaretur. Inuentus eſt enim unus ex ijs qui potentia cæteros anteibant, qui per inſidias & regem interemit, &* Euago*ram capere conatus eſt: quòd regno potiri ſe non poſſe arbitraretur, niſi illum è medio ſuſtuliſſet. Cũ uerò hoc periculum euitaſſet, conſeruatusq; eſſet uſq; ad urbem Ciliciæ* Solos, *non eodem modo cum cæteris qui in eiuſmodi calamitates incidunt, animatus fuit. Alij enim, cùm regno ſuo excutiuntur, ipſa fortuna fracti, animo abiectiore ſunt. Ille uerò tam celſo animo fuit, ut cum antea priuatus fuiſſet, tunc cum exulare cogeretur, regnare neceſſarium ſibi eſſe exiſtimaret. Neq; ad id uti uoluit erronibus fugitiuis, neq; per alium quenquam reſtitui. Sed qui deteriores eſſent, hos colere noluit. Accepta igitur ea occaſione, quam omnes pios iniuriam uindicare, non prius inferre uolentes, habere oportet: ſatius eſſe putans aut re ex animi ſententia geſta imperare, aut ſpe fruſtrata mori, aſcitis uiris, ut plurimi memorant, circiter 50, reditum in patriam parabat. unde ſanè uel maximè quis & ingenium eius, & gloriam quam apud alios habuit, perſpexerit. Cum tot hominibus nauigaturus, ad faciendũ facinus tam arduum, quamuis grauia undiq; circumſtarent pericula, non tamen animo fractus eſt, neq; ullus ſociorum metu periculi deficere uoluit: ſed illum tanquam* Deum *ſequentes omnes fidem datam ſeruârunt.* Is *uerò, perinde ac ſi exercitum haberet hoſtibus meliorem, aut qui euentus belli futurus eſſet proſpiceret, animatus fuit. id quod effectus declarat. Cum n.*

Magnitudo animi in perferendis aduerſis.

Digitized by Google

in inſulam deſcendiſſet, non putauit oportere locū aliquem munitū occupare, ut cū corpus in tuto collocaſſet, expectaret an ex ciuibus aliqui opem laturi eſſent: ſed ſtatim ut res ſeſe dabat, eadē nocte perfracta muri portula, ſuiſq; quos habebat per eam introductis, ad regiam irruit. Qui autem tumultus tunc, qui cæterorū metus, quæ eius adhortationes fuerint, quorſum attinet multis cōmemorare? Hîc cū illi qui à tyranni partib. erant, ei reluctarentur: cæteri uerò ciues ſpectatores eſſent ocioſi, metuentes partim ſui regis imperiū, partim etiā Euagoræ uirtutē: non prius, & ſolus cū multis, & cū paucis aduerſus hoſtes omnes pugnare deſijt, quàm regiam cepiſſet, inimicos ultus eſſet, & amicis opem tuliſſet, familiæ præterea honores patrios recuperaſſet, & ciuitatem ſuo imperio ſubieciſſet. Ex his, arbitror, etiamſi nihil aliud memorarem, ſed hîc orationem clauderem, facilè tamen intelligi poſſe, & uirtutem Euagoræ, & magnitudinem rerum ab eo geſtarum. Veruntamen multo adhuc dilucidius de utriſq; me per ea quæ ſequuntur explicaturum eſſe puto. Etſi enim tot omnibus temporibus reges fuerint, nullus tamen iſtam dignitatem honeſtius adeptus eſſe uidebitur, quàm Euagoras. Si igitur cum ſingulis eorum factis, Euagoræ actiones conferre uellemus, fortaſſe neq; oratio placeret auditoribus, neq; ad dicendum ſat temporis ſuppeteret. Sin autem maluerimus in probatiſsima intueri ſolum, non quidem deterius, ſed multo breuius de his uerba facere poterimus. Quis autem eſt, qui, inter eos qui patria re-

Modus recuperati regni.

Comparatio cum aliis.

gna

gna receperunt, pericula Euagoræ non præferat? Nemo enim tam eſt ignauus, qui regnum hoc à maioribus accipere malit: quàm ſanctè illud partum, ſicut illi contigit, liberis ſuis poſt ſe relinquere. Atq; equidem ex antiquis regni recuperationibus, celeberrimæ ſunt iſtæ quas Poëtæ memorant. Hi enim non ſolum ex præteritis pulcherrimas nobis referunt, ſed nouas etiam de ſuo adijciunt. Sed nullus tamen eorum fabulatus eſt de ullo, qui tam grauibus & terribilibus periculis ſuſceptis ſuam patriam recuperauerit. Plurimos certè recenſent, qui per fortunam regnum receperint: nonnullos etiam, qui per fraudem & technas hoſtes ſuperârint. Ex his autem, qui poſtea extiterunt, & fortaſſe omnibus, maximè admirantur plurimi Cyrum, qui regnum Medis ereptum, Perſis acquiſiuit. Sed is exercitu Perſico uicit Medos: quod ipſum & multi Græci & barbari facilè factitaſſent. Hic uerò noſter animi magnitudine & corporis uiribus, maximam partem eorum quæ antè diximus, confeciſſe uidetur. Deinde, ex Cyri expeditione nondum ſatis conſtat, num etiam Euagoræ pericula ſuſtinuiſſet. Ex his uerò Euagoræ geſtis manifeſtum eſt omnibus, quòd & illa facinora aggreſſus fuiſſet. Adhæc, ſanctè iuſteq; hic peregit omnia: ille uerò nonnulla cum impietate geſſit. Hic enim perdidit inimicos, Cyrus uerò auum ſuum interfecit. Quocirca, ſi qui uolent non quidem eorum quæ acciderunt magnitudinem, ſed uirtutem utriuſq; ſpectare, iure optimo

Collatio cum Cyro, qui quoq; impie eiectus, regnũ armis recepit.

Cyrus occidit ſuum auum.

Eua-

Digitized by Google

Comparatio cum Diis.

Euagoram Cyro præferant. Si uerò breuiter, ſine diſſimulatione & inuidiæ metu, liberè omnino dicendum eſt: nemo neq; mortalium, neq; ſemideorum, neq; deorum immortalium inuenietur, qui honeſtius, glorioſius, & magis piè regnum adeptus ſit, Euagora. Ac his quidem uel maximè fidem adhibebit, qui non ualde his quæ iam diximus diffidens, inquirere inſtituerit, quomodo uterq; imperauerit. Apparebit enim, me non quouis modo magna dicere ſtudere, ſed pro ueritate rei confidenter de his diſſeruiſſe. Si.n. in paruis excelluiſſet, talib. etiam orationibus deceret eũ ornari. Verùm cũ omnes fateantur, regno nihil neq; diuinorũ neq; humanorũ bonorum eſſe maius, grauius & expetendum magis: quis cũ, qui omnium laudatiſsimum cũ laude ſumma obtinet, ſatis pro rei magnitudine, ſiue Rhetor ſit, ſiue Poëta, ſiue Orationum inuentor, laudare poteſt? Etſi igitur hæc illius facta admodum præclara ſint, nihilo tamen in cæteris quoq; inferior extitit: ſed primùm quidem, quamuis animo eſſet perſpicaci, & agendi dexteritate plurimùm polleret, non tamen negligendum, neq; ex tempore quicquam agendum eſſe putauit. Sed in quærendo, meditando, & conſultando maximam temporis partem conſumpſit. Putabat enim, quòd ſi mentem ſuam probè excoluiſſet, bene quoq; ſuum regnum eſſet habiturum. Mirabaturq; eos, qui animi cauſa cæterarum rerum curam agunt, ipſum uerò animum negligunt: nec poſtea in actionibus alio animo affectus fuit. Cum enim uideret eos qui in negocia ſua maxima cura incumbunt, minimum

Virtutes, politicæ.

Induſtria.

Digitized by Google

mum moleſtiæ capere: ueramq; animi quietem non in ignauia, ſed in bene agendo & perſeuerando conſiſtere: nihil intentatum reliquit, ſed adeò accuratè actiones explorauit, ſingulósq; ciues nouit, ut neq; ab inſidiatoribus ſuis anteuerti poſſet: neq; eorum qui bene uellent, quenquam ignoraret, ſed omnes ſibi conuenientia ab ipſo conſequerentur. Non enim ex aliorum ſermonibus, aut pœnis aut præmijs ciues afficiebat: ſed prout ipſe cuiuslibet rei conſcius erat, ita de ea iudicabat. Tandem diligentiam cum adhiberet, neq; in rebus quotidie ſeſe offerentibus, neq; in ullo alio hallucinabatur: ſed tanta cum pietate & humanitate ciuitatem adminiſtrabat, ut qui illuc ueniebant hoſpites, non magis Euagoram, ob tale imperium, quàm eius ſubditos, quòd ſub tali regno uiuerent, felices arbitrarentur. Nullum enim toto ſuo tempore iniuria affecit, ſed bonos honorauit, in omnes imperium exercuit, delinquentes uerò iuſtè puniuit. Et quamuis conſiliarijs non indigeret, tamen amicos in conſilium adhibuit, & ſæpe à familiaribus ſuis ſe uinci paſſus eſt. Inimicos uerò in omnibus ſuperauit: reuerentiam non contractione frontis, ſed uitæ inſtitutis conciliabat. Nulla in re temerè aut immodeſtè ſe gerebat: ſed quæ uerbis promiſerat, perinde ac iuſiurandum ſeruabat. Gloriabatur non in fortunæ, ſed à ſe partis bonis. Amicos beneficentia ſibi obſequentes reddebat: alios uerò, animi celſitudine ſibi ſubiugabat. Metuebant eum, non quòd multis ſuccenſeret: ſed quòd aliorum ingenium longè ſuperaret. Voluptatum non mancipium, ſed dominium ſeſe

Iuſticiam.

Pietas & humanitas erga ciues.

Conſiliorum ratio.

Grauitas.

Fides.

Authoritas.

Tēperantia.

Digitized by Google

ſeſe præbebat. Pauca laborando, multum ocij parabat: non tamen propter exiguum ocium, magnos labores fugiebat. Nihil autem quicquam, quod regiam maieſtatem deceret, prætermiſit: ſed ex qualibet politia, quod optimum eſſet, elegit. Ac obſeruantia quidem erga populum popularis, in ciuitatis uerò adminiſtratione politicus, in capiendo de periculis conſilio imperator erat: regem uerò ſeſe præſtitit, his omnibus maiora faciendo. Quòd autem his, & compluribus ornatus fuerit Euagoras, ipſa eius facta facilè docent. Acceptam enim urbem barbarie repletam, & propter Phœnicum imperium neq; Græcos ſuſcipientem, neq; artibus excultam, neq; negociatione utentem, neq; portus habentem, omni è parte reſtituit. Et multum inſuper terræ illi adiecit, muris circumdedit, triremes fabricauit, & alijs quoq; apparatibus ita eam adauxit, ut nulli Græcarum ciuitatum non æquari poßit. Potentiam præterea tantam illi peperit, ut multi nunc illam metuant, quibus anteà deſpecta fuit. Tanta autem incrementa ciuitates ſumere impoßibile eſt, niſi quis eiuſmodi moribus eas gubernet, quibus uſus eſt Euagoras, quosq; ego paulo antè memorare ſtudui. Quocirca non uereor ne maiora dicere uidear, quàm res eius merentur: ſed magis, ne earum magnitudini oratio mea non ſufficiat. Quis enim tantum uiri ingenium uerbis conſequi poßit, qui non ſolùm ciuitatem ſuam exornauit, uerùm etiam finitimum locum ad manſuetudinem & modeſtiam traduxit? Prius enim quàm imperio potitus

Virtutes perſonis & reb. conuenientes.

Vrbis expolitio & dilatatio.

Ciuium mores.

tus eſſet Euagoras, adeò feri & ſæui erant, ut illos principes optimos eſſe arbitrarentur, qui crudeliſſimè erga Græcos affecti eſſent. Nunc uerò tantum mutati ſunt, ut qui magis ex ijs Græci eſſe uideantur, inuicem certent: plurimiq; eorum à nobis uxoribus acceptis, liberos ex ijs procreent, magisq; etiam Græcis rebus & inſtitutis quàm ſuis ipſorum delectentur. Plures item & Muſici, & aliorum ſtudiorum ſectatores, in illis locis uerſentur; quàm ubi antea eſſe conſueuerunt. Hæc autē omnia nemo eſt qui non Euagoræ accepta referat: eſtq; illud morum & ſanctitatis eius euidentiſſimum ſignum. Multi enim honeſti & boni uiri ex Græcia, relicta patria, in Cyprum habitatum commigrârunt: liberalius & æquius Euagoræ regnum, quàm proprias politias eſſe iudicantes. quos equidem nominatim recenſere, nimis operoſum foret.

Regni commoditas, & æquitas.

Quis neſcit, Cononem propter plurimas uirtutes Græciæ principatum tenentem tunc, cum infelix urbis ſtatus eſſet, ſolum ex omnibus ad Euagoram ueniſſe: quòd & tutum receptum ibi ſe habiturum eſſe, & eundem quàm celerrimè ad recuperandam urbem adiutorem ſibi futurum exiſtimaret? Etſi autem multa iam antè prudenter Conon feciſſet, tamen nulla in re melius quàm in hac conſuluiſſe uidetur.

Conon dux Athenienſis, poſt maximā cladem acceptam in Cyprum ad Euagoram confugit. vide Iuſt. lib. v. & Xenophontē ab initio ii.

Fuit enim hæc in Cyprum fuga multorum datorum & acceptorum bonorum cauſa. Primùm enim, quamuis antea nulla familiaritas inter eos interceſſerat: pluris tamen ſeſe inuicem faciebant, quàm ſi prius domeſtici fuiſſent. Deinde, de alijs

ἑλληνικῶν

Amicitia cū Conone.

quoq;

Digitized by Google

quoq; conſentientes unanimiter ſemper uixerunt, deq; urbe noſtra eadem utriq; mens fuit. Cum enim uiderent eam Lacedæmonijs eſſe ſubiectam, & inſigni mutatione uſam, moleſtè grauiterq; ferebant. Qua quidẽ in re uterq; officium ſe dignum præſtitit. Alteri enim natura erat patria, alter uerò propter multa & magna beneficia lege ciuis effectus erat. Cum autem de liberanda urbe ex calamitatibus cogitarent, mox optatam occaſionẽ Lacædemonij præbuerunt. Cum enim Græci terra mariq; imperarent, eò uſq; dominandi cupiditate proceſſerũt, ut etiam Aſiã hoſtiliter aggredi auderent. Hanc occaſionem illi accipientes, dubitantibus regis Perſici ducibus de bello gerendo, conſuluerunt, ut mari potius quàm terra cõtra Lacedæmonios pugnarent: propterea quòd ſi terreſtri prælio eos uincerent, ea tantum quæ ſunt in continente, bene inde habitura eſſent: ſi uerò nauali prælio uictores euaderent, tota Græcia illius uictoriæ particeps futura eſſet. Quod etiam euenit. Cum enim obtemperaſſent eis duces Perſici, claſſemq; paraſſent, Lacedæmonij uicti ſunt, & imperio exuti: Græci uerò libertatem receperunt, & ciuitas noſtra aliquam partem priſtinæ gloriæ recuperauit, ſociorumq; dux conſtituta eſt. Hæc geſta ſunt duce quidem Conone, ſed adiutore & maximam præſidij partem ſuggerente Euagora, pro quibus nos etiam illos maximis honoribus ornauimus, & ſtatuas eorum prope Iouis ſeruatoris ſimulachrum collocauimus, ut utriuſq; rei monumentum extaret, tum beneficij ingentis, tum amicitiæ mutuæ. Sed hoc idem

Græcia in libertatem uindicata a Conone & Euagora.

idem de illis non ſenſit rex Perſicus: uerùm quanto maiores & præſtantiores res geſſerant, tanto magis ab ijs metuit: Sed de Conone alius nobis ſermo erit. Quòd uerò erga Euagoram ita affectus fuerit, ne ipſe quidem rex clam eſſe uoluit. Apparet enim, magis eum de bello Cyprio ſolicitum fuiſſe, quàm de alijs omnibus: maiorem quoq; & grauiorem aduerſarium Euagoram eſſe putauit, quàm Cyrum de regno diſceptantem. Et huius rei maximum ſignum eſt, quòd huius apparatu audito, tantopere eum deſpexit, ut propter nimiam ſecuritatem parum abeſſet, quin ipſo neſcio Cyrus regiam caperet. Euagoram uerò tamdiu antè metuit, ut interim dum beneficia ab eo accipiebat, bellum illi inferre conaretur: non quidem iuſtè id faciens, ſed tamen non omnino imprudenter ſibi conſulens. Non enim ignorabat, multos ex Græcis & barbaris, per res humiles & nihili magna imperia eſſe conſequutos. Nouerat autem Euagoræ magnanimitatem, incrementa, & propter res geſtas gloriam non exiguam: tum etiam ingenium excellens, & fortunæ proſperitatem. Quapropter non eorum cauſa quæ antè acta erant iratus, ſed de futuris ſolicitus: neq; etiam à Cypro ſolum, ſed multo grauiora metuens, bellum illi intulit. Tanta autem animi contentione in illud incubuit, ut plus quàm quinquaginta millia talentorum iſti expeditioni impenderet. Sed tamen Euagoras, quamuis tantis uiribus eſſe impar: tamen prudentiam ſuam ingentibus illis copijs opponens, multo in his maiorem admirationem ſui, quàm in alijs quæ

Hic Cyrus frater fuit Artaxerxis, & cum eo de regno dimicauit, ſed occubuit. Iuſtinus in fine v. Meminit quoq; Xenophon in initio 3. ἑλληνικῶν.

Bellum Euagoræ cũ Perſarum rege Artaxerxe.

antè dicta ſunt, excitauit. Pacis enim tempore ſuam ſolummodo ciuitatem regebat: ad bellum uerò gerendum impulſus, cum ſeſe præſtitit, talemq; adiutorem ſuum filium Protagoram habuit, ut parum abeſſet quin totam Cyprum ſuo imperio ſubijceret. Depopulatus eſt Phœniciam, Tyrum cepit ui, Ciliciam uerò ad defectionē à rege impulit. Hoſtes autem tot perdidit, ut multi Perſæ ſuas calamitates deplorantes, eius uirtutis meminiſſent. Tandem uerò adeò illos bello ſatiauit; ut cum aliâs conſuetudo eſſet regibus, ne prius conciliarentur ijs qui defecerant, quàm ſub iugum eos redegiſſent: ultrò tunc, abrogata lege hac, pacem facerent, nihilq; de Euagoræ regno mutarent. Ac Lacedæmonijs quidem, quamuis gloriam & potentiam maximam ea tempeſtate haberent, tamen intra tres annos imperium ademit. Cum Euagora uerò per decennium bellum gerens, dominum eundem reliquit, quæ habuit, antequam in bellum eſſet profectus. Hoc autem omnium eſt admiratione digniſſimum, quod illam urbem, quam Euagoras, alij regi parentem, adductis quinquaginta uiris cepit, Rex magnus tantis copijs expugnare nequiuerit. Et ſanè, quomodo poſſet aliquis fortitudinem, prudentiam, & uniuerſam Euagoræ uirtutem lucidius demonſtrare, quàm per eiuſmodi facinora & pericula? Non enim bella ſolùm cætera, ſed illud etiam ipſum quod ab heroibus geſtum eſt, & ab omnibus gentibus celebratum, ſuperaſſe uidetur. Illi enim coniunctis totius Græciæ uiribus, ſolam Troiam ceperunt:

Protagoras filius Euagoræ.

Mos Perſicus, non quieſcere, priuſquam deficientes a ſe reciperent.

Collatio cum Lacedæmoniis, quos intra tres annos debellauit rex Perſicus.

Alia collatio cum rege Perſico.

Comparatio cum heroibus qui Troiam expugnarunt.

Digitized by Google

perunt: hic uerò, cum unam ſolummodo urbem haberet, toti Aſiæ bellum intulit. Quare ſi tot nunc haberet laudum ſuarum præcones, quot fuerunt illis, longè etiam gloria eos ſuperaret. Quis enim eſt ex ijs qui tunc uixerunt (ut omiſsis fabulis, ueritatem conſideremus) cuius tanta facinora extent? quis tantas rerum mutationes effecit? qui ex priuato homine uirtute propria rex factus eſt, genusq; ſuum ex ciuitatis memoria deletum in iuſtam dignitatem uindicauit. Ciues uerò ſuos ex barbaris Græcos, ex effœminatis bellicoſos, ex obſcuris celebres reddidit. Locum etiam ipſum, quem primùm à commercijs alienum, prorſusq; efferatum acceperat, mitigauit, & ad manſuetudinem flexit. Cumq; præterea inimicitiæ ipſi cum rege intercederent, ita eum ultus eſt, ut Cyprium bellum nulla unquam deletura ſit obliuio. Cum uerò ſocius ei fuit, tantum induſtria cæteros anteiuit, ut citra controuerſiam plurimum uirium illi in pugna nauali ad Cnidum contulerit. Quo prælio peracto, rex totius Aſiæ dominus factus eſt: Lacedæmonij uerò, qui antea Aſiam populati erant, de ſalute propria periclitari coacti ſunt. At Græci pro ſeruitute libertatem receperunt. Similiter Athenienſium potentia adeò creuit, ut hi etiam quibus antea parebant, uenirent tradituri illis ſuum regnum. Si igitur quis roget me, quid maximum inter Euagoræ geſta eſſe putem: num ſtudium, et contra Lacedæmonios apparatum, per quæ illa quæ antè dixi, peracta ſunt: aut poſtremũ hoc bellum, aut regni adeptionẽ, aut to-

Digitized by Google

tam illam rerum adminiſtrationem : ualde, non imme-rito, dubitaturus ſim. Quodcũq; enim animo intueor, id mihi maximum & admirabiliſsimum eſſe uidetur. Quamobrem ſi qui maiorum, propter uirtutem, immortalitatem conſecuti ſunt : arbitror & illum hoc dono dignum eſſe, propterea quòd etiam hic uitam atq; ætatem ſuam fœlicius & religioſius, quàm iſti, contriuerit. Videmus enim plurimos & præcipuos ſemideos maximis calamitatibus perſunctos eſſe. Euagoras uerò inde uſq; ab initio uitæ ſuæ, non admiratione ſolum digniſsimus, ſed etiam beatiſsimus fuit. Qua enim in parte felix non fuit, cui tanti maiores contigerunt, ut nemini alij, niſi quis ex eadem ſtirpe prognatus ſit? Corpore uerò & robore adeò præſtitit, ut non Salaminis ſolùm, ſed uniuerſæ Aſiæ imperio dignus eſſet : cumq; optimè ſuum regnum adeptus eſſet, in eodem uitam finiuit : & quamuis mortalis eſſet, memoriam tamen ſui immortalem poſt ſe reliquit. Tam diu autem uixit, ut neq; ſenectus ei deeſſet : neq; morborum, qui illam ætatem infeſtare ſolent, fieret particeps. Præterea, quod omnium rariſsimum et difficillimum eſſe uidetur, ut quis felicem ſimul & copioſam habeat prolem : id quoq; ei non defuit, ſed & ipſum contigit. Neq; etiam, quod ſanè haud exiguum eſt, quenquam ſuorum natorum uulgari nomine appellatum reliquit : ſed alius quidem rex, alij domini, nonnullæ uerò reginæ ſunt uocatæ. Quocirca ſi quidam poetæ de aliquo ex maioribus confidentius aliquanto, quàm res ipſa fert, locuti ſunt, quòd non homo, ſed

Præmia virtutis Euagoræ immortalia.

Epilogus orationis, cũ repetitione locorum narrationis, & amplificationis beatitudinis Euagoræ.

γνώμη. Rariſsimum & difficilimũ Dei donum eſt, multos habere liberos, & eoſdem felices.

Digitized by Google

mo, ſed deus ſiue numen inter homines fuerit: illa ſanè omnia de Euagoræ ingenio dici haud incommodè poſſent. Quare multa de illo à me prætermitti arbitror: deficiunt enim me uires, ne exactius & operoſius laudes eius oratione perpolita commemorem. Veruntamen nunc quoq;, quantum in me fuit, effeci, ne commendatio illi deeſſet. Ego autem, Nicocles, monumenta quidē & ſtatuas pulchras eſſe non nego: actionum tamen & animi ſimulachra, quæ in orationibus, ſi modò ritè elaboratæ ſunt conſpiciuntur, multo eſſe precioſiora duco. Eaq; ideò præfero, primùm quidē quòd ſciam, magnos & præſtantes uiros non tam in corporis pulchritudine gloriari, quàm factorum & nominis laude delectari. Deinde, quòd effictas imagines, apud eos ſolum ubi erectæ ſunt, eſſe neceſſe ſit: orationes uerò proferri poßint paßim in Græciam, ibi'que in ſcholis ſapientum adamari: à quibus laudari multo præſtabilius eſt, quàm ab alijs omnibus. Accedit etiam hoc, quòd nulla effigies neq; pictura corporis naturam repræſentare poßit: ex orationibus uerò, cum mores, tum mentem ipſam deſcriptam & expreſſam imitari, non eſt difficile his qui inertiam fugiunt, & boni eſſe ſtudent. Hac de cauſa lubentius etiam hanc orationē conſcripſi, quòd & tibi et liberis tuis, omnibusq; ab Euagora natis, longè honeſtißimā hanc adhortationem fore conſiderem, ſi quis collectas illius uirtutes, orationeq; exornatas, uobis conſpiciendas & conſiderandas proponeret. Etenim alios cohortamur ad philoſophiam, alios laudamus, ut æmu-

Conuertit orationem ad Nicoclem, filium Euagoræ.

Cauſæ, cur oratio præſtet effictis imaginibus.

A Sapientibus laudari præſtabilißimum eſt.

Laus excitat in bonis mentibus ſtudiū.

Digitized by Google

imitandi egregia facta. Exhortatio ad imitationem virtutis paternæ.

lari celebrium uirorum facta deſiderent. Ego uerò te tuosq;, non alienis exemplis utens, ſed domeſticis, moneo: ſuadeoq;, ut in id omnes cogitationes tuas figas atq; loces, quò & dicendo & agendo nullo Græcorum inferior ſis. Nec uerò eſt quòd exiſtimes, me, cum toties te commonefaciam de iiſdem, negligentiæ nomine te ſuſpectum habere. Non enim obſcurum eſt neq; mihi neque alijs, quòd & ſolus & primus ex his, quibus imperium, diuitiæ & delitiæ ſuppetunt, ſtudia ſapientiæ & labores amare atque colere aggreſſus ſis. Neq; dubium eſt, quin multos reges excitaturus ſis, ut tuæ uitæ inſtitutorumq; rationem ſectari cupientes, ſuam ipſorũ, qua nunc ualde delectantur, relinquant. Veruntamẽ ego nihilominus, quamuis hæc ſciam, et facio, et facturus ſum idẽ quod in certaminibus gymnicis ſpectatores ſolent. Hi enim incitant curſores, non deſidioſos, ſed de uictoria certantes. Quamobrem meum eſt, aliorumq; amicorum, talia & dicere & ſcribere, quibus te incitare poſſimus, ut ea expetas, quorum nunc cupiditate teneris. Te uerò nihil intermittere decet: ſed ut in præſentia, ita in poſterum quoq; operam dare, & animi exercitia capeſſere, ut & patre & cæteris maioribus non indignus eſſe uidearis. Quanquam enim omnes, plurimi facere ſapientiæ ſtudium debeant: tamen uobis in primis, qui potentes domini eſtis, id facere conuenit. Non autem oportet te contentum eſſe, ſi his qui nunc ſunt præſtes: ſed indignari potius, niſi & alios, & hos ipſos etiam qui eoſdem tecum honores habent, longè

longè antecellas: cum & ipſe ingenio tantus: & uetuſtæ quidem originis ratione Iouis: recentis uerò, tam excellentis uirtute uiri filius ſis. Eſt autem in tuo arbitrio hæc conſequi. Si enimin ſapientiæ ſtudio perſeueraueris: & tantum, quantum nunc, in eo profeceris: breui talis eris, qualem te eſſe decet.

ORATIO DE INSTAVRATIONE vrbis Hieroſolymæ poſt ſeptuaginta Annorum exilium, habita in Academia Erphordienſi, ſemeſtri æſtiuo, cum Lectiones nouæ inchoarentur, Anno Salutis M. D. LXVI. Pridie Calendas Maij.

QVod fœlix & fauſtum ſit, Deo in primis gratum, & Reipub. noſtræ literariæ quàm maximè utile, Viri magnifici, clariſsimi, uenerabiles, & eruditi, uosq; ſtudioſi amantiſsimi, hodie initium noui ſtudij per ſemeſtre æſtiuum authoritate Philoſophicæ facultatis aperio. Quia uerò omnium rerum, præſertim earum quæ maiores grauioresq; ſunt, auſpicia à Deo, ut benè proſpereq; eueniant, ducere oportet: iuſtum eſt, nos quoq; ab inuocatione diuini auxilij, ſine quo nullus conatus eſt fœlix & utilis unquam, noſtrum opus incboare. Te ergo ueris gemitibus inuocamus & rogamus Omnipotens, æterne & uiue Deus, æterne pater Domini noſtri IESV Chriſti, qui te pateſeciſti nobis dato uerbo tuo, et miſſo filio

tuo Domino noſtro IESV Chriſto, et effuſo S. ſancto, ut in hac ultima mundi ſenecta, in qua ſubinde maiores fiunt confuſiones regnorum & politiarum, creſcunt hæreſes, langueſcit fides, & mirum in modum ubiq; inualeſcit improbitas, & furor diaboli, clementer nos filios tuos, quos ſanguine unigeniti tui filij redemiſti, reſpicias, cures & cuſtodias, ſerueſq; inter nos ſemen aliquod ſanctum: & uoce Euangelij incorrupta colligas Eccleſiam, cui tuam ſapientiam, lucem, bonitatem, iuſticiam & uitam communices. Auerte quæſo benignè horribiles hæreſes, quæ partim apertè graſſantur, partim naſcuntur & propediē erupturæ ſunt. Reprime furores diaboli: & propulſa tyrannidem & barbariem Turcicam, ceruicibus noſtris imminentem: cuſtodi politias, & leges, quæ ſunt uincula conſociationis Chriſtianæ. Cū primis uerò protege & ſerua lucem literarum & artium, ingenti tuo beneficio iterum in hac delira mundi ſenecta accenſam: & ſuſcita in hac quoq; Academia aliquod ſtudiū pietatis, ueræq; philoſophiæ, ut tibi aliqua à nobis grata fiant, & multa inde ad Eccleſiam et Rempub. commoda promanent. Rege & guberna nos ſpiritu ſancto tuo, & erudi nos, qui æterna ſapientia es, ϰὴ λόγος patris, Domine IESV Chriſte: & proueh ſtudia noſtra, quæ Eccleſiæ & Reipublicæ inſeruiunt: & fac nos, qui toti in te proiecti ſumus, uaſa miſericordiæ: eſto lux mentium noſtrarum, ut uera & ſalutaria diſcamus, & alios iterum ea doceamus: tibiq; in hac ſcholaſtica militia, in quā collocaſti nos, ritè obediamus: Amen.

Hoc

Hoc exordium inſtituto noſtro conuenientiſsimum eſſe arbitratus ſum. Si enim ulla alia in re, certè in hoc noui noſtri ſtudij auſpicio, quod tot tantisq; impedimentis et difficultatibus interiectis hactenus diſtractum eſt, ardentiſsima auxilij diuini imploratione nobis opus eſſe certum eſt.

Cum autem in hoc congreſſu orationem aliquam à me recitari uoluerit Senatus philoſophicus, etſi angor animi, cum magnitudinem officij huius conſidero: tamen erigendus eſt animus, & parendum facultatis iuſſui. Optârim autem, orationem talem à me in hoc honeſtiſsimo doctiſsimorum hominum conſeſſu haberi poſſe, quæ, & dignitatis ſpecie, & utilitatis ubertate probari auditoribus poſſet. Verùm ea facultas in me non eſt, nec tantum ingenij & iudicij, tantáq; dicendi copia mihi conceſſa eſt. Vtar ergo humili uoce, & pro ingenioli mei modulo enarrabo præcipua capita hiſtoriæ de inſtauratione urbis Hieroſolymæ, poſt ſeptuaginta annorum exilium in regno Babylonico. Ac rogo uos omnes, ut me de tanto argumento tam tenuiter uerba facientem, philoſophica æquanimitate audiatis. Spero certè, nos aliquid ſolatij, ad inſtitutum noſtrum ualde neceſſarij, inde eſſe percepturos, etiamſi utilitas alia non ſequatur.

Quomodo ultimus rex in Iuda Zedechias, à Nabogdonoſore rege Babylonico cum maxima parte populi in Chaldæam captiuus, effoſsis oculis, & interfectis filijs abductus ſit, totáq; urbs Hieroſolymorum diruta, & deſtructo templo & muris omnibus deuaſta-

ta ſit, notius eſt, quàm ut à me commemorari prolixè debeat. Cum enim nollet populus obedire conſilio & monitis Ieremiæ, ſuadentis uoluntariam deditionem urbis: ſed pertinaciter ſe defendere conaretur, fretus falſa perſuaſione de promiſsione conſeruationis regni & templi: rex Babylonicus urbem, cum eam iam integrum annum & menſes ſeptem obſidione cinxiſſet, cepit: & ſecum populum, omni potentia, dignitate, opibus, & armis ſpoliatum, in exilium Babylonicum abire coëgit. In hoc exilio quas calamitates pertulerit, item quot patefactiones inſignes, quanta beneficia præter omnem ſpem & expectationem huic populo Deus exhibuerit, longum eſſet commemorare.

Quid enim aliud hic populus in commigratione tali, cum hoſte potentiſsimo et ualde irato, relictis omnibus quæ domi chara habebat, in animo ſuo cogitauit, niſi ſe unà cum fortunis, etiam corpus ipſum, ſeu uitam miſerabiliter eſſe amiſſurum? Deumq; ita eſſe offenſum, ut plus benignitatis & exilij apud ſe prorſus reſidere paſſurus eſſet? Quid auxilio triſtius? quid amiſsione templi, in quo Deus unicè coli & inuocari uolebat, luctuoſius? quid ſeruitute in terra peregrina & ignota, ſub rege & tyranno potentiſsimo, calamitoſius? Nónne tu, ſi eo loco fuiſſes, ita penitus tibi perſuaſiſſes. Actum eſt, perijmus: non ſpes patriæ, non diuini cultus, non recuperandæ libertatis ulla eſt reliqua. Quanto fuiſſet melius, in patria terra, inter medios hoſtes uel centies mori, quàm ignominioſam hanc ſeruitutem ferre? Hæc & alia multa haud dubie

blè populus tunc ardentibus gemitibus & lachrymis in animo reputauit, in tam luctuoſa & funeſta captiuitate & fuga, præſertim cum nec medium nec finem ullum ſui exilij & ſeruitutis proſpiceret, Quocunq; enim ſenſus & mentis oculos conuertit, uidit perpetuas exilij ærumnas ſibi perferendas eſſe: cum domum mens ſpectauit, acerbiſſimos dolores recordatio ruinæ templi & patriæ peperit, nec ſpem recuperationis & inſtaurationis ullam inuenit: cum præſentem exilij ſtatum & locum conſiderauit, nihil niſi ſeruitutem duriſſimam, calamitates & iniurias ab incolis quamplurimas in conſpectu habuit. Adde conuicia, irriſiones, & uirulentas gentium calumnias, & ſarcaſmos. Quoties enim Iudæis tunc à gentibus obiectas has uoces putemus? Vbi nunc eſt Deus ueſter, cui confiſi eſtis? qui tot promiſſiones edidit de conſeruatione templi & urbis ueſtræ? Nũ amplius illi confidetis? num ab exilio hoc & ex manibus noſtris ſperatis eum erepturum uos eſſe? En promiſſiones Dei ueſtri uanas, & ſpes in eo irritas. Nonne gentium dij multo ſunt potentiores, & meliores, qui uictoriam de uobis conceſſerunt nobis? Iam certè re ipſa experimini, aut nihil eſſe Deum ueſtrum, aut uos ei non eſſe curæ. Has contumelias perferre multo eſt grauius & triſtius, quàm pati corporis in mille partes diſſectionem. Et tamen tolerare eas Iudæos tũc oportuit. Sed quid putemus? Oblitúsne eſt Deus planè tũc populi ſui: & implacabiliter, quòd peccaſſent, eis ſuccenſuit: ſeq; adeò à gẽtibus irrideri paſſus eſt, ut

neq;

neq; nominis ſui reliquias, nec populi ſui nomen & ſemen conſeruaret? Minimè: ſed in media ſua ira recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, et ſuã præſentiã et clementiã erga populum ſuum in acerbiſsimo exilio oſtendit et declarauit. Etiamſi .n. ſuos aliquandiu patiatur affligi, trepidare & angi: tamen tandem, cũ uel neceſsitas maxima inſtat, uel in ipſa etiam morte conſolatur, liberat, & ſaluat: nec paternum ſuum animum unquam, dum ſpes eſt agnitionis peccati & pœnitentiæ in nobis, penitùs abijcit. Ita enim apud Hoſeam, alloquens totum genus humanum per os prophetæ, de cœlo uoce dulciſsima ſimul & potentiſsima concionatur: Commiſeratione incaluit cor meum, commiſeratione exarſit plenitudo mea, non faciam furorem iræ meæ: quia Deus ego, & non homo. Patefecit igitur ſuum animum, & benignam uoluntatem erga populum Iuda, inter medios hoſtes tunc, cum ferè ſupereſſe ſpes nulla uideretur. Cum enim edicto uniuerſali à rege propoſito, omnes ſtatuam à rege magnificè extructam, & in magnam altitudinem extenſam, iuberentur adorare, & id recuſantibus incendium ſubitũ in candenti fornace rex minaretur: ecce ſubitò præter omnium opinionem, tres uiri de populo Dei inuenti ſunt, qui obedire impio Regis mandato, de adoranda ſtatua, prorſus noluerunt. Hos igitur Rex indignatione & ira incenſus, abijci in fornacem, & totos comburi inſpectante multitudine tota iuſsit. Sed quid fit? Patiturne Deus in ſe confidentes, & pro ſan-

ctiſsimi

Digitized by Google

ctiſsimi nominis ſui gloria mortem oppetentes, prorſus deleri? Nullo modo. Ecce conſpicitur inter flammas, unà cum tribus illis uiris in ignem coniectis, ipſe filius Dei, rex cœli & terræ. hic defendit, conſolatur & ſeruat hos uiros, oſtendens impio regi, & omnibus eius ſubditis, ſe multo eſſe potentiorem non rege ſolum Babylonico, qui homuncio erat, & uermiculus coram Deo: ſed ignis etiam & naturæ totius ſe eſſe dominum, uelleq́; ſe potenti manu protegere & liberare omnes qui nomen Dei confitentur. Hic Deus iterum tanquam ex improuiſo apparuit: & clarè ſuam omnipotentiam & maieſtatem, cœlo terræq́; tremendã, oſtendit. Tunc miſer & exanimatus populus Dei reuixit, & recreatus eſt, præſentiamq́; Dei illuſtri teſtimonio cognouit. Tales, & multas alias, quas commemorare temporis breuitas prohibet, patefactiones, & uiuas conſolationes, in populo exulante Deus edidit: teſtatusq́; eſt, ſe etiam in ira ſua, & extremis malis meminiſſe: curare & defendere ſuos. Sed properandum eſt ad alia. Cum iam ſeptuaginta integros annos in hoc exilio populus exegiſſet, & ſpem recuperandæ patriæ propemodum totam abieciſſet, ſubitò Deus Cyrum regem Perſarum, ſub quo tunc captiui detinebantur Iudæi, exuſcitat: eiq́; in mentem dat, ut ex triſti & diuturna captiuitate Iudæos dimittat. Proponit igitur & diuulgat Cyrus mandatum per uniuerſum ſuum regnum, in quo diſperſi erant capti Iudæi, de reditu in terram patriam, & reparanda urbe Hieroſolyma. Hac uoce quid gratius aut iucundius

miſeris

Digitized by Google

miſeris Iudæis eſſe potuit? Iam tum ſpes eos optima tenuit recuperandæ patriæ, & inſtaurandi templi, unà cum ueri cultus Dei reparatione. Accinguntur ergo ad iter duce Zorobabel, receptis ſimul à rege aureis uaſis, quorum magna erat copia, ad repetendum patrios fines. Etſi autem credibile uideri poßit, uniuerſam gentē Iudaicam, accepto hoc læto nuncio, tantaq; recuperandæ libertatis oblata occaſione, relicta terra ignota & hoſtili, in patriam certatim redire uoluiſſe: neq; optatius quicquam illi accidere potuiſſe, quàm ut Domini templum, & intermiſſum Dei cultum quàm primùm reſtituerent: tamen tanta fuit quorundam Iudæorum (ut Ioſephus ait) peruerſitas & pertinacia, ut in terra hoſtis manere, & poſſeßiones, quas longo captiuitatis tempore parauerant, retinere maluerint. quàm ijs relictis, omnem ſuam operam & induſtriam ad patriæ inſtaurationem conferre. Tanta eſt multorum ueſania & contumacia, ut etiamſi ſpes melioris ſtatus oſtendatur, in ſua tamen ignobili barbarie, & (ut ita dicam) in ſuo luto hærere malint, quàm bona conſilia & occaſiones diuinitùs monſtratas ſequi. Sed hi prorſus mali ſunt, & negligendi. Sic igitur expediti ad iter Iudæi, læti hoc beneficio diuino, ingenti multitudine, nempe quadraginta duorum millium trecentorum & ſexaginta, exceptis ſeruis, ancillis, & reliqua promiſcua turba, in patriam reuertuntur, adiuti liberalitate etiam uicinarum gentium: anno uidelicet conditi mundi termilleſimo, quadringenteſimo, uiceſimo-
quinto.

quinto. Quis autem non iure laudet eorum zelum, qui mox impetrata poteſtate in patriam redeundi, relictis & poſthabitis omnibus quæ captiuitatis tempore in regno Babylonico & Perſico collegerant, ad inſtaurandum templum & muros ſanctiſsimæ ciuitatis patriæ animum appulerunt? Obſtrepuit haud dubiè metus periculorum, inopiæ, & multarum iniuriarum ab aduerſarijs. Nam iter erat eis conficiendum non exiguum, & in ipſo itinere multos ſciebant ſibi fore hoſtes: domi uerò nouerant eſſe ſibi dimicandum cum multis aduerſarijs, qui templum & ciuitatem iacere quàm reſtitui mallent. Nihil præterea, aut parum, ſecum ex captiuitate aſportare poterant: nec uictus erat domi, non ſuppellex: ædes erant exuſtæ, muri diruti, agri uaſtati. Quoties illis hæc cogitatio obrepſit? En hîc habemus qualemcunq; ſedem: licet in exilio & ſeruitute ſimus, ſuppetit nobis mediocris uictus, poſſumus uiuere in meliore pace. Sed, ſi relictis his ſedibus domum proficiſcemur, neq; domicilia inueniemus, neq; ſubſidia uitæ ulla habebimus: præterea, etiamſi magno conatu, totisq; uiribus nidulos nobis in patria conſtruxerimus, mox hoſtium incurſu expellemur, & omnibus facultatibus, magno labore & ſudore partis, ſpoliabimur. Quoties illis in mentem uenit illud, quod de uitandis mutationibus dicitur: Non eſſe mutandum præſentem ſtatum, antequam meliorem adeptus ſis? Ita enim obijciunt nobis cùm alij homines, tum noſtræ etiam ipſorum cogitationes, item: Quàm iuſtam repre-

reprehenſionem multorum, & præſertim hoſtium incurremus, ſi relicta hac præſenti ſorte, ſpe melioris freti, uoti noſtri compotes non erimus? Quàm uirulentæ enim ſunt hoſtium irriſiones & calumniæ, cùm uident aliquid boni à bonis ſuſcipi, nec optatum exitum ſortiri? En, dicunt, hi ſunt inquieti illi, qui præſenti ſorte non contenti, noua quærunt: & ueteribus uſitatisq́; contemptis, maiora adfectant. An non meritas dant pœnas ſuæ inſcitiæ & petulantiæ? Hæc & huiuſmodi innumera abſq; dubio ſæpe multumq́; in animo uerſarunt Iudæi, cum ex Babylone in Iudæam ſunt reuerſi. Sed num propterea, quòd tantas difficultates ſibi pertimeſcendas eſſe ſcirent, inſtitutum ſuum mutarunt? Nullo modo: ſed alacriter, quod rectum, utile, & Deo gratum eſſe intelligebant, perſequebantur, perrumpebant: nec quieſcendum ſibi eſſe putabant, donec deſtinatum opus perfeciſſent. Ita profectò faciendum eſt omnibus qui rem aliquam utilem moliuntur, ut neq; frangantur metu periculorum, neq; permoueantur incerto & dubio operis euentu: ſed forti, inuictoq́; animo, pium & ſalutare incœptum continuent, & ſpe auxilij diuini omnes dubitationes et aduerſariorum falſas criminationes ſuperent. Vincit enim ueritas mendacium: & retundit quod ex Deo eſt, omne quod ab hominibus & diabolo ipſo obijcitur. Creſcit uirtus, & confirmatur pium opus inter inuidiam, odia, obtrectationes, & inter media impedimenta aduerſariorum: ſicut poſteà in hiſtoria latius audiemus. Domum iam reuerſi Iudæi, non primum

Digitized by Google

mùm de ſuis habitationibus & uictu parando ſolliciti ſunt: ſed primus illorum labor & cura unica eſt, ut Domino ſuo templum faciant, in quo holocauſta ei offerre poßint. Conſtituunt ergo primùm omnium altare, & holocauſta matutina & ueſpertina ſuper ipſo offerunt: ſtudentq; in id unicè, ut Dei fauorem, beneuolentiam & gratiam ſibi concilient: cætera ei committunt, cuius mandatum ſeſe exequi ſciebant. Quid enim noceat hoſtis, ſi protegat Deus? quid proficiat inuidia, ſi faueat Altißimus? Quomdo deerit uictus, dum miniſter es eius, qui uictus creator eſt, & dominus? Cures igitur, quæ diuina ſunt, & Deo in uocatione intrepidè ſeruias: non (certò crede) quicquam nocebit. At certè conatus Iudæorum à uicinis gentibus impeditus eſt. Nam Cuthæi, quibus Salmanaſſar rex Aſſyriorum Samariam eiecto populo Iſraelitico ad habitandum conceſſerat, prorſus remorantur ædificationem. Etſi enim Cyrus, ut ſuprà diximus, publico edicto inſtaurari Hieroſolymam præceperat: tamen tantum effecit inuidia & uirulentia uicinarum gentium apud ſatrapas, præfectos ædificationi, quos pecunia corruperant, ut opus incœptum prohibuerint inſcio rege Cyro, qui tunc bellis foris gerendis occupatus erat. Quamuis nonnulli affirmēt, regem Cyrum à conſiliarijs perſuaſum, reuocaſſe ſuum mandatum de reparatione Hieroſolymorum. Ita ergo opus ædificationis bono omine cœptum, fraude & calumnijs aulicis impeditur: & hæc lætißima initia miſerè turbantur, uiuo adhuc Cyro, cuius mandato

ſuſcepta erant. Poſtea, cum in regno Perſico ſuccederet Cambyſes, hoſtis omnis religionis, hæc inſtauratio ſeueriſsimo edicto prorſus prohibetur: cum accuſaſſent nimirum Samaritani & alij ſycophantæ aulici Iudæos acerbiſsimè apud regem, quòd eſſent rebelles, & propter rebellionem & perfidiam & defectionem à regibus Babylonicis iam olim eſſet eorum terra deuaſtata, & ipſi in Aſſyriam abducti. Neq; pacem ullam inter uicinos eſſe poſſe dictitabant, ſi ciuitatem illi ſuam repararent. Vſi ſunt etiam haud dubiè alijs ſycophantijs atq; calumnijs apud Cambyſem, qui tunc bellum erat illaturus Ægyptijs: quòd uidelicet præcauendum ei omnino eſſet, ne perfida hæc Iudæorum gens fœdus cum Ægyptijs contra ipſum faceret. His aduerſariorum artibus differtur ædificatio, uſq; ad ſecundum annum Darij: hoc eſt, ad annos nouem integros. Hic alius actus eſt fabulæ: miſcentur triſtia lætis. Trepidant iterum Iudæi, anguntur, & in ſummo periculo ſunt. reliquerunt ſedes ſuas, quas in captiuitate habuerunt: iam amittunt etiam ſpem recuperandæ, aut reficiendæ patriæ. Hic attentè, quæſo, cogitate, quanta fortunæ uiciſsitudo ſit, et quã mirabiliter Deus ſuos regat. nunc exhilarat, nunc perturbat: nunc euehit, nunc deprimit. Vix incœperant lætis auſpicijs conceſſam inſtaurationem templi, & cultus diuini: & mox iterum acerbiſsimo incommodo repelluntur, ut retrocedant: & quod plena fiducia inchoârant, animo demiſſo & abiecto iterum relinquant. Quem tum illis animum fuiſſe putemus? Quibus oculis inchoatum ædifi-

ædificationis opus aſpexerunt? qua mente iacta templi fundamenta intuiti ſunt: quibus lachrymis prohibitionem cultus diuini & ſacrificiorum proſecuti ſunt? O ſcelus, ô furorem, ô impietatem diabolicam regis & ſycophantarum, qui opus tam pium, utile & honeſtum impediuerunt. Sic, proh dolor, ferè ſemper ſolet diabolus reſiſtere pijs cœptis: & quantum poteſt, excitat ſua organa, ſycophantas & maleuolos, inuidosq; homines, ut manibus pedibusq; conentur diuina opera remorari. Sed quid proficiunt tales? Num perpetuò, quod in uotis habent, obtinent, & perficiunt? Nequaquam. Ad tempus quidem ſinit Deus eos ſæuire, & animi ſui libidinem explere: uerùm breui durat furor: & dum uix reſpiciunt, & dum uertunt ſe, quod aiunt, interitus ipſis adeſt. Fremant igitur, ringantur, ſuperbiant inſultent nobis egregiè: non nocet. Nubecula ſunt, citò tranſitura: et conſilia, conatusq; eorum, quantumuis ingenioſè cogitati, & potentia principum & regum muniti, ceu fumus diſſipantur. Venit iterum poſt nubila Phœbus: ita enim iuſtum eſt deludere impios, ut cum putant ſe iam in portu nauigare, & certam uictoriam ſibi pollicentur, ſubitò corruant. Ita etiã in hoc triſti Iudæorum tempore, denſa & minax erat nubecula Cambyſes, cuius furor augebatur ſubinde alijs atque alijs ſycophantarum calumnijs. Nam per ſe religionem Iudæorum oderat, & incitabant eum ſubinde magis & magis ſycophantæ aulici aduerſus Iudæos. Sed hoc iucundum eſt, quòd nulla nubes
 perpetuò

perpetuò duret: ſic neq; furor aulicorum, neq; tyrannis Cambyſis potuit eſſe diuturna. Non ergo deſperandum eſt, ſed ſpe melioris fortunæ omnes aduerſitates uincendæ ſunt. Eſt enim hæc ſumma Chriſtianorum ars, ignota reliquis gentibus, ſperare dilata, & perſeuerare in hoc propoſito ad finem, quantumuis mundus & tota naturæ facies reclamare uideatur. Non enim quæ ante pedes modò ſunt, intueri nos oportet: ſed altius eſt efferendus animus, & ea etiam quæ inuiſibilia ſunt, tanquã quæ ob oculos propoſita ſunt, credere & expectare decet. Exemplum illuſtre ſuppeditat hæc hiſtoria. Venit enim tempus, quo neq; rex Cambyſes impedire inſtaurationem Hieroſolymorum, neq; aulicæ calumniæ quicquam Iudæis nocere potuerunt. Nam & iuſta diuini numinis uindicta, miſerabiliter proprio confoſſus gladio perijt Cambyſes: & æquanimitas ſuccedentis regis Darij erga Iudæos, calumniam ſycophantarum omnem ſuſtulit. Et hoc ipſo quidem tempore turbulentiſsimo conſolationem accipiũt Iudæi, per prophetas Haggai & Zachariam, qui in media tribulatione benè ſperare eos iuſſerunt, & ad conſtantiam in ſuſcepto opere hortati ſunt. Nec multo pòſt, cùm ſe per epiſtolam apud Darium excuſaſſent, nouum mandatum regis acceperunt: quo iuſsi ſunt duces Iudæis uicini, ut inſtaurationem templi & politiæ Iudæorum non ſolùm non impedirent, ſed omnibus inſuper neceſſarijs ſubſidijs adiuuarent, & promouerent. Tunc ergo iterum læti ad opus inchoatum reuertuntur: & impigrè,

quod

quod animo intenderant, perficere pergunt: nec deeſt etiam ſucceſſus. Nam *perfecta eſt domus anno ſexto regni* Darij, *& celebrata eſt dedicatio templi, peſah, & ſolennitas azymorum, in honorem & gloriam* Dei *omnipotentis* Iſrael, *qui populum ſuum quidem aliquandiu affligi in captiuitate paſſus fuerat, & poſtea etiam furoribus impiorum regum & aulicorum calumnijs ad breue tempus indulſerat: ſed glorioſè tandem iterum in patriam adduxit: repreßiſq; hoſtium furoribus, proſperum ſucceſſum inſtaurationis templi præbuit.* Mox *ſequenti anno miſſus eſt* Eſra, *qui adduxit ſecum maximam partem populi captiui.* Huius *aduentu, ædificatio mirum in modum adiuta eſt.* Ad *extremum uenit quoq;* Nehemias, *regis* Artaxerxis *pincerna: cuius adminiculo intra duodecim annos portæ ciuitatis reparatæ ſunt.* Hæc *eſt læta inſtauratio urbis* Hieroſolymæ: *quæ etſi diu dilata eſt, & multis magnis difficultatibus impedita: tamẽ quia in nomine* Dei *ſuſcepta & inchoata erat, imperfecta eſſe non potuit.* Quanto *autem labore & moleſtia* Iudæis *conſtiterit, non facilè cuiuſquam mens cogitando conſequi, nedum dicendo exprimere poteſt.* Non *enim leuia fuerunt impedimenta, de quibus ſuprà dixi: ſed tanta, ut animum etiam fortem & celſum propè frangere, & ab inſtituto auertere poßint.* Et *acceſſerunt crebræ incurſiones hoſtium in uicinia habitantium, inſidiæ, fraudes, irriſiones, ſtratagemata: ſed his omnibus non modò non mutati ſunt animi ædificantium* Iudæorum, *ſed confirmati etiam.* Cumq; *coniuraſſent*

aduerſus Iudæos, *Samaritanorum princeps Sanballat, Arabes, Ammonitæ, & Aſdodij, ut* Hieroſolymæ *instaurationem oppugnarent, & facta irruptione opifices diſtraherent, & abigerent: ipſi oratione aßidua & frequenti ad* Deum *ſuum ſeſe aduerſus hoſtes munierunt, hocq́; ἀμυντηρίῳ ualidißimo & inuicto omnem aduerſariorũ impetum repreſſerunt, & retardârunt.* Neq; *ita oratione ſua & auxilio* Dei *freti ſunt, ut media à* Deo *ordinata negligerent: ſed uigilantiam & induſtriam ſuam cum ope & protectione diuina coniunxerunt.* Ita *enim operas & uigilias diſtribuerunt, ut pars iuuenum opus faceret, & pars arma gereret, quibus irruentes hoſtes repellerent.* Erant *præterea etiam ſinguli ædificantes accincti gladio in lumbis ſuis, & una manu ſua quiſq; faciebat opus, altera gladium tenebat.* Præclarum *uerò* Iudæorum *facinus, omniumq́; uocibus, literis, prædicatione & imitatione dignum.* Hinc *ſumamus exempla fidei, & tolerantiæ in grauißimis aduerſitatibus & perſecutionibus.* Hinc *documenta petamus conſtantiæ & magnanimitatis, in contemnendis periculis, hoſtium minis, obtrectationibus, calumnijs, & nefarijs molitionibus, cæteriſq́; impedimentis, quæ ſeſe offerunt, cum rem aliquam piam, honeſtam, & magnam tentamus.* Sed *quorſum, fortaßis inquies, hæc?* Quorſum? Huc *uidelicet, ut nos quoque, quibus literarum profeßio in hac* Academia *commendata eſt, ſimili zelo, conſtantia, induſtria, & ſtudio, ſuſceptum munus tueamur & exequamur*

quamur. Iacuit hæc Academia per aliquot annos deſerta & ſpreta, non ſine ingenti detrimento Eccleſiæ & Reipublicæ. Nemo eius miſertus eſt, nemo opis aliquid ferendum eſſe duxit. Fuit hæc calamitas uerè exilium, quod nemo noſtrûm ſine incredibili dolore animi pertulit, nec medicinam tamen ullam huic malo inuenire potuit. Etſi enim pro uirili quiſq; laborauit ſedulò, & profeßionis ſuæ munus quantum potuit quiſq; obijt: tamen cùm multa deſiderarentur alia, quæ fortuna pertinaciter denegabat, non potuimus quicquam præclari nauare, aut efficere. Hic quanti gemitus piorum quorundam profeſſorum, quibus cordi eſt Academia, interceſſerint, quàm graues querelæ ſæpè motæ ſint, non libet commemorare. Hoc tamen quod res eſt, auſim non dubiè affirmare, magis de inſtauratione & ſalute huius Academiæ eos ſolicitos fuiſſe, quàm pro propria incolumitate & fortunis cæteris. Scio de quibus hoc loquar, & animus nominare geſtit: ſed reprimo me, et Deo authori ſummo et unico id quidquid ſecutum eſt boni in hac Academia acceptum refero. Is exaudiuit uota & gemitus noſtros aßiduos: & tandem, licet ſerò, nos reſpexit. Is tandē ſpem aliquam exhibuit ex longinquo: hanc ſecuti ſumus: nec operam, ſtudium, diligentiam, fidem & induſtriam in nobis deſiderari paßi ſumus ullam, quo in honorem Dei, gloriam filij eius IESV Chriſti, communemq; Eccleſiæ & Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem aliquod ſtudium in hac Academia excitaretur. Nec fefellit ſpem noſtram euentus. nam poſt

multas ſollicitationes, tandem à prudentißimo Senatu impetrauimus poteſtatem uocandi clarißimum & doctißimum uirum, magiſtrum Paulum Dumcrichium, ad Dialecticæ, Ethicæ & Mathematum in hoc Collegio profeßionem: & adiuti etiam ſumus in hac parte Senatus quodam beneficio, quo locupletius & honeſtius ſtipendiũ prædicto profeſſori numerare poſſemus. O prædicandam liberalitatẽ Senatus, qui eo ipſo quòd nonnihil ſubleuare Facultatis ſumptum uoluit, indicauit, probari ſibi noſtrum ſtudium in prouehenda & ornanda Academia, & fauere ſe literis bonis, earumq́; cultoribus & ſtudioſis. Hac inquam poteſtate impetrata, exorauimus prædictum uirum Paulum Dumcrichium, ut ſuam operã in explicandis artibus, de quibus antè dixi, nobis promitteret. Poſtea cùm accederet etiam legatum prudentißimi uiri D. Hartmanni Mack, conſulis huius Reipublicæ Erphurdenſis, augendum eſſe numerum profeſſorum duximus. Itaq; exorauimus clarißimum & eximium uirum, D. Doctorem Brunonem Seidelium, ut ſuam quoq; operam aliquam, ad iuuandam & illuſtrandam Academiam conferret: id quod pro ſuo incredibili erga literas amore, & prouehendæ rei literariæ cupiditate tanto uiro dignißima, liberaliter pollicitus eſt, & fidelißimè præſtabit.

Quot uerò et quanta impedimenta, moræ et aduerſitates interim obiectæ ſint, malo tacitè apud animum cogitando percurrere, quàm uerbis explicare. Vt .n. ſuprà in hiſtoria dictum eſt, quoſdam Iudæos etiam

data

Digitized by Google

data poteſtate libera redeundi in patriam, in captiuitate manere maluiſſe, quàm relictis poſſeßionibus conſuetis, ſanctuarium Dei, *& urbem patriam reparare.* Ita *ſemper inueniuntur multi, quibus magis placent uſitata, quamuis deterrima & pernicioſa, quàm ut noua, quæ diuinitùs offerri, negare ipſi non poſſunt, amplectantur.* Peßimum *genus hominum, qui dum ipſi meliora non uident, neq; ab alijs ea monſtrata recipiunt: neq; ullam aliam cauſam ſui facti habent, niſi quòd præſentia quædam commoda, quemadmodum* Iudæi *quidam improbi in captiuitate, amittere nolint.* Sed *hos mitto, qui obſtrepere quidem bonis cœptis, & reluctari aliquandiu poſſunt, impedire tamen ea prorſus et perpetuò nequeunt.* Cum *uerò multi ea leuitate & improbitate ſint, ut de noſtris hiſce conatibus iniquißimam cenſuram agant: libet ex eis quærere, quid ſibi uelint? cui repugnent, cui detrahant, cum de honeſtißimo* Academiæ *inſtituto, quod multo labore, & in primis aßiduis uotis & interpellationibus diuini* Numinis *conſtitit, impio ore, & uirulento pectore uerba faciunt?* Non *certè noſtram famam, multo minus uitam lædunt: ſed in* Deum *ipſum creatorem et ſeruatorem cœli & terræ, qui autor eſt huius inſtituti noſtri, contumelioſi ſunt.* Ita *enim ſtatuite mecum omnes collegæ obſeruandißimi, fide, reuerentia, ueráq; animi ſubiectione & officioſe colendi, ex* Deo *eſſe quod agimus. ipſius eſt munus, literarum ſtudia excitare, fouere, & augere.* Quod *cum ita ſit, obediamus* Deo*: & demanda-*

Digitized by Google

tum nobis officium faciendi operas ſcholaſticas in docendo & prælegendo in hac Academia, *animo alacri amplectamur: in eaq; militia impigrè ſeruiamus* Eccleſiæ Chriſti, *laboranti, & indigenti doctis uiris: nec deſimus etiam* Reipub: *quæ non minus quàm* Eccleſia, *opem & adminicula eruditorum uirorum deſiderat.* Quid *facere poſſumus præclarius? quid* Deo *gratius? quid communi ſocietati & uitæ humanæ utilius? & nobis ipſis honeſtius corã* Deo *pariter, et hominibus?* Impedimenta *ſine dubio multa ſeſe offerent: & in primis offendet fortaſſe nonnullos ſtudioſorum paucitas, uirulentaq; maleuolorum hominum obtrectationes: ſed nos exemplo diui* Seueri, *intenti ſimus in ea quæ officij noſtri ratio à nobis exigit: & fabellas uulgi, ſiniſtraq; aliorum iudicia, & quicquid eſt huiuſmodi, celſo animo negligamus: imitemurq; in hac noſtra militia feruentiſsimos* Dei *cultores,* Iudæos, *qui nullius periculi metu, nullo odio, nulla penuria, nullis deniq; hoſtium minis, calumnijs, impreſsionibus & uellicationibus ab inſtituto auerti ſe patiebantur.* Qui *author eſt noſtri inſtituti operis, efficax eſt & potens, ut perficiat: preces tantum nos adhibeamus* Deo, *& ſtrenuè laboremus, euentus* Deo *certiſsimè erit curæ.* Oportet *eſſe aduerſarios, obtrectatores, inuidos omnium bonorum conſiliorum et actionũ, ut probetur & dignoſcatur quod bonum eſt:* Nulla *enim certior & euidentior nota eſt honeſtarum actionum, & operum bonorum* Deo *placentium, quàm inuidia, & malorum hominum obtrectatio.*

Nunquam

Nunquam bella bonis, nunquam certamina deſunt:
Et cum quo certet, mens pia ſemper habet: ut
Proſper in Epigrammate ait. Nunc ad uos me conuerto, Domini magiſtri, uiri optimi, & amici integerrimi: uos appello, qui priuatim iuuentuti erudiendæ, docendisq; bonis literis operam nauatis. Videtis, admirando Dei beneficio, mediocre ſtudium artium & linguarum in hac Academia inſtaurari, lectionesq́; tales in ea inſtitutas eſſe, quæ ſatisfacere poſſe cuilibet ſtudioſo uideantur. Veſtrum igitur eſt, uera beneuolentia complecti Academiam, cuius alumni eſtis: eamq́; reuerentiam ei tribuere, ut omnibus debitis pietatis officijs, ſtudio, & uotis etiam ad Deum conceptis, illam iuuetis & ornetis. Adducite ergo huc diſcipulos curæ & fidei ueſtræ commiſſos, & in gremium matris noſtræ communis Academiæ reponite, eiq; quaſi conſecrate. Hoc enim officium ueſtrum poſtulat, hoc pietas erga matrem ueſtram exigit, ſuadet idem quoq; neceßitas. Quid enim facietis utilius? quomodo proſpicietis diſcipulis ueſtris melius, quàm ſi eos adſuefaciatis, ut in hoc gymnaſiò doctorum profeſſorum, quos Deus nobis largitus eſt, lectiones ordine & certatim audiant? Hic certè honos præceptoris eſt amplißimus, tales habere diſcipulos, quorum diligentia & induſtria publicis & communibus præceptoribus innoteſcit & probatur. Nec debetis, neq; poteſtis contemnere aut extenuare lectiones publicas, ſed ad eas omnem ueſtram priuatam diſciplinam & doctrinam accommodate unicè.

Non

Non enim prohibemus priuatas lectiones, ſed ſtabilimus potius. Quamuis enim publicas lectiones audiri ab omnibus ſtudioſis, qui ad eas idonei ſunt, uelimus, atq; adeò præcipiamus: tamen multa interim relinquuntur priuato præceptori, nempe auditarum lectionum repetitio: ſcriptorum, in quibus ſtilus exercetur, recognitio. poterunt etiam adiungere lectiones alias, ſi neceſſe ſit: ſed ferè non alijs horis, niſi quibus publicè non legitur. Confuſa hactenus fuerunt iſta, non eſt ſeruatus ordo, non diligenter auditi ſunt profeſſores publici: inde etiã incommoda multa profecta ſunt. Et quidẽ belli nonnulli magiſtri cõſulto dehortati ſunt ſtudioſos à lectionibus publicis: aut certè non eis commendârunt illas, ut officium & ratio expoſtulat. Sed habuerunt hi, quo ſe quaſi iure quodam excuſarent. Obiecerunt enim nobis ferè ſemper paucitatem profeſſorum, & lectionum tenuitatem: at nunc quo prætextu authoritatem profeſſorum, & utilitatem lectionum extenuabitis? Sunt etenim in artibus pariter & linguis lectiones ita inſtitutæ, ut conqueri amplius nullo modo poßitis. Quoties deplorandum eſſe exiſtimaſtis miſerũ huius Academiæ ſtatum? Quoties aliquã inſtaurationẽ optaſtis? Ea nũc Dei beneficio nobis aliqua ex parte contigit. Quare ut antea doluiſtis, ita nunc lætamini: et ꝗ diu multumq; optatum, tandẽ tuliſtis, grato animo amplectimini: ueſtraq; pietate, fide, diligentia, & coniunctis nobiſcum uiribus, literarũ ſtudia in hac Academia promouete & iuuate. Talem animorum & operarum coniunctionem unicè à nobis

omni-

omnibus efflagitat, & ſuo iure exigit, hæc communis noſtra mater Academia. Hanc igitur tueamur, et communibus officijs pietatis, ueræq; beneuolentiæ indices augeamus & firmemus. Quod ſi fecerimus, aderit noſtris conatibus fons & author omnis boni Deus, & labores noſtros fortunabit & proueбet abſq; dubio, ut ſint ſalutares Eccleſiæ & politijs. Si qui uerò adeò ſuperbi aut contumaces uiſi fuerint, ut hoc concordiæ uinculum unicè nobis neceſſarium rumpere auſint: in eos, ut par eſt, animaduertimus ſeueritate ea, quam ipſa neceßitas à nobis exigit.

Venio etiam ad uos, Studioſi, alumni & filij Academiæ noſtræ chariſsimi: agnoſcite præſens beneficium mediocris reparationis ſtudiorum, gratulamini uobis, gratulamini inquam, de tanta tamq; exoptata occaſione, & felicitate diſcendi bonas literas in hac Academia: ueſtraq; diligentia, obedientia, pijs ſimul ad Deum conceptis uotis, eam certatim iuuate, ornate, augete. Vobis Deus benè uult, uos reſpexit, uos amat, ueſtris commodis conſulit, dum literarum aliquod ſtudium inter nos ſuſcitat. Veſtrum enim miniſterium & induſtriam deſiderat & requirit, in obeundis & adminiſtrãdis ampliſsimis et diuinis ſuis officijs in Eccleſia & Republica. Vos expetit & uocat ſuos uicarios & angelos in terra. ueſtra igitur cauſa artes & linguas doceri uult, ut uera ſalutariq; doctrina inſtructi, aliquandoq; accedatis ad gubernationem Eccleſiæ, ſcholarum, & cæterorũ officiorum politicorum,

quæ opem & lumen artium noſtrarum deſiderant, & ſine ijs fœliciter geri & ſeruari nequeunt. Vos igitur, quod alumnos Muſarum, & (ut Eſaias propheta ait) plantas cœli, ſatas ad glorificationem Dei, decet, utraq; manu, & uerius toto pectore hanc diſcendarum literarum occaſionem in hac Academia amplectimini, & diſcite uera obedientia & pietate artes & linguas à præceptoribus ueſtris: in primisq; commendatos uobis habete, unà cum cæteris profeſſoribus, quorum fides, diligentia & induſtria longo tempore perſpecta & cognita eſt, nouos iſtos profeſſores, quos uidetis, qui utiles & ſalutares doctrinas uobis tradituri ſunt ſumma cum fidelitate, uigilantia & perſpicuitate. Hos niſi æquè ac parentes ipſos dilexeritis, audiueritis, & honoraueritis, prorſus mali & amentes ſitis. Pollicentur uobis ſuum ſtudiū, deferunt operam, communicare uolunt omnem ſuam doctrinam, quam magnis ſumptibus, difficultatibus, peregrinationibus, multis deniq; uigilijs & laboribus comparârunt. An non hos totis animis audiendos, uenerandos, colendosq; eſſe cenſetis? Ita ergo faciemus omnes nos, qui docendi muneri ſumus præfecti, bonas literas ſedulò fideliterq; tradamus, moneamus, obiurgemus ubi neceſſe eſt, & incitemus iuuentutem: cæteri Magiſtri priuatim repetendo, ſcripta emendando, & prælegendo, ubi opus eſt, publicè uerò diſputando, & alia neceſſaria munera obeundo, certatim ac ſtrenuè nos iuuent, donec & ipſi ad publicum prælegendi munus uocentur. Studioſi autem

diſcen-

diſcendo, obediendoq́;, & uitæ integritate ſuam militiam, atq; adeò totam Academiam ornent.

Nunc, cùm uideam me tam amanter & benignè auditum eſſe: par eſt, & conuenit, me gratitudinis etiam aliquod documentum dare. Ago ergo gratias toto pectore uobis omnibus, & ſingulis, Viri magnifici, ſpectabiles, clariſsimi, doctiſsimi pariter & humaniſsimi, quòd hoc initium ſtudiorum & lectionum, in facultate noſtra Philoſophica, præſentia ueſtra, beneuolentia & æquanimitate, exornare uolueritis: uosq́; oro, quanta poſſum animi contentione, ut paterno animo, ſicut facitis, Academiam hanc in poſterum etiam complecti, fouere, iuuare & ſeruare conſtanter pergatis: & tantum opis & emolumenti, quantum quiſq; poteſt, ad eam augendam & illuſtrandam certatim conferre non deſiſtatis. Pro hoc officio ampliſsimam & auguſtiſsimam remunerationem à Deo quiſq; expectet, & à nobis gratitudinem philoſophis dignam ſuo iure repoſcat. Dixi.

ORATIO DE EDVCATIONE POPULI Iſrael ex Aegypto, per mare rubrum, duce Moiſe:

A Matthæo Dreſſero ſcripta, & recitata in Academia Erffurdenſi, initio ſemeſtris hyemalis cum lectiones iterum inchoarentur, XII. Calend. Nouemb. Anno 1566.

Quòd

QVòd iterum prodeo in hunc locum uerba facturus, Viri magnifici, reuerendi, doctrina uirtuteq́; præſtantes, & ſtudioſi bonarum literarum amantiſſimi, non mea fit uoluntate: ſed authoritate Senatus philoſophici, qui inuito mihi Decanatus officium per ſemeſtre hybernum prorogauit. Ego uerò ingenuè fateor, idq́; præ me fero, neq; ingenij tantum, neq; iudicij, neq; induſtriæ atq; uirium ineſſe mihi, ut tanto muneri cum laude et aliquo fructu præeſſe poſſim: ſed præter piam officioſamq́; uoluntatem nihil mihi ſuppetit. Hanc quia uideo Academiam philoſophicam à me requirere, neq; poſſum neq; debeo ei denegare. Cum enim honoribus & præmijs ab ea ornatus & auctus ſim non contemnendis: & naturalis etiam quædam propenſio me inuitet, ut, cùm patria mihi ſit, eam complectar ardentius: non licet mihi, neq; integrum eſt, ut meum laborem illius neceſſitatibus ſubleuandis non impertiam. Quippe eſt hominis aſtuti & ingrati, labores, per quos præmia ceperis, cum adeptus ſis, deponere. Quod cum ita ſit, quamuis de re & perficiendi facultate, nihil habeam polliceri: quicquid tamen in me eſt ſtudij, conſilij, laboris, ingenij, quicquid gratia & beneficio DEI, quicquid fide & conſtantia poſſum, id omne ad conficiendũ munus demandatum Academiæ promitto & defero: optans ex animo illud cum Æſchylo, πειθὼ ἕποιτο, καὶ τυχὴ πρακτήριος. Vt autem ſuperiori æſtiuo ſemeſtri Orationem in celebri conuentu Doctorum, Profeſſorum, Magiſtrorum, & ſtudioſorum, haberi à

me

me Senatus philoſophicus uoluit: ita huius quoq; hyberni ſemeſtris initium putauit piæ alicuius orationis recitatione decorandum eſſe. Hoc conſilium cum plenum ſit pietatis, & ad utilitatem incrementumq́; ſtudiorum in Schola noſtra abſq; omni dubio pertineat, neutiquam improbari debet. Nam non ſolum honeſti ſunt congreſſus publici docentium & diſcentium in Academia, ſed apprimè etiam utiles & neceſſarij. Etſi enim unuſquiſq; noſtrûm priuatim ſeduló ardentibus uotis Deum rogare debeat, ut conatus & ſtudia noſtra clementer regat, prouehat & fortunet, ut ſint ipſi in primis grata, & Eccleſiæ, nobis ipſis & alijs quàm plurimis ſalutaria: tamen plurimum etiam prodeſt, in cœtu publico coniunctis animis Deum precari. Qua de re quoties cogito, uenit in mentem dulciſſimæ ſententiæ, quam recitat Tertullianus in Apologetico: Coimus in cœtum, inquit, & aggregationem, ut Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus, orantes. Hæc uis Deo grata eſt. Hac ſententia uel ſola contentus, & delectatus mirificè, putaui non aliud nos in hoc congreſſu noſtro agere debere, quàm pia precatione Dei beneficia in hanc Academiam & nos omnes præterito ſemeſtri collata, celebrare. Nec argumentum etiã aliud adferendum arbitratus ſum, quàm quod huic inſtituto conuenire maximè uideretur. Etſi enim iurè fortaſſe quiſpiam obijcere mihi poſſit illud Ariſtotelicum, Quam quiſq; nouit artem, in ea ſe exerceat: mihiq́; in ſtudio doctrinaq́; artium & linguarũ uerſanti integrum eſſe neget, ex ſanctiſſima profeſſione Scri-

ne Scripturæ diuinæ argumentum tractandum ſuſcipere: tamen neſcio quomodo animus inclinat & propendet totus ad ſacram orationem. Dent igitur mihi Theologi hanc ueniam, ut pro animi mei libitu in hoc congreſſu aliquid dicam de hiſtoria eductionis populi Iſrael ex Ægypto per mare rubrum. Nihil enim eſt, quod tam capiat & accendat animos ad pietatem, timorem Dei, gratiarum actionem, & inuocationem, quàm recordatio & conſideratio tam inſignis miraculi. Dicam aũt ea breuitate, quã tempus nobis definitum: non illa copia maieſtateq́;, quã magnitudo rei poſtulat: uosq́; oro omnes, ut æquis animis me audiatis.

Promiſerat Deus Abrahæ poſſeßionem terræ Canaan, & infinitæ poſteritatis, ſtatim cum eum ex Haran ad inſtaurandam collapſam in Palæſtina Eccleſiam uocaſſet, anno à condito mundo 2023. Huic promißioni firmiter credens Abraham, certò ſperabat, & expectabat bona promiſſa. Non enim hæſitandum ſibi eſſe putauit, quin quod tantus rex, creator cœli & terræ pollicitus eſſet, ſanctè etiam ſeruaturus eſſet. Sed quid fit? Promiſſa erat ei terra Canaan, & in ea ne ueſtigium quidem pedis tenebat. Promiſſa erat infinita poſteritas, nec liberos tamen ullos habebat: imò ne ſperare quidem ſobolem per naturam poterat. Hic ſi rationem tuam conſulas, negabit prorſus, promiſſa Dei eſſe rata. Non enim poteſt mens aliter ſtatuere, quàm actum eſſe de tali promißione. Quid igitur? mendax eſt Deus? & uanæ eius pollicitationes, irritæq́; ſpes in eum collocatæ? Perpendite quæſo mo-

rem

rem conſuetudinemq; Dei, cognoſcite quàm mirabiliter cum ſanctis ſuis agat. Erigit, cum premere uidetur: iuuat, & benè uult, cum putatur iraſci: ſolatur, liberat, cū patitur nos affligi: πιςὸς eſt, cū nihil fidè dignū præſtare illū opinamur. Hæc quia dulciſsimè ab Eobano in Pſal. 4. expreſſa ſunt, uerſus integrè recito:

Mirificas Domini tandem cognoſcite leges,
In quibus exercet, quos amat, ipſe ſuos.
Deprimit, vt releuet: premit, vt ſolatia præſtet:
Enecat, vt poſsint viuere, & eſſe ſuper.

Ita Abrahæ etiam fidem datam ſeruauit, etiamſi ratio & cauſæ ſecundæ omnes reclamarent, et aduerſa fronte repugnarent. Inde Paulus ſupra & extra omnem captum humanæ rationis & iudicij loquens de Abraham inquit: Credidit Abraham contra ſpem. Quæ uerba Pauli hyperbolica prorſus uidentur rationi, & abſurda in philoſophia, nec niſi ueris Chriſtianis approbari poſſunt. Quid enim tam pugnat cum communi rationis iudicio, quàm expectare rem in promiſsione oſtenſam, ubi nullam ſpei cauſam ratio aut species externa præbet? Hæc eſt ars artium, ſcientia ſcientiarum. Quid autem impetrat tandem Abraham, certa fiducia expectans promiſſa à Deo bona? Multum utique. Nam & filius ei datur, licet ſerò: & repetitur ei promiſsio, de poſteritatis immenſa multitudine & propagatione. Hac promiſsione et aſſeueratione contentum eſſe Abrahamum oportuit: terram uerò promiſſam non adeptus eſt. Poterat autem ſanctiſsimus Patriarcha in hac promiſsione acquieſcere tutò,

præſertim cum filium iam haberet, ſpem poſteritatis oſtenſæ. Verùm durius adhuc exercetur, & hæc unica ſpes propagandæ ſobolis penitùs ei præciditur. Nã filium ſuum iubetur à Deo immolare. Hîc quid animi ei fuiſſe exiſtimas? Quis non irritam promiſsionem totam, & inane tantum θελκτήριον eam fuiſſe iudicet? Perſtitit tamen Abraham, & hoc etiam grauiſsimum fulmen fide conſtantiaq; ſuperauit, firmiſsimè in animo retinens promiſsionem uſq; ad extremum uitæ ſpiritum: & certiſsimè ſtatuens, quòd, qui promiſerat, eſſet etiam facturus. Quid de ſucceſſore eius dicam, Iſaac: cui quoq;, & ſemini eius promiſsio terræ Canaan facta eſt? Is certè, tantum abfuit ùt illa potitus ſit, ut tanquam hoſpes in ſolo promiſſo, ſine certa ſede per totam ſuam uitam peregrinaretur. Iſaac ſubſecutus eſt Iacob, cui itidem promiſsio de poſſeſsione terræ ſanctæ melle & lacte abundantis repetita eſt: ſed neq; huic, quod ſperabat, conſequi licuit: imò fame inopiaq; ex ea inſuper diſcedere prorſus contra promiſsionem compellitur. Ecquis hic ueracem exiſtimet eſſe Deum, qui quod ſanctè promiſit, tot annis tam ſanctis patribus non præſtitit? Præterierant enim iam, cum Iacob ex terra Canaan in Ægyptum deſcenderet, anni à promiſsione primùm data Abrahæ, ducenti & quindecim. Tanto tempore nullus euentus reſponderat. Et quod triſtiſsimum eſt, in eo diſceſſu Iacob cum familia, omnis etiam ſpes confirmandæ & explendæ promiſsionis, euaneſcere prorſus uidebatur. Quæ tunc animo patriarchæ cogitationes obuerſatæ ſunt?

Digitized by Google

ſunt? quantam luctam eius fidei fuiſſe putemus? Expendat hoc tacitè apud animum, qui poteſt. Stupet mea mens, & hæret lingua, cum talia reputo: & animus tamen neſcio quomodo geſtit coràm illa uidere et cognoſcere in cœleſti Academia. Sed redeo, unde aberrauit oratio. Moritur in Ægypto, in terra peregrina, Iacob, relinquens in ſeruitute poſteros ſuos, quos tamen liberos et terræ Canaan dominos ex pacto Dei eſſe oportebat. Et in ea quidē ſeruitute ducentos & quindecim annos permanſerunt. Ita abierunt anni quadringenti integri, & triginta. In hoc temporis curriculo deceſſerunt patres, quibus promiſsio erat data. Ad exitum uitæ uocati ſunt, Ioſeph, & alij quàm plurimi, qui ingenti deſiderio terrā in promiſſione oſtenſam expectarunt. Nec ſpes eorū poſteris ferè ulla monſtrabatur, qua ſe ſuſtentare poſſent: quin iugum ipſorum ſeruitutis indies exaſperabatur, & fiebat durius. Cum enim augeretur Iſraelitarum familia, & excreſceret in multitudinem ingentem, cœpit eſſe inuidioſa Ægyptijs. Ideoq; onera ſubinde grauiora laborum & ærumnarum illis imponunt, atq; adeò in ſanguinem & uiſcera eorum quoq; immaniſſimè ſæuiunt, dum omnes infantes maſculos Hebræorum per obſtetrices occidi rex Pharao iubet. Hic trepidat populus, angitur, gemit, & intolerabilem ſeruitutem ſibi ſuisq; poſteris in perpetuum ſuſtinendam eſſe conſpicit. En iterum Dei promiſſa, en aſſeuerationes factas patribus. Itáne facit Deus, quod pollicitus eſt? Quis huic credat? quis non inani ſpe lactari

dem ei habentes uidet? Promiſſa erat libertas, & poſ-ſeſsio terræ Canaan huic populo ante tot annos: & nunc ſeruitute in terra peregrina opprimitur, exanimatur, & tanquam brutum laboribus intolerabilibus enecatur. Hic quieſcat ratio, et in obſequium Dei captiua redigatur. Non enim poteſt eſſe iudex tantorum Dei facinorũ, quæ excedunt et ſuperant omnẽ captum humani ingenij, et intelligentiæ. Quis.n.hoc ſuæ mentis acie comprehendat? Quis hoc ſibi rationis iudicio perſuadeat? Deũ eſſe propitiũ, ubi iratus omni è parte uidetur? Quis ſtatuat Deum opitulari, cum eum refragari & duriter affligere omnia obiecta demonſtrant? Quis in eũ ſperet, in eaq; fiducia ad extremum uſq; perſeueret, ubi ſpem omnẽ cauſæ ſecundæ præcìdunt? Hic eſt mos Dei: quem nos diſcere, et credere, non intelligere in hac uita oportet. Viuificat, cum extinguere eum putamus: amat, cum odiſſe exiſtimatur: deniq; potens eſt, & efficax in nobis, cũ infirmus et procul abeſſe à nobis cenſetur. Nihil hic homo ψυχικὸς ſibi ſumat, ſtupidus eſt, cæcus & hebes, horum nihil aſſequitur. Sed iterum reuoco me, & ad inſtitutum reuertor. Videte quid faciat Deus: mirabilis eſt in omnibus operibus ſuis. Cũ iam in ſummas anguſtias redacti eſſent Iſraelitæ, & non tantum de ſeruitute perpetua, ſed uita etiam fortunisq; omnibus periclitarentur, gemerent, & tantum lachrymarum funderent, quantum ne cogitare quidem, nedum explicare animus humanus poteſt: ecce Deus ille, in quem patres antè ſperauerant, quem omnes Iſraelitæ ſub intolerabili

tolerabili iugo ſeruitutis ardentiſsimis gemitibus inuocauerant, prodit, & clarè ſe conſpiciendum præbet, uocans Moſen illum fugitiuum balbumq; ad eductionem et liberationem ſui populi, ex triſti ſeruitute, in patriam promiſſam. Hic lætum nuncium adfert Hebræis, cum fratre ſuo Aharone, iubens eos benè ſperare: breui fore dictitans, ut ex tyranni faucibus erepti, in locum tutũ, melle lacteq; fluentem traducantur. Hîc miſcentur læta triſtibus, ſoluuntur formidine animi Hebræorum, reſpirant: & præſentiam auxiliumq; Dei ſui, in quem tot annis in tam graui neceſsitate ſperarant, agnoſcunt: & experiuntur ſe illi curæ eſſe, nec eũ abieciſſe aut mutaſſe illum animum, quẽ toties patribus ipſorum oſtenderat & promiſerat. Hic intelligunt ſpem patrum ſuorum non fuiſſe uanam, nec gemitus & preces ſuas eſſe irritas. Teſtatur enim Deus aperta uoce & ſententia, idq; re euentuq; comprobat, ſe audiuiſſe gemitus populi ſui, & uidiſſe lachrymas eius. Ideoq; ſe miſertum eſſe illius, & uelle ſe eos eſſe ſaluos, et poſsidere promiſſa iam olim patribus bona. Hic eſt iucundus exitus ærumnarum, hæc paterna afflictionum mitigatio, hæc optata credentiũ, diuq; expectata liberatio. En hic Deus non eſt mendax: ſed quod promiſit, fideliter ſeruat. Quis igitur huic Deo non fidat? Quis de eius promiſsione dubitet? quis non certam opem liberationemq; in omnibus calamitatibus, periculis, & ærumnis ab eo petat & expectet? Quantam hæc diuina liberatio læticiam in animis Hebræorũ peperit? quantũ recreationis et ſo-

latij attulit? O incomprehenſibilem Dei maieſtatem: O admirandam bonitatem? O inuictam ueritatem. Graue eſt equidem ferre morbos, ſeruitutem, exilium, penuriam, contemptum, & alia mala, quibus gens humana infeſtari & diuexari ſolet. Sed contrà iucundum eſt, & lætum, ex malis eluctari, eripi, & optatum euentum ſortiri. Non percipit uerè ullius boni ſuauitatem, qui non acerba & amara guſtauit. Sic multo glorioſior et lætior eſt liberatio ex malis, quantumuis diu dilata, quàm aßidua bonorum perceptio. Feramus ergo magno animo, quæcunq; mala nobis obijciuntur, dummodò ſpem mitigationis diuinæ animo infixam retineamus. Qui uult lætari cum Iſraelitis, prius cum ipſis inter ærumnarum molem laboret, gemat & lachrymetur neceſſe eſt. Sed quid triumphas! dicat aliquis: tenentur adhuc ſeruitutis iugo Hebræi, nec dum Pharao eos dimiſſurus eſt. Etſi enim Moſes mandatum Dei expoſuerat illi, petieratq; ut ad ſacrificandum Deo uero, patefacto in populo Iſrael, Hebræos dimitteret, tamen nihil prorſus impetrauit: & quo magis orat, eo ſubinde cor Pharaonis magis & magis induratur. Eſt'ne hæc dicenda liberatio? Conſiderate: impedimenta iterum ſeſe offerunt, & difficultates obijciuntur. Sed quantæ illæ ſunt? Quæſo animis attentis perpendite. Homo opponit ſe Deo: uter cedet? uter uictoriam obtinebit? O miſer homuncio: quis es, qui Deo factori tuo aduerſa fronte repugnas? quid agis? uidete quantus conflictus Pharaonis cum Deo, muſcæ ſcilicet cum elephanto, muris

cum

Digitized by Google

cum leone. Num propterea quòd Pharao Deo reluctatur, populus Iſrael non educitur? Minimè, ludus iocuſq; eſt Pharao, ludere cum Deus patitur aliquandiu humano more, ſed tandem iocum conuertit in iram, & Pharaonem rabioſum præcipitat, clarè demonſtrans, ὅσον ἐστὶ κάρτιστος ἁπάντων. *Ita omnes tyranni, quantumuis fremant, ringantur, & ſuperbiant, deridentur à Deo, & conatus eorum omnes uani ſunt, & irriti, quemadmodum in ſecundo Pſalmo dicitur. Etſi enim homines ſuos neruos intendant, & potentiam regni ſui uniuerſam furenter in Chriſtianorum perniciem conuertant: tamen fruſtrà ſæuiunt, & inanes ſpirant minas: quia fortior eſt Dominus ad propugnandum, quàm hoſtes Eccleſiæ ad oppugnandum, ut præclarè Cyprianus dixit. Quid igitur metuimus? cur trepidamus? cur potentiam et minas hoſtium perhorreſcimus? Carnis noſtræ hoc eſt uitium: fides hæc terriculamenta omnia contemnit, infra ſe abijcit, & è ſublimi deſpicit. Pertimuerunt quoq; abſq; dubio Iſraelitæ horribiles Pharaonis comminationes, quibus tanquam fulmine & tonitru abſterrere eos à migrandi propoſito diuino iuſſu ſuſcepto uolebat. Sed fruſtra fuit omnis metus: ſi Deo ſatis confidere potuiſſent, non pauore ullo perculſi eſſent. Sed ita facere carnis mira infirmitas nos cogit. Vnde ſanè fit, ut nos quoq; ſæpè homines formidemus, ubi neceſſe non eſt. Verum commonefacti hoc Iſraelitarum illuſtri exemplo, diſcamus fidere potenti noſtro Deo: & ea fiducia confirmati, omnia pericula quæ*

Digitized by Google

hoſtes nobis minantur, tanquam inania terriculamenta contemnere. Cognoſcimus enim *fruſtra timuiſſe* Pharaonem Hebræos: *ſiquidem* Deus *propter hominis furorem nequaquam ſuam mutat ſententiam: neq; quod decreuit boni, ab eo deſiſtit, propterea quòd aduerſarium habeat tyrannum.* Equidem *indignum hoc eſſet maieſtate diuina, alienum à ueritate* Dei: & *contra communem etiam naturæ ordinem eſt, uinci* Creatorem *à creatura, figulum regi à luto.* Agite *ergo, uidebimus quem exitum hic temerarius tyranni auſus ſortitus ſit.* Mittit Deus *ſæpius ad eum* Moſen *cum fratre* Aarone, *ut diſcedendi ueniam ab illo impetret.* Hic *putet fortaſſe quiſpiam, in poteſtate* Pharaonis *ſitum fuiſſe, utrum egrederentur* Iſraelitæ, *an uerò in ſeruitute manerent.* Nequaquam *ita ſe res habet. decretum ſtatumq; hoc erat in animo* Dei, *ut educeret in terram promiſſam populum ſuum: quare cœlum & terram, totamq; naturæ faciem prius mutari, uel in nihilum etiam redigi neceſſe fuiſſet, quàm hoc conſilium* Dei *imperfectum relinqui.* Cur *igitur toties ſollicitatur* Pharao, *ut populũ dimittat?* Duæ *ſunt potiſſimum huius conſilij diuini cauſæ.* Prior *eſt, ut ſua benignitate & longanimitate* Deus *inuitet* Pharaonem, *ut potentiam uoluntatemq;* Dei *cognoſcat, eiq; reuerenter obediat: altera, ut glorioſior, gratior & illuſtrior eſſet eductio, manifeſtareturq; per eam maieſtas & omnipotentia* Dei, *qua ſuos tuetur & propugnat: aduerſarios uerò proſternit, & in nihilum redigit.* Hac *ſua omnipotentia, hoſtibus*

ſtibus terribili, optata uerò pijs, educit Deus *populum* Iſrael, *opimum ſpolijs Ægyptiorum, & lætum ſpe potiundæ terræ tot ante annos promiſſæ, inuito & reclamante* Pharaone. Et*ſi .n. plagis diuinis ita perculſus & edoctus eſſet, ut uel manibus potentiam et uim* Dei *palpare poſſet : in eumq́; locum res iam eſſet adducta, ut expellere etiã* Iſraelitas *ex ſuo regno cogeretur: tamen in tantam ſubinde relapſus eſt pertinaciam & furorem, ut exeuntes* Hebræos *hoſtiliſsimo exercitu perſequeretur.* O *pectus Caucaſi rupibus durius, & ſcopulis marinis, qui aſsiduis fluctibus tunduntur, horridius, non flectitur* Pharao *ad pœnitentiam, tam horrendis ſpectaculis : quorum recordatio ſaltem, quamuis extra periculum, ita percellit animos noſtros, ut ad magnitudinem illorum expaueſcamus & horreamus. Sed ita puniri obſtinatos iuſtiſsimum eſt, qui contumaciter cupiditatibus frenos laxant, & furenter* Deo *reſiſtunt.* Nam *uerè in pœnis furor eſt ſumma pœna, & calamitates cumulat.* Ruunt *ergo cæci & præcipites in exitiũ impij, et tragicè pereunt. Sed redeo ad hiſtoriam.* Egrediuntur Iſraelitæ *potenti* Dei *manu ex* Ægypto, *ingenti multitudine, ad ſexcenta millia uirorum: præter paruulos, mulieres, & innumerabilem turbam promiſcuam.* Quomodo *?* Ducente *quidem* Moſe *: ſed authore & protectore* Deo, *præcedente eos per diem in columna nubis, per noctem in columna ignis.* O *felicem populum, qui ſuæ migrationis gubernatorem & defenſorem habet filiũ* Dei. *Ita .n. nos interpretari, tum textus cogit: tũ dulciſsimum*

ciſſimum dictum Irenæi,*qui aſſeuerat filium* Dei *ſemper adfuiſſe generi humano, & ſemper cuſtodem & umbraculum fuiſſe ſui cœtus, qui doctrinam ipſius amplectitur & profitetur.*Hic *igitur filius* Dei *uerus fuit dux,cuſtos & opitulator populi* Iſrael *in hac migratione ex ergaſtulo* Ægyptiorum *in terram* Sanctam, *quam iam olim ipſi promiſerat: & interdiu quidem nube eum texit, noctu uerò lucentibus flammis eum circumdedit.* Hoc *tanto umbraculo aduerſus æſtum & omnem uim hoſtium muniti* Hebræi, *tutò iter faciunt, conſpicientes & cognoſcentes ex omni parte præſentiam & benignam protectionem* Dei. Et *primo die caſtra ponunt in* Suchoth. *Secundo,ex* Suchoth *egreßi, perducuntur in deſertum* Etham, *ubi ſolitudinis extremi fines erant circa rubrum mare,ſeu ſinum* Arabicum. Fuitq; *eorum iter hactenus felix & expeditum.* Verùm *iterum conſiderate, quæſo, quàm mirabiliter* Deus *ſuos ducat & regat.* Cum *die tertio ex uaſto & plano deſerto* Etham *populus egreſſurus eſſet, retrahit illum* Deus *à curriculo & uia incepta, in loca montana & aſpera ad fauces* Phiahiroth: *ibiq; in ſummis anguſtijs inter montes & mare eum concludit.* Hic *quia ante ſe mare habebat amplũ & ſæuum, ponè uerò inſequentem hoſtem* Pharaonem *cum inſtructiſſimo exercitu,iterum trepidat, & in ſummum periculum adducitur, hæret enim ibi miſer populus exanimatus metu,quocunq; oculos conuertit, præſentem mortem proſpicit. in ſumma:*

Luctus ubique, pauor, & plurima mortis imago.

Hæc

Digitized by Google

Hæc nimirum eſt communis illa & uſitata Deo *uiciſsitudo, ſiue temperamentum ærumnarum & liberationum, ſollicitudinum & conſolationum.* Vix re*ſpirarant* Iſ*raelitæ, erepti ex Ægyptiorum ergaſtulo: nunc iterum obijciuntur faucibus tyranni, & præda uidentur fore hoſti ſæuiſsimo.* Hic certè *iterum clamabit ratio, actum eſſe, nihil ſpei prorſus eſſe reliquum.* Siccine *ſuos beat* Deus? Itáne *ſeruat in ſe confidentes?* Hic *obſecro conſiderate mecum mirandum modum, quo* Deus *ſuis opitulatur, & ex ærumnis eos liberat.* Nos *humi ſtrati, ad media plus ſatis nos alligamus, & ſine ijs ſalutem nullam eſſe exiſtimamus.* Verùm Deo *longè alia eſt mens, alius animus.* Ideò *rectè inquit apud prophetam:* Deus *ego ſum, non homo.* Quare *non ex noſtris ingenijs æſtimemus & iudicemus* Deum, *ſed accuratis limitibus humana à diuinis diſtinguamus.* Non *comprehenditur* Deus *obtuſa intelligentiæ noſtræ acie: ideoq; credamus oportet, idq; exploratum omnino ducamus,* Deum *etiam abſq; medijs ijs quæ noſtris cernimus oculis, aut quæ cauſæ ſecundæ ſuppeditant, liberare ſuos ex ærumnis poſſe.* Eſt *enim liberrimum agens: & uult primùm nos ſimpliciter promiſsionibus ſuis fidem adhibere, ſiue ſuadeat ratio, ſiue diſſuadeat.* Deinde, *ut fidem noſtram exploret & confirmet, ærumnis nos ſubijcit: quæ quamuis amaræ ſint, tamen non ſunt exitioſæ, ſed utiles & ſalutares.* Eripit *igitur ex oculis omnia humana præſidia ſeu media, quibus confidere poteramus, ut noſtram fiduciam in ſe ſolum transferat.* Poſtremò,

cum

cum iam omnibus præſidijs humanis deſtituti ſumus, nec conſilij aut opis quicquam ſupereſt, mirando modo & glorioſè iuuat & liberat: ut uidelicet clarius & manifeſtius conſpiciatur eius maieſtas, gloria, & omnipotentia. Sic in hac quoq; hiſtoria populo ſuo Iſrael omnem opem, conſilium & præſidium humanum adimit, concludens eum inter mare & hoſtem, ut ſuam potentiã & bonitatem apertius declaret. Nam ibi uolebat auxilium ſuum manifeſtari, ubi auxilium humanum omne deſierat: ut oſtenderet, ſe eſſe σωτῆρα ἀνθρώπων ἐπὶ ξυροῦ ἤδη ἐόντων. Quare tunc in ſummis anguſtijs hoſti manifeſta ui reſiſtit: & ne rabioſè in exercitum Iudæorum irruat, interponit ſeſe medium in obſcura & nebuloſa nube, & potenti manu eum cohercet. Ibi tum uidere licuit ſtantes duos numeroſos exercitus, alterum fugientem, alterum inſequentem hoſtiliter: in medio autem utriuſq; interpoſitum præſidium Dei, compeſcentis & cohibentis rabiem inſequentis hoſtis. Etſi enim Pharaonis cónatus non diſsimiles fuerint flumini extra ripas effuſo, quod

Fertur in arua furẽs cumulo, cãposque per omnes
Cum ſtabulis armenta trahit: —

tamen Deus metam certam illi conſtituit, quouſq; permiſſurus eſſet ut graſſaretur: et ut Eſaiæ uerbis utar, circulum in naribus eius poſuit, & frenum in labijs. Hanc metam excedere nequaquam potuit. Cum igitur populus conſternatione trepidat, & Moſes expoſtulationem eius uix compeſcit, ſtans inter ſacrum

& ſaxum

& ſaxum accipit diuinam conſolationem, qua animatus fortiter inquit: Nolite timere, *ſtate & uidete magnalia* Domini, *quæ facturus eſt hodie.* Ecce *hic eſt fructus longè uberrimus periculorum & ærumnarum, in quas* Deus *nos incidere ſinit, ut uidelicet agnoſcamus præſentiam & potentiam, ſeu magnalia* Dei. Non *igitur indignari, non fremere debemus, cum affligimur: neq; diſcurrere ad inconceſſa præſidia, ſed conſtanti inuictoq; animo liberationem à* Deo *petere & expectare.* Nam *uerè propheta inquit:* In *ſilentio & ſpe erit fortitudo ueſtra.* Quod *uerò eſt illud ſilentium, quod* Deus *in ærumnis à nobis requirit?* Num *uult* Deus *nos prorſus ocioſo & ſecuro eſſe animo, & quandam* ἀπάθειαν *præ nobis ferre?* Reſpondet *propheta, ſilentium in eo conſiſtere, ut primùm crucem nobis impoſitam obedienter feramus.* Secundò, *ut ne illicita præſidia ex diffidentia quæramus, & extra metas uocationis erumpamus.* Addit *autem propheta,* In *ſpe: quæ complectitur fiduciam ueram, acquieſcentem in* Deo, *& certò mitigationem, auxilium & liberationem ab eo expectantem.* Hoc *ſilentij & ſpei mirabili temperamento* Iudæi *tunc præſentia pericula procul fugarunt, & præclarè eluctati ſunt.* Nam πιστὸς *eſt* Deus *noſter, nec ſinit nos tentari ſupra id quod ferre poſſumus: & tentationem ſemper ex pacto* Dei *ſequitur mitigatio, & placidus exitus.* Audit *hic* Deus Moſen, *antequam clamet: reſpondet, cum adhuc uerbum nullum ore eſſet prolocutus.* Tanta

eſt in

eſt in eo auiditas, tantus ardor, tam flagrans deſiderium exaudiendi, iuuandi & liberandi. Cum igitur iam erexiſſet Deus languentes populi ſui animos, mox ſequenti nocte diuiſo diuina potentia per baculum Moſi mari rubro, exiccatoq́; immiſſis uentis uado, relictis caſtris mare ingreditur. O miraculum ingens, angelorum & hominum linguis et uocibus prædicandum. A tergo arcet Deus inſequentem hoſtem à ſuo populo interiecta nube, quæ denſam nebulam hoſti offundit: à fronte ſcindit mare, & tutum tranſitum ſuis præbet. Cedit mare proceloſum credentibus, contra omnem rationem & naturæ ordinem: ſtant utrinque ingentes cumuli aquarum, in modum altiſſimorum ſcopulorum erectarum. Inter hos cumulos tranſit uniuerſa multitudo populi, medium locum inter caſtra Ægyptiorum & Iſraelitarum obtinente nube illa obſcura quidem, ſed ex qua fulgetra emicabant Ægyptios terrentia, Iſraelitis uerò lumen præbentia. Eſtq́; hæc maris diuiſio eo admirabilior, quòd ea in parte, ubi Iſraelitæ tranſierunt, mare uiginti fermè miliaria Germanica fuerit latum, ut ex Coſmographorum deſcriptionibus apparet. Hoc ergo tam longum iter non uno die confici potuit, ſed aliquot dies in eo conſumi oportuit. Etſi autem præſentiam & auxilium in hoc miraculoſo tranſitu populus liquidò conſpexit: tamen, ut fert humana imbecillitas, multas querelas, gemitus & lachrymas interceſſiſſe credibile eſt. Quid enim tu cogitares, ſi iſto eſſes loco, quo tunc Iſraelitæ fuerunt? Nónne ſollicito animo ſubinde re-

Digitized by Google

ſpectares ad cumulos iſtos aquarum erectarum, & in ſublimi ſtantium? Nónne iamiam eos ruituros eſſe metueres, & te cum familia uniuerſa oppreſſuros? Acceſſerunt ſuſpiria multorum, ploratus paruulorum, partim humeris geſtatorum, aut manu ductorũ, partim ponè ſequentium: nec defuerunt uociferationes & clamores promiſcuæ multitudinis, unà tranſeuntis. Quàm enim difficile eſt fidere Deo, ubi ſpem omnem creaturæ denegant? Erat præterea à tergo hoſtis immanis, & ferox: quoties igitur eos reſpexiſſe conſentaneum eſt ad hoſtem, quàm longè abeſſet? Et ut maximè per mare iter conficerent, & incolumes ad portum peruenirent, metuendum tamen ſibi eſſe uiderunt ab hoſtibus & latronibus, ne rabioſè concurrerent, & tã ignotos hoſpites à littore immaniter repellerent. Verùm ex his curis & ſollicitudinibus eluctatur fides, & glorioſè uincit. Eius tanta uis eſt, ut quæ inuiſibilia ſunt, tanquam oculis ſubiecta complectatur: & quæ differuntur, perinde habeat atq; præſentia. Deniq; ubi Deus ſe iratum & tanquam hoſtem oſtendit, ibi eum tanquam patrem intuetur & habet. Hæc nimirum eſt ars Chriſtianorum ſumma & arcana, ignota prorſus mundo ſecuro & profano. Hac Iſraelitæ etiam metum & dubitationem omnem repreſſerunt, & hoſtem immanem Pharaonem uicerunt, & interemerunt. Cum enim is ſublata nube, caſtra Iudæorum uacua cerneret, & uadum maris ſiccum conſpiceret, eadem uia illos perſecuturus, in medijs undis circa diei diluculum cum uniuerſo

exercitu perijt, partim commotis uentorum procellis, partim recurrentibus aquis obrutus. Iſraelitarum uerò exercitus & multitudo tota, incolumis ad littus & portum peruenit. Hæc eſt læta & glorioſa liberatio populi Iſrael, ex duriſsima ſeruitute, & ergaſtulo Ægyptiorum: & uictoria Dei de hoſte ſuo Pharaone, omnium uocibus, literis & linguis celebranda. Eſtq; facta anno conditi mundi bis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, die menſis Aprilis decimoactauo. Et manifeſtauit Deus ſuam gloriam, & declarauit omnipotentiam & ueritatem inuictam in ſeruandis promiſsionibus: ut certò credamus & ſtatuamus, eum uerè & ex animo nos amare, fouere, defendere, & iuuare, quantumuis duriter aliquandiu premamur & affligamur. Et ut animo infracto expectemus ab eo opem & mitigationem, etiamſi ſpem opis & auxilij ratio & natura tota nobis præcidat. Hanc artem nos tenere oportet, eaq; tanquam ancora in aduerſitatibus niti. Sed non ſinit tempus hæc perſequi longius. Venio igitur ad id, quod in recitatione huius hiſtoriæ unicè nobis propoſitum eſt. Cùm ſiccis uadis incolumesq; Iſraelitæ ſinum Arabicum tranſijſſent, & perſequentem hoſtem cum uniuerſo exercitu in undis miſerè perditum uiderent, Deus bone, quanta oboritur in animis eorum læticia? quanta exiſtit exultatio? quantus inſequitur triumphus? Eſt enim cùm innatum noſtris animis, ut proſpera fortuna extollamur, & geſtiamus: tum ſi liberatio ex tam graui & inenarrabili periculo tam admirabilis,

bilis, tum præter omnem rationem, imò præter & contra omnes cauſas in natura ordinatas acceſſerit, incredibilem & effuſam læticiam excitari neceſſe eſt. Vt igitur tanto tamq; miraculoſo Dei beneficio liberatus populus Iſrael, ardenti pectore & pleno ore in laudem celebrationemq; Dei erupit, & lætis cantionibus gratias illi egit: ſic nos quoq; affecti à Deo, præterito ſemeſtri, maximis & inenarrabilibus beneficijs, lætis animis & uoce hilari gratias ei agamus. Ideo enim hiſtorias ſacras legimus, ideo miracula Dei in Eccleſia edita cognoſcimus, ut Dei beneficentiam erga nos perſpiciamus, eiusq; recordatione ad admirationem & gratiarum actionem ardentem exuſcitemur & accendamur.

¶ *Tibi ergo toto pectore & animo gratias agimus, omnipotens, æterne & uiue Deus, qui te patefecisti patribus Abraham, Iſaac & Iacob, edita promiſſione de filio tuo Domino noſtro IESV Chriſto Meßia & redemptore generis humani, & deduxiſti populum tuum per mare rubrum, ſcißis & ſtantibus aquis in ſublimi inſtar montium: & deleto hoſte feroci Pharaone, omnipotentiam & uoluntatem tuam, qua erga Eccleſiam omni tempore affectus es, manifeſtißimè declaraſti. Deniq; per filium tuum Eccleſiam in genere humano inde ab initio uſq; mundi collegiſti, eamq; cuſtodiuiſti, & defendiſti contra omnem omnium hoſtiū furorem & impetum: & etiamnum per eum nobiſcum in Eccleſia loqueris, uoluntatem tuam nobis declaras, & ad uitam æternam*

nos acceptas. Inſuper Spiritum ſanctum tuum in corda noſtra effundis, ut regeneret & ſanctificet nos: regis, ducis, paſcis, & defendis nos aduerſus diaboli furorem, Turcarum & aliorum hoſtium omnium uiolentiam & rabiem: ſeruas politias, leges, & omnia honeſta officia in hac ciuili conſociatione, qua deuinxiſti nos. Accendiſti iterum in hac delira mundi ſenecta uerbi tui lucem, ex denſiſsimis tenebris erutam, eamq; purè in Eccleſijs noſtris ſonare ſinis: foues artium & linguarum ſtudia, & in hac etiam ſchola noſtra qualiacunq; initia doctrinæ literarum unà cum ſacroſancto tuo uerbo inſtauraſti. Hæc tua immenſa beneficia, quo animo, quo ore ſatis prædicabimus? aut quibus uerbis tibi gratias agemus? Etſi, magne Deus, obſtupeſcant mentes noſtræ, & hæreant linguæ ad tantam benefactorum magnitudinem: tamen accipies (quæ eſt tua in nos paterna uoluntas & æquanimitas) gratiam noſtram, quam pro animi noſtri uiriculis reuerenter, piè & humiliter tibi habemus & referimus. Agnoſcimus tuam diuinam & inexhauſtam erga ſcholam hanc, & nos omnes bonitatem & miſericordiam: & ut uerius indies agnoſcamus, tu qui omnipotens es, & fons omnis boni unicus, per Spiritum ſanctum tuum in nobis effice. Te unà cum filio tuo Domino noſtro IESV Chriſto, & Spiritu ſancto ueris gemitibus inuocamus, & oramus, ut quemadmodum populum tuum Iſrael duxiſti, & glorioſè liberaſti: ita nos quoq; in hac ultima mundi ſenecta, in qua & pietatis & honeſtatis officia elanguescunt

gueſcunt mirificè, clementer reſpicias, regas, foueas, & tuearis. Non nos ſumus, qui regere nos noſtris uiribus ualeamus: in te nos proijcimus totos, à te pendemus: tu Eccleſiam, politias, & hanc ſcholam noſtrã protege, auge & ſerua. Vt enim tenello & elangueſcenti corpori copioſiore tegumento, & cura maiore opus eſt: ita ſeneſcens iam Eccleſia, & hæc noſtra ſchola deſerta, ac alijs præſidijs deſtituta, præſentiori & ualidiore indiget auxilio & adiumento tuo. Hanc igitur, pater ſanctiſsime, cura, foue, & commendatam tibi habe. Rege etiam nos, quibus docendi munus commiſſum eſt, Spiritu ſancto tuo, ut utilia & ſalutaria doceamus: tum diſcipulis etiam noſtris uerum amorem audiendi, diſcendiq; inſtilla, ut ita officium noſtrum unanimiter faciamus omnes, & tibi per nos aliqua grata fiant. Hac fiducia erecti & ſuſtentati, cras, quod felix & fauſtum ſit, lectiones hyberni ſemeſtris in nomine Dei iterum auſpicabimur, ſuo quiſq; loco & ordine, quem foris affixa ſchedula liquidò monſtrabit. Dixi.

ORATIO DE DICTO XENOphontis ex 7. libro κύρȣ παιδείας, Artes ſunt fontes bonorum: recitata in Academia Erphordiana, cum gradus Magiſterij conferretur, V. idus Februarij, Anno 1569.

PIum & iuſtum initium huius actus, quod & Deo gratum, & nobis omnibus utile ſit, faciam. Pre-

cor enim Deum toto pectore,ut clementer hunc actũ gubernet & fortunet, ut ipſi debitus à nobis, tribuatur honos, & uos, Licentiati amantiſsimi, debitum doctrinæ & uirtuti teſtimonium in hoc conuentu publico, conſentientibus & applaudentibus auditoribus omnibus, in commúnem totius Academiæ utilitatem & incrementum per me conſequamini. Ac quoniam de Dei præſentia & implorato eius auxilio dubitare nefas eſt,uos, Licentiati optimi,moneo,ut quæ ueſtræ partes in hoc actu ſunt, eas ſtrenuè agatis: & cum ſpecimen eruditionis publicum in hoc loco à uobis expectetur, facite quæſo, ut appareat,uos non ambitione quadam, aut auſu temerario hunc honoris titulum affectare, ſed iure omni, καὶ κατ᾽ ἀξίαν cum uobis deberi.

Recitate orationes.

Audiſtis uiri magnifici, & præſtantes, uosq; ſtudioſi amantiſsimi, ordine ſingulorum Licentiatorum orationes, ex quibus de ingenio, doctrina & moribus eorum iudicare,non erit uobis difficile. Eſt enim oratio uera, ex uerbis & rebus ornatis & bonis conſtans, animi honeſti & eruditi indicium infallibile. Cum autem à me quoq; expectetur oratio, non tam ſplendida quàm utilis, & ad exhortandos præſentes Licentiatos, exornandumq; hunc actum philoſophicum accommodata: quanquam uehementer animo angor, difficultatem dicendi pertimeſcens, & ingenij uiriumq; imbecillitatẽ præmetiens: conandum tamen eſſe pro uiribus exiſtimo, ut ſtudij mei diligentiã

Acade-

Academiæ probem, ne non tam uoluntas, quàm facultas, mihi deeſſe uideatur. Euoluam igitur breuiter dulciſſimum Xenophontis dictum, quod in 7. τῦ κύρυ παιδείας, recitatur: Artes ſunt fontes bonorum. quo elogio uix quicquam ſanctius et honeſtius cogitari poteſt. Ac cum plurimum referat cauſas & autores dictorum rectè intelligere, initiò qua occaſione, & à quo uiro hæc honeſtiſſima ſententia prolata ſit, cõmemorabo. Quæ fuerit Cyri regis Cyaxaris in bello aduerſus Aſſyrium ſocij, ſapientia, moderatio, ſucceſſus & uictoria, uel ex ſolis Xenophontis aureis libris notiſſimum eſſe poteſt. Huic cum in curſu fortunæ ipſius proſperrimo bellum intuliſſet Lydiæ rex Crœſus, potentia, opibus, & rebus omnibus ad uitæ uſum cultumq; neceſſarijs abundans, falſa ſcilicet adulatorum interpretatione Oraculi deceptus, uincitur ab eo in Cappadocia, & mox Sardibus obſeſſus capitur, & regno potentiaq; omni exuitur. Cum autẽ Cyrus uictor urbẽ ingreſſus eſſet, iuſſit hunc Crœſum ad ſe captiuum adduci, cum eoq; de diripienda urbe deliberat. Ac iuſtum quidẽ eſſe Cyrus exiſtimat, militibus, qui tã ſtrenuè laboraſſent, diripiendi poteſtatem facere, quò obſequentiores in poſterum eos haberet: ſed nolle tamen ſe ait, eam diripi. Tum Crœſus direptionem diſſuaſurus, rationes adfert æquiſſimas, quare parcendum eſſe Sardibus exiſtimet: ac inter cæteras hæc longè pulcherrima & ſapientiſſima eſt, ne ſimul cum reliquis bonis corrumpantur artes, quæ bonorum fontes eſſe dicuntur. Erat autem tunc Ionia referta arti-

bus & liberaliſsimis ſtudijs, doctiſsimiſq; hominibus affluebat. Et Sardes *ipſæ, nobiliſsima urbs* Lydiæ, Io*niæ uicina, præterquam quòd opibus & omni copiarum genere cæteras longè anteibat, literarum quoq; & artium cultui dedita erat.* Cuius *quidem rei, ſi teſtimonium aliud non extaret, tamen uel hæc unica* Xenophontis *narratio ſatis demonſtrat, fuiſſe hanc urbem ſedem & domicilium* Muſarum, *cultaq; in ea eſſe* Philoſophiæ *ſtudia in magno docentium & diſcentiũ cœtu.* Quare *ut parcatur urbi propter artes meritò petit* Crœſus, *non tam de uita & fortunis ſollicitus, quàm de artium bonarum incolumitate.* Sed *quid uictor* Cyrus? Aſſentitur *uicto per omnia, & facturum ſe eſſe, quæ petiiſſet, liberaliter pollicetur.* Ita *hæc urbs, quæ poſt* Babylonem *opulentiſsima erat in* Aſia, *à direptione hoſtili ſeruatur.* Cur *enim artibus non parceret, qui & ipſe artium doctrina & ſapientia admirabili præditus eſſet?* Cur *fontes bonorum corrumpere non uereretur, quem importare bona orbi terræ decebat?*

Sed cur bonorum fontes uocat artes? Hîc *etiamſi non ignorem* πηγῆς, *ſeu fontis appellatione copiam ſeu largitatem quandam ſignificari: magis tamen me ipſius fontis, quàm ubertatis appellatio delectat.* Eſt *enim fontis non ſolùm ubertas quædam, ſed etiam perpetuitas, unde aqua copioſa perenniſq; in loca uicina longè lateq; promanat, perinde ut de* Alcinoi *fonte* Homerus *ſcribit:* ἡ μὲν ἀνὰ κῆπον ἅπαντα σκίδναται, *qui per hortum uniuerſum ſpargitur.* Et *de*

altera

Digitized by Google

altero fonte inquit: ὅθεν ὑδρεύονται πολῖται, unde aquam hauriunt ciues. Sic igitur fontis nomine origo & copia ſignificatur, ita diffuſa & ſparſa, ut tanquã commune bonum quamplurimis uſui eſſe poßit. Neq; hoc ſolùm, ſed liberalis etiam & gratuita communicatio rei optimæ & ſaluberrimæ, hac ipſa fontis appellatione adumbratur, utpote qui gratis καὶ ἀφθόνως omnibus adeuntibus aquam indefeßè impertit, communemq́; ſui uſum præbet. Iam hæc ad artes confer, & uidebis quantum rebus humanis proſint literæ, Ἄριστον μὲν ὕδωρ, Aqua res optima, ait Pindarus. Sed multò meliores tibi uidebuntur artes, ſi commoda earum rectè penſitaueris. Nam naturæ quidem neceſſarium eſt adminiculum aqua: ſed uerè bonorum, hoc eſt honeſtatis, pulchritudinis, humanitatis, æquitatis, & reliquorum ornamentorum in uita ciuili nequaquam eſt origo & cauſa appellanda.. Multò certè minus res naturales cæteræ cum artibus, neq; dignitate, neq; utilitatis ubertate ſunt comparandæ. Age enim primùm, unde eſt hic auguſtus & ſacer bonorum fons, cuius riuulis omnes reſpublicæ in gente humana tam largè perſperguntur & irrigantur? Autorem certè alium, præter Deum, omnis boni cauſam in natura quærere, impium eſt. Ex huius enim ſanctiſſimo et ſapientißimo pectore artes iſtæ, quæ bonorum fontes dicuntur, & iam olim dimanarunt, & nunc hodie quicquid eſt humanitatis et boni reliquum, unicè dimanat. Ac ut fluminibus & fontibus qui terras rigant, & animantibus potum præbent, ſapientes

Ethnici numina ac Nymphas præfecerunt, ut immenſæ Dei bonitati ac prouidentiæ perennitatem eorum aſcriberent: ita artium quoq; originem & donum Deo acceptum omni iure referimus. Sed quorſum hæc de artium autore? Huc uidelicet, ut dignitatem earum nobis omnibus commendent. Parum enim eſt, magnã artium utilitatẽ prædicare, niſi à Deo ipſo traditas, & tanquan diuiniſsimum theſaurum mortalibus commendatas eſſe ſcias. Quiſquis igitur artes tenet, eximium Dei donum poſsidet: & è diuerſo, quicunq; artes, aut artium cultores aut profeſſores odit, aut contemnit, Dei ipſius hoſtis iudicandus eſt. Iam quorum bonorum fontes ſint artes, porrò uidendum eſt. Cum fontes bonorum appellantur, commune bonum Reipub. quod omnibus ex æquo liberaliter & citra inuidiam impertitur, artes eſſe indicatur. Eſt enim hoc quaſi peculiare harum artium, quæ ab humanitate nomen acceperunt, ut bona ſua longè lateq́; ſpargant atq; diffundant, cõmuniaq́; his, quibus cum commercium habent reddant. Hinc non dici poteſt, quanta ad ciues ſingulos, & uniuerſam Rempub. emolumenta redundent. Sunt autem officinæ artium, quæ tantorum bonorum fontes appellantur, ſcholæ ſeu Academiæ, παιδευτήρια ϗ διδασκαλεῖα à Græcis appellatæ, quòd artium uocem ſonent, & doctrina liberali animos erudiant. Ex ſcholis igitur quaſi per quoſdam canales ſeu riuulos propagantur hæc bona, quæ artes uitæ ciuili important. Ac unus quidem, atq; adeò præcipuus riuulus ducitur ad Eccleſiam,

ſecundus

Digitized by Google

ſecundus ad politicum imperium, tertius latiſsimè in ciues ſingulos ſpargitur. Etſi enim Eccleſiam cœleſti rore, qui eſt uerbum Dei, perſpergi & uiuificari oportet: tamen ex ſcholis miniſtros liberali artium doctrina exultos atq; inſtructos ſumi neceſſe eſt, qui intelligere & iudicare ſermonem atq; ſenſum propheticum & Apoſtolicum rectè queant. Nec carere poteſt Eccleſia his artibus, quas adminicula & inſtrumenta eſſe ad explicationem doctrinæ cœleſtis, Deus ipſe uoluit, cum neq; ad rectè perſpicueq; docendum, neq; ad arguendum contradicentes ſine illis quiſquam ſatis inſtructus eſſe poſsit. Quid multa? Artes earumq; officinas adeò Eccleſiæ neceſſarias Deus eſſe iudicauit, ut cum Eccleſiam in his regionibus inſtaurare uellet, prius literarum doctrinam, plurimis paſſim per Germaniā ſcholis et Academijs inſtitutis, ſuſcitarit, ne fonte tam neceſſario Eccleſia deſtitueretur. Si igitur Eccleſiam ſaluam & incolumem eſſe optamus, ſi doctores uerbi diuini ſeruari utile ducimus, artes in ſcholis ſonare atq; diſci oportere fateamur neceſſe eſt, ut inde ad Eccleſiam uiri docti prodire poſsint. Simulatq; enim hic ſacer & auguſtus fons corruptus fuerit, actum quoq; de incolumitate Eccleſiæ erit, utpote quæ miniſtros idoneos amplius non ſit habitura. In his enim artiū officinis præparari doctores uerbi oportet: & qui hæc media contemnit, aut non admodum neceſſaria ducit, is in Deum contumelioſus eſt, & ſibi alijſq; nocet. Rectè enim ſcholæ διδασκαλεῖα τῆς θεογνωσίας *appellantur, quòd ad agnoſcen-*

agnoſcendum Deum uiam monſtrent, et artes doceant, quæ quaſi quidam duces ſunt ad cultũ opificis. Quàm fœcunda mater doctorum Eccleſiæ, iam per annos fermè quinquaginta fuit Academia Vuitebergenſis? ut reliquas taceam, quot quantosq́; uiros genuit, & toti Germaniæ exteriſq́; etiam nationibus impertiuit? Quanta, Deus bone, copia bonorum inde promanauit? Fuit & eſt uerè officina & propagatrix artium iſtarum, quæ fons ſunt bonorum, cuius riuuli per omnes Germaniæ angulos deducti largè ſuauiterq́; Eccleſiam rigarunt. Ex quo quidem facilè iudicari poteſt, quantum noceant Eccleſiæ hi, qui parum aut nihil curant, ſint ſcholæ, nec' ne: Theologi' ne, an alij in ijs educentur atq; præparentur. Secundus riuulus ex ſcholis in politicum imperium deducitur, bonaq́; artium quamplurima illi impertit. Sunt enim ſcholæ etiam τῆς δικαιοσύνης διδασκαλεῖα, hoc eſt, iuſticiæ officinæ, in quibus iuſta ab iniuſtis diſcernere, & ſepoſitis priuatis affectibus atq; opinionibus id tantùm ratum habere diſcimus, quod leges rectum iuſtumq́; eſſe pronunciant. Nec facilè quiſquam ſatis ornatus ad Reipub. adminiſtrationem accedet, niſi prius artium fonte ſua labra & animum totum perſperſerit. De hoc ſi fortè dubitas, audi Cyrum, qui apud Xenophontem ait, ſe de præceptore ſuo hoc didiciſſe in ſchola, quòd id iuſtum non ſit habendum, quod opinione propria iuſtum eſſe uidetur: ſed quod lex iuſta præcipit, id demum ab omnibus approbari debere. Cumq́; aliud ſecundum Arithmeticam, aliud ſecundum Geometricam proportionem

tionem ſiue æqualitatem conueniat, nec omnes cauſæ perſonæq́; idem ius poſtulent: ex ſcholis diſcrimen iuſti & æqui ad iudicandum adferendum eſt, æquitasq́; philoſophica in multis negocijs uſurpanda eſt. Cum igitur non κατὰ τὴν ψυχὴν *ſiue* δόξαν, *hoc eſt, ſecundum innatam opinionem ſeu libidinem, quæ, ut* Ariſtoteles *ait, optimos etiam uiros tranſuerſos agit, ſed ſecundum legem ſcriptam cauſas cognoſcere & dirimere controuerſias, æquo iudicio conueniat: in iuſticiæ ſcholis prius præparare & erudire eos neceſſe eſt, quos* Reipub. *utiliter præeſſe uolumus, ut in iudicando non ſuos affectus, ſed leges conſulant atq; ſequantur.* Cumq́; *in conſultando è præteritis exempla petere rerum futurarum utiliſsimum ſit, ſecundũ* Iſocratem: *præcipuarum rerumpub. hiſtoriæ notæ eſſe debent, in quas intuentes melius de præſentibus negocijs iudicemus.* Facilius *enim quæ obſcura ſunt, è manifeſtis cognoſcuntur.* Ideoq́; *in ſcholis libri* Xenophontis, Plutarchi, Ciceronis, Demoſthenis, *& aliorum autorum, qui exempla conſiliorũ & euentuum, uariosq́; rerum humanarum caſus deſcribunt, legendi & cognoſcendi ſunt, ut ijs poſtea in magnarum rerũ deliberationibus uti poſsimus.* Eſt *præterea ex ſcholis uel in primis humanitas, ſiue lenitas atq; moderatio ad* Reipub. *adminiſtrationem adferenda, ut & placidè audiantur qui conſilium expetunt, & citra moroſitatem ijſdem detur reſponſio.* Eſtq́; *hæc uirtus adeò gubernatori neceſſaria, ut* Plato *neget eam* Rempub. *eſſe beatam, cui non* Philoſophi, *hoc eſt, homines mo-*

deſti

deſti & docti præficiantur. Huc accedit nobilis illa dicendi uis atq; facultas, qua & hominum cœtus tenemus, & mentes allicimus, uoluntatesq́; mirificè quò uolumus impellimus atq; deducimus. Hanc unde quæſo, niſi ex artium & eloquentiæ officinis, ſcholis, haurics? Hæc igitur & alia commoda quamplurima ex ſacro auguſtoq́; fonte artium, quæ in ſcholis traduntur, in politicum imperium redundant, ut & ius habeamus omnibus pariter æquum, ad omnesq́; circumſtantias accommodatum, tum ut de futuris euentibus ex præteritorum factorum collatione prudentius deliberemus, & deniq; in omni procuratione modeſtiores ſimus, & dicendo inſuper flectere hominum animos poßimus. Sic itaq; oportet politias quoq; ex artium fontibus ſuos rigare hortulos. Eſtq; opera danda his qui Reipub. præſunt, ſeduló, ut curſu largo gratoq́; ſuſurro hic fons effluat, quo exiccato debilitari ipſam quoq; Rempub. oportebit. Niſi enim ex ſcholis prodeant uiri, artium doctrina & iudicio inſtructi, non ſalus ipſa, ſi uellet, ſeruare Reſpublicas poſſet. Atq; hæc ferè publica ſunt bona, quæ ex artibus ad Eccleſiam & Rempub. dimanare oſtenſum eſt. Sunt uerò alia etiam penè innumerabilia commoda, quæ priuatim ad nos ſingulos ex artibus proficiſcuntur. Primùm enim ſcholæ priuatim etiam ciuis cuiuſq; ſunt bonum, ut ad eas liberos ſuos mittat, & liberaliter artibus imbui curet. Deinde nemo eſt, qui non incredibiles ſentiat fructus artium, etiam in priuata uita, cum nihil ſit, ſi Ciceroni credimus, quod tam adoleſcentiã

alat,

alat, ſenectutem oblectet, & ſecundas pariter & aduerſas res moderetur atq; ornet, ſicut literæ. Tū ſi in caſus aliquos uita noſtra incidat, ut patria boniſq; fortunæ omnibus ſpoliatos periclitari nos neceſſe ſit, tunc ſolatium & perfugium artes præbent optatiſſimum. Eſt enim ars portus miſeriæ, nullaq́; eſt terra, quæ artem non alat. Ariſtippus olim ex urbe Cyrene nauigans, bona externa omnia amiſit: ſed quia artem perpetuò inhærentem animo circumferebat ſatis ad uitam præſidij ſuppetebat. Cum enim fracta ſcapha in littus Syracuſarum eiectus eſſet, conſpexit illic in arena figuras quaſdam Geometricas: unde facilè coniecturam cepit, ſe reperturum ibi homines doctos et ſapientes. Quocirca læto animo ad Syracuſiorum gymnaſium acceſſit: cumq́; eius doctrina illic innotuiſſet, exceptus eſt & tractatus honorificè, omnibusq́; rebus neceſſarijs cumulatus. Ideoq́; re ipſa iam expertus, artem ubiq; ſufficiens eſſe uiaticum, iuſſit renunciari patriæ ſuæ ciuibus, ut eas ſibi pararent poſſeſſiones, quæ non interirent, ſed naui etiam fracta ſimul cum poſſeſſore enatarent. Apelli quid acciderit, in medio eſt. Hunc enim ferunt aliquando, cum ex Græcia in Ægyptum nauigare uellet, naufragium primùm, unde uix emerſerit, feciſſe: tum à piratis etiam in littore ueſtibus ſpoliatum eſſe. Quamobrem egenus & mendicus tandem in regiam Ægypti urbem profectus illic in aulæ quodā angulo ſeſe abdidit, comedens de micis quas paſſim emendicauerat. Sed fortè uiſus ibi à quodam Satrapa ſuperbo, ad regis conuiuium

uiuium ab eo inuitatur. Quod Apelles, quamuis per illuſionem dictum, nihilominus ſibi faciendum putans, ad dictam horam regis cœnaculum adit, pannis, ita ut erat, obſitus: interrogatusq; quid ſibi uellet, reſpondit, ſe cum Rege eſſe cœnaturum, quemadmodum eſſet rogatus. Hîc quamuis acerbè iterum deridetur et exagitatur: tamen propoſitum non mutat, ſed ſe ab aulico quodam inuitatum eſſe conſtanter affirmat. Cũq;, quis eſſet ille qui ipſum inuitaſſet, interrogaretur, dixit ſe nomen quidem ignorare, ſed formam hominis ſe pingere uelle, unde agnoſci poſſet. Id cum egregiè præſtitiſſet, delata eſt pictura illa ad regem, qui admiratus illius præſtantiam, mox hominem accerſitum cœnare ſecum iußit: cumq; quid ei accidiſſet in itinere, cognouiſſet, amanter eo uſus eſt in pingendo, & tandem magno donatum auro dimiſit. Ita ipſi ars ſua in ſumma egeſtate ornamento & præſidio fuit. Sciens hîc multa prætereo commoda, quæ ex Medicina & Aſtronomia in totam uitam ciuilem largißimè profluunt, ut et quæ ſalubria, & quæ noxia ſint, ſciamus, & ſanitatem præſentem tueamur, amiſſam uerò recuperemus: tum annorum etiam, menſium & dierum deſcriptionem habeamus, & aëris uarias uices alterationesq; ex Solis, Lunæ, aliarumq; ſtellarum influxu et efficacia multo antè utcunq; proſpiciamus & æſtimemus. Ex his uerò quæ dixi breuius patet, ad priuatam etiam uitam ingentia bona ex artibus peruenire. Quod cum ita ſit, quis dubitabit rectè bonorum fontes eas appellari? cũ & publicè et priuatim ita proſint, ut

Eccleſiam

Eccleſiam & Reſpub.atq; priuatam etiam uitam ex illis rigari oporteat. Cumq́; officinæ earum ſint ſcholæ, quis non immenſam utilitatem ſcholarum perſpicit? Magna igitur cura ſcholæ fouendæ ſunt, alendiq́; profeſſores, qui uelut diſpenſatores, tota tantaq́; artium bona in Eccleſiam, Rempub. & priuatam uitam diligenter fideliterq́; diſtribuant. Neq; exiſtimandum eſt, parum, aut nihil referre, profeſſores in ſcholis ſint, nec ne: ſed ita potius ſibi perſuaſum habeant ſinguli, nefariè & impiè defraudari Eccleſiam, Rempub. & ciues ſingulos, niſi in ſcholis ſint, qui artes propagent. Nec inutilia Reipub. pondera, qui literas docent, cenſeri debent: ſed diſpenſatores potius communium ciuitatis bonorum, deducentes riuulos taliũ bonorum, quibus Eccleſia, politia, & priuatim ciues ſinguli indigent, nec carere ullo modo poſſunt. Quocirca nemo eos floccipendat, qui & priuatorum & publicorum bonorum fontes cuſtodiunt et propagant: ſed agnoſcat quiſq;, quantum beneficiorum cumulum per uiros doctos orbi terræ Deus largiatur. Ita fiet, ut Eccleſia doctores habeat idoneos, & Reſpub. conſiliarijs nunquam deſtituatur, tum priuatim etiam neceſſaria ſolatia atq; præſidia in proſpera pariter et aduerſa fortuna ſingulis ſuppetant. Si uerò hos, tanquam non admodum neceſſarios, neglexeris, quid ages aliud, niſi ut ſpretis obturatisq́; fontibus, neceſſarijs præſidijs omnibus te ipſum nefariè ſpolies? O beatã Rempub. quæ artes fouet, unde tanquam ex fonte perenni in omnes partes longè lateq́; diffunduntur bona. O

Digitized by Google

uerò infelicem politiam, quæ fontibus bonorum deſti-
tuitur. Ac ſi quem fortè hæc bona non permouent, is
ſaltem decus literarum ingens, quod ad omnem poſte-
ritatem durat, animo cõſideret. Quis non uehementer
nunc hodie laudandos Athenienſes cenſeat, qui artes
uiroſq; doctos egregiè præ cæteris amarunt & foue-
runt? Quis contra ſuos Bœotios non deteſtetur, et ui-
tuperandos exiſtimet, quoties nomen eorum tam fœ-
dum audit? Sic profectò prædicata eſt aliquando hæc
urbs magnificè, propterea quòd artes, bonorum fon-
tes, fouit, unde in Eccleſiam, aulas principum, ciuita-
tes & ſcholas uiri eruditi prodierunt, & latè ſparſi
ſunt. Immò celebratur etiamnum, quòd non ita pridè
aliquos inſigniter eruditos complexa eſt, quorum do-
ctrina & uirtus non ſine ingenti laude Erphordiæ à
Domino Ioachimo Camerario publicis ſcriptis illuſtra-
tur. Ac ſanè magna laus eſt, à uiris tantis in hac Re-
pub. artes, bonorum fontes, eſſe propagatas. Nauata
eſt à uiris iſtis opera ſtrenuè, præſtititq; in ſua quiſq;
profeſſione, quantum conniti ingenio & ſumma indu-
ſtria potuit. Eobanus politioris litaraturæ quaſi ἔξαρ-
χος quidam in hac Academia extitit. Camerarius ue-
rò doctrinæ literarum Græcarum fundamenta quædã
iecit: & poſt eum mox, anno uidelicet ſupra milleſi-
mum quingenteſimum decimonono, Græca docere
publicè cœpit doctor Langus. Interim ſuam profeſſi-
onem egregiè exornauit Doctor Georgius Sturcius,
cuius domus tanq̃ cõmune hoſpitiũ omnibus doctis pa-
tuit: fuitq; tantus in illo uiro amor renaſcentis litera-

turæ

Digitized by Google

turæ Græcæ et Latinæ,omniumq; aliarum artiū,ut nihil prætermitteret,quod ad augendā ornandamq; rem literariā pertinere uidetur. Huius ſui ſtudij ſocios habuit, Eberbachiū,lumen Academiæ Erphordianæ,doctorē Ionam Ioannem Groningū, et alios,quos omnes, amentes ſimus,niſi ueneratione & immortali honore dignos exiſtimemus. Hos tunc habuit hæc Reſpub. artium propagatores,qui bona quàm plurima in totā ciuitatem liberaliſſimè contulerunt,et Eccleſiam, Rempub. & priuatim ſingulos ditarunt, nomenq; inſuper etiam toti Reipub.celebre pepererunt,& poſt ſe reliquerunt. Quis noſtrûm non optet ſibi cum talibus uiris commercium,ſi per fata liceat? Quis non ſeculū illud felix iudicet, quo tantos ſuorum bonorū œconomos hæc Academia habuit? Quouſq; tandem ſtertemus? An non hæc aliquando nos commouebunt,ut toto animi impetu in propagationem tam ſalutariū fontium incumbamus? Sed reprimo me,& ad uos me conuerto,Licentiati optimi: uos adſiſtere mihi im hac cathedra iubeo, ut coràm quæ uolo, communicare uobis poſſim. Imprimis autem ea autoritate,quæ mihi à ſpectabili uiro,facultatis noſtræ Decano,cōceſſa atq; tributa eſt, uos moneo, ut Academiam hanc philoſophicam, communem noſtram matrem, uero amore complectamini, eamq; pijs officijs certatim iuuetis & ornetis. Ita enim habetote, curam atque propagationem fontium huius Academiæ,hoc eſt,artium bonarum,ad uos quoq; translatam eſſe. Quare uidete diligenter etiam atq; etiam, ut boni fideleſq; œconomi ſitis,

mi ſitis, & bona hæc ad Eccleſiam, Rempublicam, & *ad priuatos uſus deriuare & tranſmittere ſtudeatis.* Cumq; *in diſpenſatore inprimis requiratur fidelitas, quæ peritiam, naturæ bonitatem, & ſedulitatem complectitur: ſeriò uos hortor, ut literarum ſolidam cognitionem expetatis, quò appareat uos eius rei, quam profitemini, non umbram, ſed ſcientiam mediocrem habere.* Deinde *luceat in uobis* εὐφυΐα, *id eſt, indoles uirtutis, ut alacri animo & iudicio recto officium uobis demandatum efficiatis.* Tum *aßiduitatem & diligentiam in adminiſtratione dignam præſtate: nec ullis deterremini conuicijs, contemtu, inopia, & incommodis alijs, quæ nobis obijci ſolent.* Idq; *accuratè cauete, ne uel inſcitia forte uel malis moribus profeſſionem ipſi deformetis: quod perinde mihi uideri ſolet, ac ſi upupa, quod aiunt, proprium conſpurcet nidum, in quo poſtea uolutari ipſam oportet.* Deinde *libros clauſos uobis exhibeo, ut ſignificetur, uos non nunc primùm incipere has artes, quas profitemini, ex libris diſcere, ſed ab ineunte ætate ita in eas incubuiſſe, ut memoria etiam præcipua earum capita teneatis.* Eoſdem *rurſus apertos uobis commendo, ut ſciatis ad lectionem philoſophiæ nullo non tempore uos impelli.* Inſuper *uetus docentium inſigne, pileum uobis impono, quo honos & dignitas ueſtri muneris maxima adumbratur: eſtq; non ſolùm capitis ornamentum, ſed etiam tegumentum aduerſus inuidiam, obtrectationem, calumniam, & incommoda cætera, quæ docentibus philoſophiam occurrunt.* Tandem *aureum annulum*

nulum adijcio, qui & dignitatem auget, & ut in profeſſione integrè caſtéq; uerſemini, efflagitat. His ornamentis & inſignibus omnibus pro more Academiæ uobis conceſſis & tributis, ſupereſſe nihil uideo, niſi ut apicem ſeu colophonem addam. Accipite igitur titulum & gradum Magiſterij, quem uobis iuſſu præſidis atq; decani philoſophicæ facultatis cum omnibus adhærentibus iuribus, priuilegijs, dignitatibus, emolumentis & immunitatibus plena uoce & autoritate confero, do & aſſigno, uosq; promotos Philoſophiæ Magiſtros renuncio in honorem Dei omnipotentis, utilitatem Eccleſiæ, incrementum Reipub. & ornamentum patriæ, parentum, & aliorum hominum quàm plurium.

Proponite ordine quæſtiones uobis demandatas.

Gratiarum actio.

Poſtremò ad te ora, uultus & mentes totas conuertimus, omnipotens & uiue Deus, æterne & unice pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, autor & conſeruator cœli & terræ, conditor generis humani & Eccleſiæ, unà cum filio tuo, domino noſtro Ieſu Chriſto, ὁμοουσίῳ καὶ συναϊδίῳ, & Spiritu ſancto tuo, paracleto & uiuificatore, gratias tibi agentes, quantas animus noſter anguſtus capere poteſt maximas, quòd præter alia tua beneficia, quibus quotidie nos afficis & cumulas, hodiernum etiam conferendorum honorum actum philoſophicum clementer gubernaſti, & ad lætam hanc optatamq; cataſtrophen perduxiſti. Agnoſcimus tuam ineffabilem bonitatem, quòd Eccle-

ſiam, ſcholas & politias in tanta tamq; acerba diabolorum rabie, & inter tam horrendos tumultus, bella, odia, inſectationes, & ſæuas hoſtium minas protegis & defendis: eamq; ut indies magis atq; magis agnoſcamus & prædicemus, tu effuſo in mentes noſtras Spiritu ſancto tuo effice. Rege ſcholam hanc et artes, quæ bonorum Eccleſiæ & Reipub. fontes ſunt, nec deleri eas unquam penitus ſinito. Da doctores pios & fideles, quorum miniſterio longè latéque artium bona deriuentur, & ad poſteritatem etiam propagentur. O beatos quibus tu mentis oculos aperis, ut bona iſta perſpiciant & magnifaciant. O cæcos uerò & miſeros, qui bonis iſtis quotidie magno ſuo commodo fruentes, impiè tamen & ſuperbè illa contemnunt.

Dixi.

Digitized by Google

DIVI BASILII MAGNI

Concio, de Inuidia.

Exordium à cauſa efficiente bonorũ & malorum per antitheſin.

a Propriũ boni & diaboli.

BOnus eſt Deus, à quo bona omnia his qui digni ſunt, præbentur. Malus verò diabolus, omnisq; prauitatis architectus. *a* Vt autem boni hoc eſt proprium, vt nemini inuideat: ſic contrà diabolus ſemper flagrat inuidia. Vitandus eſt igitur nobis, fratres, inuidiæ affectus, ne operum aduerſarÿ noſtri participes fiamus, & eodem iudicio cum ipſo damnari iure videamur. *b* Cum enim ſuperbus iudicium diaboli nõ effugiat, quomodo inuidus apparatum diabolo ſupplicium declinabit? Præſertim cum nullus pernicioſior affectus in animis hominum exiſtere poſsit, quàm inuidia. Hæc enim, vt minimum lædit alios, ſic præcipuum certè & domeſticum eſt malum inuidenti. *c* Tanquam enim ferrugo ferrum, ſic inuidia animum exedit inuidi. Ac quod de viperis aiunt, quòd exeſis vteri materni lateribus, in lucem edantur: eodẽ modo de inuidia dici poteſt, quòd animum conſumat eius in quo exiſtit. Eſt autem inuidia, dolor ex alterius felicitate conceptus. Vnde fit, vt triſtitia & mœrore nunquam vacet inuidi animus. Non enim poteſt ſine moleſtia videre vel proximi agelli fœcunditatem, vel domeſticorũ eius commodorum copiam: ſed hæc omnia mor-

ἀπόδοσις ex cauſa ad effectum: Cũ inuidia ſit ex diabolo, fugienda eſt, ne cõſortes diaboli fiãus. Eſtque hæc orationis propoſitio.

b Collatio ſuperbi & inuidi ex effectis.

c Cõparatio cum ferro & viperis.

Definitio.

Cauſæ προκαταρκτικὴ inuidiæ, ceu ſunt:

Felicitas proximi. morbum inuidiæ velut ſubminiſtrato cibo augent, & dolorem acerbiorem inuido conciliant. Vnde ſanè nihil differre videtur ab homine nudo, cui ab omnibus prætereuntibus infliguntur vulnera. Si quis fortis eſt, aut bono corporis habitu præditus, feriunt iſta animum inuidi. Eſt aliquis forma præ ceteris amabili, plaga iſta eſt inuidi. Excellit alius eximijs animi donis, ſuſpicitur & imitatione dignus cenſetur propter prudentiam & dicendi facultatem: alius diues eſt, & conatur egregiè largiri & communicare egenis, multumq; ob liberalitatem laudatur: hæc omnia plagæ ſunt & vulnera, quæ inuidi viſcera penetrant. Et quod moleſtiſsimū eſt in hoc morbo, reuelare ipſum non audet: ſed oculos demiſſos, vultumq; ſubtriſtem præ ſe fert, animo perturbato eſt, malè habet, & dolori ſuccumbit. Si verò ipſum interroges, quomodo ſe habeat, calamitatem detegere pudor prohibet: nēpe quòd inuidia & amarulentia animus ardeat, conficiatur amici ſucceſsu, & fratris lætitia doleat: item quòd aliorum felicitatem intueri & ferre non poſsit, ſed proſperitatem proximi ſuum ducat infortunium. Hæc enim dicenda eſſent, ſi vera fateri vellet. Cum autem horum nullum patefacere auſit, intra præcordia conceptum morbum retinet: vnde cor tabeſcit, & exeditur. Quocirca nec medicū ſuo morbo adhibet, neque remedium huic affectui vllum ſalutare po-

Fortitudo & bona corporis habitudo.

Forma.

Dotes animi.

Eloquentia.

Opulentia.

Liberalitas.

Adiunctum inuidiæ quod ſuo ſe malo conficiat occulte.

teſt

Digitized by Google

teſt inuenire, quamuis Scriptura huiuſmodi medicamentis abundet: ſed vnicum hoc mali ſui leuamen expectat, ſi fortè quem videat cadere ex his quibus inuidet. In hoc expletur & ſatiatur inuidia, ſi ex felici videat infelicem factum eum cui infeſta eſt: miſerum, qui beatus antea prædicabatur. Tunc gratificatur & amica eſt, cum lachrymantem videt, cum lugentem conſpicit: non lætatur cum hilari, ſed lachrymatur cum lachrymante, & quocunq; modo facta vitæ mutatione miſericordiam implorat, priorem ſtatum prædicans, non quadam humanitate aut animi commiſeratione, ſed vt acerbiorem reddat calamitatem.

Aliud adiunctum, ἐπιχαιρεκακία, id eſt, lætitia ex aliorum calamitate, coniuncta cum hypocryſi.

Exemplis illuſtrat.

Filium poſt mortem laudat, & innumeris encomijs extollit, quòd forma fuerit eleganti, docilis, & ad omnia aptus: cum tamen ei viuenti ne verbo quidem commodo ſit gratificata. Contrà, ſi multos viderit laudare eundem, mox mutato ſermone inuidet mortuo. Diuitias admiratur, cum iam diſsipatæ ſunt: venuſtatem corporis, robur, & bonũ habitum prædicat & iactat, cum iam morbo conſumta ſunt. Et vt in ſumma dicam, præſentia odit, deperdita amat.

Congeries effectuum ſiue incommodorum inuidiæ.

Quid igitur hoc morbo poteſt eſſe pernicioſius? corruptela eſt vitæ, peſtis naturæ, hoſtis omnium bonorum Dei munere nobis conceſſorum, reluctatur Deo.

I. Exemplũ effectus inuidiæ in Diabolo.

Quid eſt enim aliud quod mali authorem diabolum ad oppugnandum hominem impulit,

quàm inuidia, per quam & eius in Deum ini-micitia patefacta eſt? Succenſuit enim Deo, quòd adeò erga hominem eſſet munificus. Cũ verò vlſciſci Deum non poſſet, in hominem vindictæ cupiditatem conuertit. Eadem etiam feciſſe Cainum, manifeſtum eſt: qui cum pri-mus diaboli eſſet diſcipulus, inuidiam & cædem ab eo didicit. Sunt enim vicina hæc peccata: vnde etiam Paulus ea coniunxit, cum nominat plenos inuidia & cæde. Quid autẽ perpetrauit? vidit quanto honore Deus Abelem ornaſſet, æmulationeq́ exarſit, ac ſuſtulit eum, vt ægrè faceret conditori. Cum enim Deo bellum in-ferre impoſsibile ei eſſet, ad fratris cædem ſeſe conuertit. Vitemus, fratres, morbum iſtum, qui Deo nos bellum inferre docet, fraternæ cæ-dis mater eſt, iura naturæ confundit, propin-quitates diſſoluit. Hoc malo nihil poteſt eſſe ab-ſurdius. Quid doles ô homo, cum nihil tibi ac-cidat mali? cur oppugnas eum, cui boni quip-piam contigit: cum nihil tibi decedat? Si verò his etiam à quibus bona accepiſti, iraſceris, nón-ne tuis ipſius commodis inuides? Cuiuſmodi fuit Saul: qui ex magnitudine acceptorum be-neficiorum captauit occaſionem belli aduerſus Dauidem. Cum enim primùm diuina & om-ni ex parte congruenti muſica à furore eſſet li-beratus: haſta transfigere conabatur eum, à quo beneficio illo erat affectus. Deinde ex hoſtium

manibus

II. In Caino.

Inuidiæ coniuncta cædes.

Epiphonema ex triſtiſsimis effectibus inuidiæ.

Antitheſis ab abſurdo & iniquo.

III. Exemplum in Saule.

Digitized by Google

manibus vnà cum exercitu ſeruatus,& à contumelia Goliath vindicatus, cum audiſſet præconium quod in laudem victoriæ faciebant ſaltatrices, in quo decuplum laudis rerum geſtarum tribuebant Dauidi, Percuſsit Dauid decem millia,& Saul mille: hac vnica voce,& ipſius etiam veritatis teſtimonio permotus, primùm manu propria interficere, & ex inſidijs eum tollere conatus eſt. Deinde etiam ſi in exilium abire eum coegiſſet, tamen ne iſto quidem furor rabioſus ſedatus eſt: ſed tandem etiam exercitum ter mille electorum virorum contra eum eduxit, vt in deſerto quæreret. Si quis autem cauſam belli ex eo ſciſcitatus fuiſſet, vtiq; benefacta Dauidis dixiſſet. Etiamſi enim in ipſo perſecutionis tempore dormiens eſſet inuentus, & hoſti ad occidendum opportunitas contigiſſet, nec tamen occidere eum contra ius voluiſſet, ne eo ipſo tamen permotus beneficio manus ab eo violētas abſtinere voluit: ſed rurſum collecto exercitu, perſequi cœpit, donec iterum ab eo prehenſus in ſpelunca, virtutem quidem illius illuſtriorem reddidit, ſuam verò improbitatem magis aperuit. O intractabile inimicitiæ genus inuidia. Aliàs enim ſolent beneficia placare inimicos, at inuidum & malignum magis irritat beneficentia: & quo plus benefeceris, eò magis indignatur, dolet & ægrè fert. Plus enim capit moleſtiæ ex potentia benefactoris,

Cauſa inuidiæ Sauli benefacta Dauidis.

Exclamatio ex adiuncto ſeu proprio quodam inuidiæ, per collationem: alii hoſtes & feræ

beneficiis placantur, inuidus vero iiſdem magis inuitatur.

ris, quàm gratiam habet pro ijs quæ accepit. Quæ igitur eſt beſtia, quam hi non ſuperant morum improbitate? Quam feram non antecellunt feritate? Canes cibo manſueſcunt, ſæui leones cultu cicurantur: at inuidi obſequio magis exaſperantur. Quid aliud in ſeruitutem redegit Ioſephum, niſi fratrum inuidia? vnde ſanè meritò mireris atrocitatem huius morbi. Cũ enim ſomnij metuerent euentum, ſeruum effecerunt ſuum fratrem: quaſi nullus vnquam ſeruus eſſet adoratus. Atq; ſi certi aliquid ſignificant ſomnia, quæ ars eſt tanta, vt euentum eorum impediat? Si verò fallaces ſunt ſomniorum ſpecies, cur inuidetis ſomniorum ſpecie decepto? Meritò igitur Dei prouidentia, nimia eorum ſapientia peruertitur. Quo enim impedire conabantur, quod in ſomnio prædictum erat, eo aditum euentui patefaciunt. Niſi enim eſſet venditus, in Aegyptum non veniſſet, nec propter temperantiam in libidinoſæ mulieris inſidias incidiſſet. Niſi porrò in carcerẽ eſſet coniectus, non factus eſſet familiaris miniſtris Pharaonis, neq; eorum ſomnia eſſet interpretatus, vnde principatũ in Aegypto conſecutus eſt. Nec etiam à fratribus, cũ commeatus inopia laborantes ad ipſum venirent, eſſet adoratus. Conſideremus ſummam inuidiam, & in ſummis conſiſtentem: qualis ea eſt, quæ ex Iudæorũ furore aduerſus Chriſtum orta eſt. Cur quæſo inuidebant?

IIII. Exemplum in fratribus Ioſephi.

V. & maximum exemplum in Iudæis.

bant? Propter miracula. Quæ verò erant iſta miracula? Salus egentium. Eſurientes alebantur: & qui alebat, oppugnabatur. Suſcitabãtur mortui, & Dominus vitæ odio habebatur. Dæmones eijciebantur: & qui eis imperabat, inſidijs petebatur. Leproſi mundabantur, & claudi ambulabant, ſurdi audiebant, & cæcis viſus reſtituebatur: is autem à quo bona iſta omnia proficiſcebantur, expellebatur. Ad extremum, morti tradebant eum, à quo vitæ ſuæ donum acceperant: & flagellabant humanæ gentis liberatorem, condemnato totius mundi iudice. Sic omnia mala inuidiæ ſingulatim enumera, & reperies ſanè hac vnica machina inde vſq; ab initio mundi ad eius conſummationem, omnes eſſe vulneratos, & de gradu (quod aiunt) deiectos, à peſte vitæ noſtræ diabolo: qui lætatur noſtro interitu, quiq; per inuidiam lapſus, nos quoq; ſecum per eundem affectum præcipitauit. Sapiens profectò erat, qui monebat, ne cibum quidem cum inuido capere oportere: transferens nimirum præceptum à conſuetudine in victu, ad totius vitæ ſocietatem. Vt enim curæ nobis eſt, vt ligna quæ facilè incenduntur, quàm lõgiſsimè ab igne remoueamus: ita, quantum fieri poteſt, inuidorum conuerſatio fugienda eſt, quo ab inuidiæ telis immunes ſimus. Nõ enim alio modo inuidiæ irretimur tendiculis, niſi cum familiariter nos inuidis adiungimus.

ἐπιλογισμὸς exemplorum inuidiæ cum cauſa eius efficiente diabolo.

Præceptum ſapientis de vitanda inuidia.

ſiquidem,

Inuidi conuerſatio fugienda.

Quo maior propinquitas & arctior cognatio, eo ardentior inuidia.

ſiquidem, iuxta Salomonem, viro æmulatio à ſodali ipſius eſt. Et rectè quidem. Neq; enim Aegyptio inuidet Scytha, ſed ſuo gentili quiſq;: & inter ipſos quidem gentiles non ignotis, ſed familiariſsimis inuidet: cum inter familiares etiam vicinis & illis qui eiuſdem artificij ſunt, alijſque domeſticis: & rurſum inter hos, coætaneis, cognatis, & fratribus. Deniq; vt frumenti proprium malum eſt rubigo: ita inuidia amicitiæ eſt labes. Hoc tamen meritò quis in hoc malo laudauerit, quòd quo magis intenditur, eo plus nocet inuido. Vt enim tela quæ violento feruntur motu, cum in durum & renitens obiectum incidunt, ad iaculatorem reſiliunt: ita motus inuidiæ non eum lædunt cui inuidetur, ſed ipſius inuidi carnificina ſunt. Quis enim tanta vnquam arſit inuidia, vt alterius bona inuidendo minueret? Seipſum tamen facilè liuidus con tabeſcens triſtitia perdit. Porrò ipſis etiam beſtijs, quę virus eiaculantur, pernicioſiores eſſe inuidia æſtuantes, facilè crediderim. Beſtiæ enim virus ictu inijcitur, & læſum ab eo membrum paulatim putredine abſumitur. Inuidos verò opinantur nonnulli ſolo aſpectu nocere: vt benè alioqui habentia corpora, & vigore ætatis ad ſummam pulchritudinem euecta, ab inuidis colliqueſcant. Vnde ſanè moles tota vniuerſim contrahitur, quaſi pernicioſus aliquis fluxus ab illis deriuaretur, quo homines marceſcerent

Simile.

Alius effectus inuidiæ proprius, quod ſibi maxime noceat ipſa.

Simile a telis.

Amplificatio per collationem cum beſtiis.

Digitized by Google

ceſcerent & corrumperentur. Verùm ego iſta relinquo, vtpote quæ fabuloſa, & ab aniculis in gynæceo conficta eſſe videntur. Hoc tamen affirmo, cùm mali dæmones animos ſibi conformes in hominibus reperiunt, tunc ſuo arbitrio illis abutuntur: vnde fit, vt oculis etiā inuidorum tanquam adminiſtris pro ſua voluntate vtantur. Quid verò? Non metuis miniſtrū te præbere nocentiſsimi dæmonis? Qui ſuam labem tibi aſpergit, vt inimicus fias eius à quo nulla iniuria affectus es? Immò inimicus ipſius Dei, qui ſine inuidia omnibus benefacit? Fugiamus hoc malū intolerabile: ſerpentis documentum eſt, inuentū dæmonum, inimicitiæ ſeminarium, arrabo aſſentationis, impedimentū pietatis, via ad infernū, priuatio regni. Produnt aūt ſe ipſos fermè inuidi. Sunt enim eorum oculi aridi & obſcuri, genæ demiſſæ, deiecta ſupercilia: animus deniq; eo ipſo affectu confuſus, teſtimonium veritatis præbet. Nulli negocio intentus eſt, honeſtas actiones vituperat: non dicendi facultatem cum grauitate & lepôre coniunctam probat, neq; aliud quicquam ſtudio dignum, & in illuſtri loco poſitum. Quemadmodum autem vultures multa prata, multaq; iucunda & fragrantia loca præteruolant, vt ad graueolentia perueniant: & muſcæ partes ſanas tranſeunt, ad vlcus verò properant: ita inuidi virtutis & rectè factorum ſplendorem non aſpiciunt

Margin notes: ἀποδ'ιωξις. — Baſilii ſententia de cōmercio & mutuis operis diaboli & inuidi. — Alius inuidiæ effectus: Reddit nos miniſtros diaboli & hoſtes Dei. — Cōgeries malorum inuidiæ. — Signa atq; notæ inuidi. — Comparatio cum vulturibus, muſcis et pictoribus malis.

Digitized by Google

aſpiciunt, ſed in putridis tantùm hærēt: et ſi quis fortè erratū aliquod admittit, qualia multa homini eueniunt, illud diuulgant, ſtudentq; vt per huiuſmodi rumores innoteſcant homines: quē admodum mali pictores à diſtorto naſo, vel cicatrice, vel mēbri alicuius defectu, aut ſimili quo dam affectu, à ſe pictos demonſtrare ſolent. Verùm quæ laudare debebant, ea egregiè norunt contrario ſermonis genere vituperare, & ex vicino vitio virtutis calumniam capere. Audacem enim, fortem: ſtupidum, temperantem: crudelem, iuſtum: maleficum, prudentem: magnificum, iactabundum, per calumniam appellant: Liberalem contrà, prodigum: frugalem, parcum: non deniq; vlla eſt virtutis ſpecies, cui non peculiare nomen, ex oppoſito nimirum vitio translatum, indiderint. Quid ergo? perſtrinxiſſe huius mali vitium ſatis eſſe putabimus? Dimidia equidem tantum hæc eſſet velut curationis pars. Non enim inutile quidē eſt, ægroto magnitudinem morbi indicaſſe, vt dignam curam adhibere poſsit. Verùm in eo reſiſtere, nec ad recuperandam ſanitatem viam monſtrare, nihil certè eſſet aliud, quàm laborantem morbo abſumendū relinquere. Quomodo itaque, ne aut in hunc morbum incidamus, præcauebimus? aut eo correpti, elabemur? Primùm quidem, ſi nihil in rebus humanis magnum & admiratione dignum duxerimus,

Calumnia adiunctum inuidiæ, peruertens ſcilicet omnia, ex virtute viciū, & contra faciens.

Tranſitio ad alteram orationis partem de cura præcauendi iniuriam.

I. Remedium ex deſpicien-

mus,non affluentiam opum,non gloriam,quæ tanquam floſculus decidit & euaneſcit,non corporis habitum. Non enim hiſce fugacibus bonis felicitas circumſcripta eſt, ſed ad æternorum & ſolidorum bonorum communionem vocati ſumus: ideoq; neq; diues propter diuitias,neq; potens propter dignitatis amplitudinẽ,neq; fortis propter robur corporis, neque ſapiens propter facundiam beatus iudicandus eſt. Nam inſtrumenta hæc ſunt virtutis, his qui rectè vtuntur: nec beatitudinem in ſe ipſa continent. Qui igitur illis abutitur,nihil eo miſerius: vtpote qui gladio quo hoſtes propulſare debebat, ſeipſum vltrò ſauciat. Si verò benè & ex rectæ rationis præſcripto hæc bona adminiſtrat, tanquam diſpenſator Dei munerum,neque ad proprium tantum vſum accumulat, is iurè propter fraternũ amorem & promptam communicandi voluntatem laudatur & diligitur. Item ſi videas aliquẽ prudentia excellere, & verbi diuini ſcientia ornatũ, vt ſacra oracula enarrare poſsit,noli inuidere ei: neque remoueri ab officio illum cupias,qui per Spiritus ſancti gratiam ita ſcripturam ſacram interpretatur, vt aculeos in animis audientium relinquat,& laudem conſequatur. Tuum enim eſt bonum,tibi per fratrem doctrinæ donum communicatur,ſi amplecti vis. Deinde quis adeò demens eſt, vt fontem ſcaturientem obſtruat? aut à lucente Sole oculos auertat? Non enim inuidet

tia bonorum huius mundi. Qui enim nihil tanquã magnum admiratur in hoc mundo, tutus eſt ab inuidia.

Vſus bonorum.

Præmunitio contra ambitionem & inuidentiã aduerſus Eccleſiæ doctorem.

Ab abſurdo.

Digitized by Google

hiſce, ſed illorum vſum ſibi potius concedi petiit. Cur igitur non eodem modo ſonantem in Ecclesia doctrinam cœleſtem, & ex pio doctoris pectore conceſſu ac munere Spiritus quaſi emanantem, cum gaudio ſuſcipis? & grato animo tantam vtilitatem amplecteris? Verùm moleſtè fers auditorum applauſum, vellesq́ è medio ſublatum cùm docentem, tum eos à quibus laudatur. Quo quæſo pacto hanc malitiam coram iudice cordium noſtrorum excuſabis? Quocirca ſic ſtatuamus neceſſe eſt, natura ſiue vſu æſtimari bona animi oportere: eumq; qui diuitijs affluit, & potentiam ſuam aut corporis habitum bonum oſtentat, amore cultuque dignum eſſe, quatenus bonis ſuis ita vtitur, vt communibus vitæ inſtrumentis: eaq; ſic ratione vera adminiſtrat, vt pecuniæ communicatione liberalem ſeſe præbeat erga egenos, & corporis miniſterium præſtet infirmis, omnes denique facultates reliquas non magis ſuas quàm inopis cuiuſque eſſe putet. Qui verò ita animo non eſt affectus, miſer potius quàm imitatione dignus cenſeatur, quòd plures ei ſuppetant ad malitiam occaſiones. Inde fit, vt multis copia apparatus & negociationis exitio ſit. Si etenim diuitiæ ad iniuſticiam ſunt viaticum, vtique miſer eſt qui diuitijs abundat. Si verò adminiſtræ ſunt virtutis, iam nihil loci relictum eſt inuidiæ,

Occupatio.

Solutio a metu diuini iudicii.

Expolitio de vſu bonorum.

Anthitheſis.

diæ, cum communis inde ad omnes redundet vtilitas. Niſi fortè quis adeò à vero auerſus eſt, vt ſibi ipſi bona inuideat. Deniq; ſi omnes res humanas animo celſo deſpexeris, & ad ea, quæ verè bona ſunt, & laude digna, mentem & cogitationem conuerteris, multum vtiq; videbis ab his corruptibilibus & terrenis bonis beatitudinem & felicitatem abeſſe. Hoc animo qui affectus eſt, vt nihil in mundo tanquam magnum admiretur, ad eum ne aſpirare quidem inuidia poteſt. Sin verò omnino te gloriæ cupiditas ſtimulat, cæteroſq; dignitate anteire cupis, nec vlli eſſe ſecundus (poteſt enim & hæc inuidiæ eſſe occaſio) tu econtrario omnem animi cupiditatem tanquam fluxum aliquem ad parandam virtutem transfer, neque opibus quouis modo corradendis inhia, neque ex mundanis rebus gloriam aliquam quære. Hæc enim propria bona non ſunt, Sed iuſtus ſis, temperans & prudens, fortis, & in perferendis ob pietatem ærumnis patiens. Ita enim te ipſum ſeruabis, & ex rebus maioribus maiorem tibi gloriam parabis Virtus etenim noſtrum bonum eſt, & ſtudio noſtro acquiri poteſt: at pecuniæ affluentia, forma corporis, & dignitatū amplitudo, externa ſunt bona. Cùm itaq; conſtet, virtutem præſtantius & durabilius eſſe bonum, maioremq; venerationē

Cõcluſio primi remedii inuidiæ.

Aliud remedium ex virtutis cultu.

Bonorum animi & fortunæ collatio.

Digitized by Google

citra controuerſiam apud omnes mereri, vnicè eam colere debemus. Cæterùm radices in animo agere, niſi is prius ab affectibus cæteris, tum vel in primis ab inuidia ſit repurgatus, haudquaquam poteſt. Simulatio quàm atrox malum ſit, cernis? Et hæc ipſa tamen non aliunde quàm ex inuidia naſcitur. Nam inſidioſa animi occultatio, ex inuidia maximè in hominibus procreatur, cum videlicet odium in animo conceptum occulunt, & fucatis verbis amorem ſimulant: perinde vt ſcopuli in mari latentes, qui modica tecti aqua improuiſum malum incautis nauigantibus exiſtunt. Cum itaq; ex inuidia tanquam ex fonte in nos promanet mors, bonorum priuatio, alienatio à Deo, legum confuſio, & omnium in vita bonorum euerſio: obtemperemus Apoſtolo monenti, ne ſimus vanæ gloriæ cupidi, nec mutuò nos prouocemus, aut alter alteri inuideat: ſed ſimus potius benigni, miſericordes, condonantes nobis inuicem, quemadmodum & Deus condonauit nobis in Chriſto IESV Domino noſtro: cum quo ſit gloria Patri vnà cum Spiritu ſancto, in ſecula ſeculorum, Amen.

Simulatio ſoboles inuidiæ.

Peroratio, quæ conſtat repetitione malorum inuidiæ, & admonitione de vitanda illa.

ARGV-

ARGVMENTVM ORAtionis.

DEhortatur hæc oratio à teterrimo & pernicioſiſsimo uitio inuidiæ, quæ uelut lues plerorũq; hominum animos inuadit, & fœcunda malorum nocentiſsimorum mater eſt in mundo. Loci præcipui ſunt, Cauſa & Effectus: quibus adduntur alij, de obiecto, de ſignis, & adiacentibus. Cauſa efficiens, ſiue fons & author inuidiæ, diabolus eſt: qui non ſolum per inuidiam lapſus ſeſe à Deo auertit, & ex angelo lucis factus eſt ſpiritus immundus cathenis tenebrarum uinctus: ſed illud ipſum uirus homini etiam adflauit, ut & ipſe Deo creatori & benefactori ſuo ingrata faceret, & æternum exitium ſibi accerſeret. Cauſa materialis, ſeu materia circa quam uerſatur inuidia, ſunt omnia dona quibus Deus homines cumulat & ornat: cuiuſmodi ſunt, bona ualetudo, potentia, gloria, eruditio, ſapientia, eloquentia, & cætera bona animi, corporis & fortunæ. His enim mouetur inuidus, ut æmulationis flammas concipiat, & odio habeat eum, cui hæc bon aſuppetunt. Repit enim ad habentem inuidia, ut Sophocles ait. Effectus multi & atroces ſunt, qui partim aptiſsimis epithetis, partim exemplis & ſimilitudinibus illuſtribus exponuntur. Signa inuidentiæ ſiue liuoris ex uultu et moribus eluceſcunt, & deprehenduntur. προσκείμενα ſiue adiacentia inuidi ſunt, ἐπιχαιρεκακία, id eſt, læticia ex aliorum concepta calamitatibus: & Hypocriſis, id

eſt, ſtudium ſimulandi & peruertendi omnia, fuco quodã et inſidioſa occultatione, calumnijs et ſycophantia. Vt autem ars medica non φυσιολογικὴν tantũ profitetur, ſed θεραπευτικὴν etiã, καὶ προφυλακτικὴν adiungit: ita non deſcribit ſolum hæc Oratio magnitudinem huius uitij, monſtrata cauſa & expoſitis effectibus: ſed ſimul remedia etiam proponit, quibus occurrere huic malo, & mederi poßimus. Sunt autem remedia efficacißima hæc. Primùm, deſpicere mundi bona: hoc eſt, non nimium amare illa, ſed conferre ad utilitatem aliorum. Qui enim hoc facit, inuidiam omnem auertit. Secundum remediũ ex uirtutis cultu eſt capiendum. Eſt autem inuidia uitium oppoſitum candori, in quinto præcepto Decalogi. Vt enim candor eſt uirtus, quæ ex animo & conſtanter uult bonis eſſe benè, & proſperis eorum rebus lætatur: ita inuidia uitium eſt naturæ, quo inicitantur homines, ut doleant bonis eſſe benè, & omnes uias intercludendi & obſcurandi eorum ſucceſſus & dotes perſequantur.

SCHOLIA.

Καὶ ὥσπερ ἕπεται: Vt autem.) Boni & mali proprietates hæ ſunt. Bonum eſt congregatiuum, & communicatiuum ſui. A bono itaq; tanquam ex ſacro auguſtoq; fonte, bona promanant. Malum uerò eſt dißipatiuũ, & deſtructiuum. Hinc malus ſua natura dißipat & peruertit bona omnia, quantum poteſt: et inuidia eſt dißipatrix et deſtructrix omnis boni, quod uidet ineſſe alijs.

ὃς ἐλάχιστα λυπῶν: Hæc enim vt.) Inuidia tanquam

tanquam uenenum inuidos excedit: in quo uno iuſtiſſima eſt, cæteris in rebus iniquißima. Iſocrates in *Euagora*: τῷ φθόνῳ τοῦτο μόνον πρόσεστιν ἀγαθὸν, ὅτι μέγιστον κακὸν τοῖς ἔχουσίν ἐστι: Hoc eſt *unicum inuidiæ bonum, quòd maximum ſit malum ipſis inuidis.*

Μᾶλλον δὲ ὥσπερ: Ac quid.) De *uiperis tradunt, quòd in coitu, dum mas ſemen in os femellæ proijcit, ipſa inſertum ori ſuo maris caput præcîdat. Hāc parentis necem poſtea maturi ulciſcuntur fœtus, & corroſis exeſiſq; uteri materni lateribus ui erumpunt, matre extincta: authore* Nicandro. *Vnde olim parricidæ ita puniti ſunt, ut inſuti in culeum bubulum cum cane, gallinaceo, uipera & ſimia, in flumen deijcerentur.* Cicero pro S. Roſcio.

καὶ τὸ χαλεπὸν: Et quod.) *Solatij pars eſt, arcanas reuelare curas, eaſq; querelis & lachrymis ſignificare, & uelut in ſinu amici deponere. Eo ergo acerbius eſt inuidiæ malum, quòd ex corde nunquam diſcedat: ſed inſideat penitùs, mordeatq; dies & noctes ſine ſpe omni liberationis. Inde rectè in Verſu dicitur:*

Inuidia Siculi non inuenêre tyranni
Tormentum maius. — Et *Socrates dixit, Inuidiam eſſe ulcus animæ.*

Ἀλλὰ μίαν ἀναμένει: Sed vnicum hoc.) *Simile nutritur ſuo ſimili, ut uerißimè dixit* Eurip. πᾶν σώτροφον γλυκύ. *Ideoq; inuidis nihil poteſt eſſe iucundum, niſi quod alteri eſt incommodum. Quemadmo-*

admodum econtrariò, felicitas proximi, interitus eſt inuidi: ſicut in uerſu Flacci dicitur,

Inuidus alterius marceſcit rebus opimis.

συμπαθὴς: Animi cõmiſeratione.) συμπαθὴς, ſocius ægritudinis. Talis eſt filius Dei caput Eccleſiæ, ex qua humanam naturam aſſumſit. Vt igitur dolor cuiuſq; membri, naturali conſenſu afficit caput: ita filius Dei uerè afficitur noſtra ægritudine, eiuſq; ſocius eſt. Hac συμπαθείᾳ quid dulcius cogitari poteſt? Contrà, inuidus diabolus, & liuidæ eius ſquamæ non ſunt συμπαθεῖς, ſed κακοχάρτοικαι, καὶ ἐπιχαιρέκακοι, dolorem & ægritudinem noſtram quantum poſſunt exaſperare & cumulare ſtudent.

τί τὸν ἀρχέκακον Quid eſt aliud quod.) ἀρχέκακος, architectus & machinator mali: ut Cicero pro Roſcio. De cauſa lapſus diaboli diſputant doctores. Bernhardus putat, inuidentia eum eſſe lapſum: quòd ægrè tulerit, humanã naturam, quam à filio Dei aſſumendam eſſe cernebat, ſibi anteferri. Cui ſententiæ adſtipulari hîc uidetur Baſilius, cum propter beneficentiam Dei erga gentem humanam, inquit, diabolum Deo indignari, & aduerſari. Hinc θεόμαχος factus eſt diabolus, & exarſit immani & parricidiali odio generis humani, cum quo bellum ἄσπονδον gerit. Tales θεόμαχοι ſunt quoq; omnes inuidi: quod quàm triſte & horribile ſit, expendat Lector.

ταῦτα ποιῶν καὶ ὁ κάϊν: Eadem etiã feciſſe.) Similes ſunt conatus diaboli, & inuidorum eius diſcipulorum. Vt enim diabolus homini ſua bona, quibus à Deo

Digitized by Google

à Deo *ornatus eſt, & adhuc donatur propter* Chriſtum, *inuidet: ita liuidi, propter præſtantiam donorum oderunt alios, & ne emergant, omnibus modis obſtant.*

αὐτόχειρ: Sunt enim vicina.) φθόνος τίκτει φόνον, *Inuidia parit cædem.* Chryſoſt. Rom. 1.

τὰς τοῦ ἀνδρὸς εὐποιΐας: Vtiq; benefacta.) Cicero pro Balbo: *Eſt huius ſeculi labes quædam & macula inuidere uirtuti. Eſtq́; hoc inuidiæ proprium, bonos non modò inſectari, ſed benefacta etiam malefactis ſemper rependere. Sicut* Darius Danieli *anguinã mercedem pro optima uoluntate, & pro maximis de toto regno meritis rependit:* Daniel. 6.

Noti ſunt uerſus Stigelij:

Obuia res odijs, quanquam liberrima, Virtus:
Et benè qui meruit, præmia rarus habet.
Inuidia premitur, quem nulla infamia taxat:
Et cui iura fauent, vis inimica nocet.

τοῦ μὲν τὴν ἀρετὴν Virtutem quidem.) *Notæ, quibus dignoſcitur, utrum iure quis inuidia prematur, aut iniuria, cum ex actionibus, tum ex fine eluceſcunt. Actiones enim uirtutem à uitio diſcernũt. Si quis igitur in uero* Dei *timore & inuocatione, ſuæ uocationis officia fideliter facit, uitatq́; ſtudioſè omnia oſtentationis ueſtigia, immeritò premitur inuidia, quamuis multorum obnoxius odio. Deinde finis ſeu euentus oſtendit quoq; diſcrimen. Nam uirtutis decus per inuidiam fit lucidius: inuidus uerò prodita malitia*

litia confunditur, & diſcedit, ſicut feles relicto poſt ſe fœdo odore. Hinc uenuſtè Stigelius cecinit:

Paſcere liuor iners odio, ſaturare furore,
Mors tua rectè Deum facta colentis erunt.

Hippias duplicem eſſe inuidiam dixit: iuſtam quidem, cum quis inuidet improbis honoratis: iniuſtam uerò, cùm bonis. Stobæus. Exemplum illuſtre eſt in Abele & Caino.

οὐχ' ὁ φθόνος τῶν ἀδελφῶν: Fratrum inuidia.) Filij Iacob propter tres cauſas infeſti fuerunt fratri ſuo Ioſepho. I, Quòd proderet patri fratrum ſcelera. II, Quòd impenſius à patre diligeretur. III, Propter φιλαρχίαν, id eſt, dominandi cupiditatem ſomnijs indicatam. Geneſis 37.

καίτοι εἰ μὲν ἀληθῆ Atq; ſi certè.) Argumentum Baſilij de ſomnijs Hypotheticum: Si certus eſt ſomniorũ euentus, modo nullo quod prædicunt, auerti poteſt: Sin fallunt, non ſunt metuenda. Loquitur autẽ non de ſomnijs phyſicis, præſagientibus, aut diabolicis: ſed diuinis, θεοπέμπτοις, hoc eſt, quæ Deus per ſe, uel per angelos inſerit, & habent teſtimonia diuinitùs addita, ut mentes ſciant ea non caſu obijci, aut ex natura naſci, ſed diuinitùs offerri. Tale eſt ſomnium Iacob, Danielis, &c. Atq; hæc ſomnia omnia ſunt σημαντικὰ, & aut expreſſè planeq; de futuris euentibus monent, & uocantur θεωρηματικὰ: aut figuratè aliquid indicant, & nominantur ἀλληγορικὰ.

εἰ γὰρ μὴ ἐπράχθη: Niſi enim eſſet.) κλίμαξ

Rheto-

Rhetorica gradatio, in qua connexis cauſis & effectis oſtendit, quantum profuerit Ioſepho *fratrum æmulatio, in Ægyptum uenditio, exilium, ſeruitus, continentia, & carcer. Eſt autem mirabilis copulatio et temperamentum ærumnarum, & liberationum: quæ quamuis toto cœlo diſsidere uideantur, nec humanæ mentis acie intelligi poſsint, tamen ad unum finem regulariter tendunt, & cooperantur, uidelicet ad bonum, ut aſſeuerat* Paulus. *Quare remotis arbitris id nobis perſuadeamus, atq; adeò exploratum omnino ducamus, nos faciem* Dei *in hac corrupta natura, hoc eſt conſilia in gubernatione* Eccleſiæ *& ſanctorum cernere non poſſe: ſed tamen uidere poſteriora, hoc eſt, ex euentu utcunq; ratiocinari poſſe, cur* Deus *hoc uel illo modo nos regere uoluerit. Verè enim dicitur,* ἐκ τοῦ τέλους γίνεται δῆλος τῆς θείας οἰκονομίας ὁ σκοπός: *Ex euentu patet, quæ diuinæ diſpenſationis fuerit intentio. Ita* Ioſeph, *& pater eius* Iacob, *ex euentu deprehenderunt conſilium* Dei, *de uenditione in Ægyptum: ut uidelicet religio uera in Ægypto propagaretur, & in magna fame ſancta familia & reliquiæ* Eccleſiæ Dei *conſeruarentur.*

ὃς ἐκ τῆς ἰουδαίων μανίας: Qui ex Iudæorũ furore) *O inuidia crudelis, & æterna morte luenda, creaturæ aduerſus creatorem, &c.*

σοφὸς ἄρα ἦν: Sapiens ſanè erat.) *Conuictus multum ualet in utramq; partem. Nam uerum eſt uerbum* Græcorum, κακὸν κακῷ συντέτηκε, *malum malo computreſcit & colliqueſcit,* Prouerb. 23.

Non

Non comedas cum inuido panem, neq; concupiſcas cibos eius.

οὐχὶ τῷ αἰγυπτίῳ βασκαίνει: Non Agyptio inuidet.) *Inuidia ſolet oriri aduerſus uicina & cognata.* Nam *defunctis, aut diuerſi generis hominibus, longoúe interuallo diſtantibus, nemo inuidet.* Vnde Ariſt. 2. *Rhetoricorum citat hunc uerſiculum:* τὸ συγγενὲς γὰρ καὶ φθονεῖν ἐπίσαται: *Etenim inuidere nouit ipſa affinitas.* Eraſ. *in* Prouerbio, Cognatio *mouet inuidiam.*

καὶ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν: Et aſpectu ſolo.) Per *aſpectum maleficum, aut laudationem peſtiferam, cenſent nonnulli infantes pueros & pecudes lædi, ut colliqueſcant & marceſcant.* Idq; *uocant faſcinare, ut eſt in uerſu* Virgil.

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos. Sed *quæſtio eſt digna conſideratione, an tanta uis, uel (ut* Baſilij *utar uerbo) talis fluxus ex inuidorum oculis ſiue aſpectu maligno transfundi in alios poßit, ut inde tabeſcant, & miſerè crucientur?* Reſpondet Baſilius, *ſtultam & anilem hanc eſſe fabulam. &* Hieronymus *inquit:* Hoc *utram ſit, nec'ne,* Deus *uiderit.* Addit *tamen* Baſilius, *conſentaneum eſſe, diabolum immiſcere ſe inuidorum impuris ſpiritibus, & per eos tanquam per organa nocere innocentibus.* Horribile *autem eſt, inuidos præbere ſe adminiſtros diabolorum, tantumq; inter eos & diabolos commercium eſſe atq; cognationẽ, ut mutuas quaſi operas tradãt.* Per*mittit* Deus *interdum* Diabolum *graſſari ſuo more:*

ſed

ſed ita tamen, ut definitos terminos non tranſgrediatur.

ὥσπερ δὲ οἱ γῦπες : quemadwodum autem vultures.) *Tanta ſagacitas ineſt uulturibus, ut biduo aut triduo antè uolitent ad loca cadaueroſa, quaſi præſentientes & odorantes ibi futura eſſe cadauera.*

Καὶ ἐκ τῆς γείτονος κακίας : & ex vicino vitio.)

> *Et mala ſunt vicina bonis : errore ſub illo*
> *Pro vitio virtus crimina ſæpe tulit.*

εἰ πρῶτον μὲν μηδὲν μέγα : ſi primum nihil magnum.) *Nihil magnum eſt, quod tam anguſtis finibus circumſcriptum continetur : nihil amore hominis ad immortalitatem conditi dignum, quod caducum eſt, & inſtabile. Sunt autem omnia bona mundana, anguſtis ſpacijs incluſa, & momentanea, ſicut* Baſilius *in enarratione* Pſalmi 62. *inquit :* ῥευστὴ ἡ φύσις τοῦ πλούτου, χειμάῤῥου ὀξύτερον τοὺς ἔχοντας παρατρέχει, ἄλλοτε ἄλλον πέφυκε παραμείβεσθαι : Fuit *opulentia, & torrentis inſtar præterlabitur, & ſubinde dominum mutat.* Non *itaq; amare hæc mundana bona debemus : ſed potius animum & mentem ad cœleſte noſtrum* πολίτευμα *referre, ubi in una ciuitate in æterna conſuetudine manſuri ſumus apud* Deum, *quem ſine fine uidebimus, ſine faſtidio amabimus, ſine fatigatione laudabimus : ut* Auguſtini *utar uerbis, quæ extant lib. 22. de ciuitate* Dei, *cap. ultimo.* Hæc *bona nobis ſunt expetenda, ita ut cæte-*

ut cætera præ his tanquam σκύβαλα, *hoc eſt, excrementa ſeu reiectamenta deſpiciamus, & longè infrà nos ponamus.*

ὄργανα γὰρ ἐστὶ ταῦτα : inſtrumenta enim hæc ſunt.) *Bona ideo à Deo nobis offeruntur, ut ſint inſtrumenta, hoc eſt media, per quæ Deo & proximo inſeruiamus. Cui igitur maiora dona munere & conceſſu Dei ſunt tributa, is ſciat ſe nihil differre ab alijs, niſi quòd plures & maiores habeat occaſiones inſeruiendi.*

πάλιν φρονήσει τὶς διαφέρει : Rurſum intelligentia quis excellit.) *Quo maiora commoda ex re quapiam proficiſcuntur, eo magis eſt inuidiæ obnoxia : ſicut in uerſibus Eobani dicitur.*

Infelix, quem nemo odit : pulcherrima virtus
Inuidiæ ſtimulis vulnera ſemper habet.

Ita cum nihil pulchrius & diuinius, quodq́; maiores adferat Eccleſiæ utilitates, in rebus humanis inueniatur, quàm intelligentia Scripturæ ſanctæ, & docendi donum : præ cæteris etiam impenſius doctores uerbi Dei odio habentur, & inuidia premuntur. Vocaturq́; hoc uitium propriè æmulatio, quæ ferre non poteſt, alios excellere : ideoq́; premere eos quouis modo conatur. Sunt autem duæ grauiſſimæ cauſæ, quæ mouere nos debent, ne inuideamus alijs donum intelligendi atq́; docendi. Prior eſt, quia donum illud eſt Dei, quod agnoſcere debemus, & uenerari meritò. Altera eſt, noſtra ipſorum utilitas. Nam intelligens & ſalutaris doctor commune bonum eſt, Eccleſiæ,

per

per quem Deus communicat nobis cœleſtia bona. Vt autem nocentiſsimum eſt hoc uitium, ita inter doctos longè eſt uſitatiſsimum. Nec caſu excidit Baſilio hæc commonefactio: ſed uſu edoctus comperit, uix ullum eſſe donis egregiè præ cæteris ornatum, quin plurimos, & quidem intimos habeat æmulos & inuidos. Exempla nuſquam non occurrunt in hiſtoria ſacra & ethnica.

εἰ μὲν γὰρ ἐφόδιον: ſi enim viaticum.) Dilemma: Aut conferũtur diuitiæ ad abuſum, et miſeri ſunt qui eas poßident: aut ad communem uſum egentium conuertuntur, & qui eas tenet, bonus eſt, & inuidia haudquaquam dignus. Ergo nemini propter diuitias inuidendum eſt.

ἐκπεπληγμένῳ τοῖς κοσμικοῖς: perculſo mundanis.) Bona mundana fucato ſuo ſplendore præſtringunt & percellunt animos hominum, ut ea admirentur, magnifaciant & colant. Sunt igitur opes uelut fulmen & tonitru, quo feriuntur hominum corda, & capiuntur. Contra tantum fulmen munienda ſunt pectora ſedulò.

ἢν ἐγγενέσθαι: quam ingenerari.) Virtus adhæreſcere animo non poteſt, niſi prius à uitio inuidiæ purgetur: quia non poſſunt in una ſede morari, Virtus & inuidia.

τὸ γὰρ διπλοῦν τοῦ ἤθους: Duplicitas enim morum.) Veritas ſimplex eſt, ut inquit Euripides; ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ: Simplex eſt ſermo ueritatis. Sic candor eſt uirtus, quæ ſimpliciter ſine

ſine omni ſimulatione & fucis, quid animi habeat, præſefert, & uitat omnes ſuſpiciones: eo deniq; ingenio eſt, ut amicitiam atque inimicitiam in fronte promptam gerat. Contrà *inuidia, item ſimulatio, & occultatio,* διπλότης, *hoc eſt, duplicitas quædam eſt, quæ aliud ſentit, & aliud dicit uel agit.* Contra *hoc uitium altè infigenda eſt pectoribus aurea* Euripidis *ſententia, quæ in* Rheſo *extat:* φιλῶ λέγειν τἀληθὲς ἀεὶ, κοὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ: *Veritatem amo ſemper, nec ſum uir duplex.*

ὅταν τὸ μῖσος ἐν τῷ βάθει: Cum odiū intra præcordia conceptum.) ἐσθλ' ἀγορεύοντες, κακὰ δὲ φρεσὶ βυσσοδομεῦντες: Ore *benigna coquentes, pectore praua ſtruentes.*

ἐι τοίνυν καὶ θάνατος: ſi igitur & mors.) *Ad inuidiam rectiſsimè congruere uidetur deſcriptio* Alectûs *luctificæ apud* Virgilium Aeneid.7.

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odijs verſare domos: tu verbera tectis,
Funereſque inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes, &c.

FINIS.

DIVI

Digitized by Google

DIVI BASILII MAgni Concio de Humilitate.

VTinam homo in gloria apud Deũ perſtitiſſet, & haberet excellentiam non fictam, ſed veram, exaltatus virtute, illuſtratus diuina ſapiẽtia, & vitæ bonorumq́ꝫ æternorum perfuſus lætitia. Poſteaquam verò diuinæ gloriæ deſiderium poſthabuit, & ad maiora quàm aſſequi poſſet ſpectans & properans, id quòd tenere poterat, amiſit: maximum ſalutis præſidium & ad morbum ſuum ſanandum, & ad recuperanda bona priſtina, ei in humilitate eſt ſitum: vt non propriam aliquam gloriam ſibi fingat, ſed à Deo eam petat. Ita enim erratum ſuum corriget, ita morbo medicinam inueniet, ita ad ſacrum, quod tranſgreſſus eſt, mandatum redibit. Verùm qui è ſtatu ſuo hominem ſpe falſæ gloriæ excuſsit diabolus, non deſiſtit ijſdem illecebris, mille excogitatis ad id artibus, prouocare. Magnam etenim illi monſtrat pecuniæ copiam, vt per eam animus eius efferatur, & ſtudium ſuum in illa conſumat. Sed hoc non ducit ad gloriam, ſed ad magnum periculum. Nam opum affluentia, auariciæ occaſio eſt: & ad veram gloriam nihil conducit, ſed potius ſine cauſa excæcat, fruſtra extollit, & af-

Votũ ardens et veris gemitibus ſubinde repetendum, de natiua hominis integritate.

Antitheſis ex cauſa amiſſæ integritatis & recuperandæ ſalutis ratione.

Aduerſatiua de impedimentis recuperandæ ſalutis & gloriæ, quæ obiiciuntur a diabolo.

I. Pecuniæ copia, quæ parit auaritiam et ſuperbiam.

Digitized by Google

fectum in animo inſtar inflammationis cuiuſdā gignit. Vt enim inflammatorum corporum tumor neq; ſanus eſt, neq; vtilis, ſed morboſus et noxius, periculi initium, & mortis occaſio: ita & in animo ſuperbia. Neq; verò ob pecuniam tantùm efferuntur homines: neq; etiam ob victus ſolum & amictus ſplendorem, quem pecunia affert, ſuperbiunt, dum precioſas & delicatas ex affluentia apponunt menſas, veſtibus ſeſe induunt ſuperuacaneis, domos magnas conſtruunt, & pulchrè exornant, ſeruorum ſequentium multitudine & aſſentatorum innumerabili caterua ſtipati ſunt: verum etiam, quæ per ſuffragia decernuntur, dignitatib. ſupra modum extolluntur, ſi populus honorem tribuit, ſi qua præeminentia dignum cenſet, & excellentiæ decus aſsignat. Hic profectò velut ſupra humanam ſortem euecti, tantùm non in nubibus ſe collocatos putant, pro pedum ſcabello ſubiectos ſibi homines ducentes. Immò contra eos etiam à quibus ornati ſunt, honoribus inflantur: & per quos vt aliquid eſſent profecerūt, aduerſus illos ſuperbiunt. *a* Res ſanè dementiæ plena, & gloria quam aucupantur ſomnio fugacior, ſplendorq; quem ſibi circundant, nocturnis ſpectris vanior, ex populi nimirum nutu applauſuq; conflatus. *b* Talis fuit demens ille Salamonis filius, qui iuuenis ætate, & prudentia nulla præditus, cùm populo quærenti mitius imperium, acerbius eſſet minitatus, per eam

Similitudo ex arte medica.

II. Dignitas & honores ſuperbiæ fomites.

Amplificatio ex adiuncto ſuperbiæ, quod contra eos etiam inſurgat, a quibus adiuta eſt.

a Epiphonema exaggerans vanitatem ſuperbiæ.

b Exemplū Rehabeam.

Digitized by Google

per eam comminationem regnum amiſit: & per quam ſperabat ſe regem magis conſpicuum fore, per eam ſua quam habebat excidit dignitate. Excitat etiam ſuperbiam in hominibus, manuum vis, & pedum celeritas, atq; adeò corporis venuſtas, quæ morborum alimenta ſunt ſuperuacanea. Nec hi ſentiunt, omnem carnem gramen eſſe, & vniuerſam gloriam hominis tanquam florem graminis: exaruit gramen, & flos decidit. Hæc eſt Gigantum propria de viribus ſuis iactantia: talis eſt ſtulti Goliath aduerſus Deum ſuperbia, talis eſt Adoniæ ob pulchritudinem arrogantia, talis quoque eſt Abſolonis propter comæ magnitudinem inſolentia. Porrò neque ea quæ inter omnia humana bona videntur mihi maxima & ſtabiliſsima, videlicet ſapientia, & prudentia, iuſtam ſuperbiæ cauſam continent: ſed ſublimitatem falſam pariunt, dum pro nihilo ducere iſta oporteat, ſi abſit ea quæ à Deo eſt ſapientia. Non enim ſucceſsit ipſi diabolo callidum illud aduerſus hominem conſilium, neque intellexit ſibi ipſi exitio fore quod in hominis perniciem meditatus fuerat. Non enim tantam cladem illi attulit, quem ſperauerat ſe à Deo auulſurum, & vita æterna eſſe ſpoliaturum: quantam ſibi ipſi attulit, dum à Deo defecit, & morte condemnatus

III. Cauſa ſuperbiæ, manuum & pedum agilitas.

Exemplum.

Goliath.

Adoniæ.

Abſolonis.

III. Sapientiæ & prudentiæ abuſus.

Exemplum diaboli de immani ſapientia ſiue ſophiſtica.

eſt æterna. Tum laqueo quo Dominum irretire volebat, ipſemet captus eſt, crucifixus in eo ligno quo ſe illum crucifixurum exiſtimauerat: mortuus deniq; eo mortis genere, quo Dominum è medio tollere cogitauerat. Cum ergo princeps mundi primus, maximus & inuiſibilis mundanæ ſapientiæ magiſter, ſuis ipſius captus ſit præſtigijs, ad extremã delapſus dementiam: quanto magis illius diſcipuli & ſectatores, quamuis mille excogitent artes, exiſtimantes ſe ſapientes eſſe, ſtulti ſunt facti? Callidè machinatur interitum Iſraelitis Pharao: parum interim cogitans, ſibi imposturam ſuam maximè fraudi fore. Nam expoſitus ſecundum mandatum eius infans Moyſes ad mortem, præter omnem eius opinionem in domo regia enutritur, & potentiam eius atque adeò totius gentis Aegyptiæ euertit, ac populum Iſrael ad ſalutem educit. Quid dicam de Abimelech homicida? Spurius is erat Gedeonis, & ſeptuaginta filios legitimos occidebat, exiſtimans ſe ſapiens inueniſſe conſilium, quò regnum firmiter obtinere poſſet. Sed quid proficit? Conterit quidem eos qui ſocij cædis fuerant: ſed conteritur tandem ab ipſis, & perit manu mulieris, & ictu lapidis. Iudæi vnanimi conſenſu conſpirarant aduerſus Dominum, ſed ſibi ipſis pernicioſum hoc dant conſilium: Si dimiſerimus hunc ita, omnes credent in eum: & venient Romani, ac tollent

Exemplum Pharaonis.

Abimelech, Iud. xix.

Iudæi.

Digitized by Google

lent noſtrum locũ & gentem. Hoc inducti conſilio, ad occidendum Chriſtum accinguntur, ſeruaturi & gentem ſuam, & locum: ſed perdiderunt potius per ſua conſilia, & ex terra ſua excuſsi ſunt, legesq́ & cultum amiſerunt. Deniq́ ex mille amplius exemplis cognoſcere licet, quàm debilis ſit humanæ ſapientiæ præſtantia: quodq́ exilis potius ſit & humi ſtrata, quàm ampla & ardua. Quocirca nemo qui verè ſapit de ſua ſapientia magnificè ſentiet, neq́ in alijs quæ dicta ſunt gloriabitur: ſed obtemperabit optimæ admonitioni beatæ Annæ, & prophetæ Ieremiæ: Ne glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neq́ glorietur fortis in fortitudine ſua, neq́ glorietur diues in diuitijs ſuis. Quæ autem eſt vera gloriatio, & in quo magnus eſt homo? In hoc (inquit) glorietur, qui gloriatur, quod me intelligat & agnoſcat eſſe Deum. Hæc eſt hominis celſitudo, hæc gloria & maieſtas, verè cognoſcere magnum, eiq́ adhærere, & diuinam gloriã expetere. Inquit enim Apoſtolus: Qui gloriatur, in Domino glorietur: & addit, Chriſtum vobis factum eſſe à Deo ſapientiam, iuſticiam, ſanctificationem & redemtionem: vt quemadmodum ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc enim eſt demum perfecta & abſoluta gloriatio in Deo, cum non propter iuſticiam propriam aliquis ſeſe extollit: ſed agnoſcit ſe veſtræ iuſticiæ expertem eſſe, iuſtificari ve-

Epilogus per antitheſin colligens noſtrã gloriam nullã eſſe, ſed in Deo quærere oportere.

Vera gloria.

Perfecta gloriatio.

Teſtimoniũ Pauli Philip. iii.

rò ſola fide in Chriſtum. Ita gloriatur Paulus in eo, quòd ſuam deſpiciens iuſticiam, quærat eam quæ per Chriſtum eſt iuſticia à Deo in fide, vt cognoſcat ipſum, & potentiam reſurrectionis eius, & communionem afflictionum eius, dum cõformis fiat morti eius, ſi quomodo pertingat ad reſurrectionem mortuorum. Hic præciſa eſt omnis ſuperbiæ ſublimitas: nihil tibi relictum eſt, ô homo, quo ſuperbias: vtpote cuius omnis gloriatio & ſpes in eo ſita eſt, vt mortifices omnia quæ in te ſunt, & quæras futuram vitam in Chriſto: cuius primitias cum nunc habeamus, in his viuimus, pendentes toti à gratia & dono Dei. Nam Deus eſt qui efficit in nobis, vt velimus, & vt perficiamus, quò ipſi grata fiant. Deus autem ſapientiam ſuam præfinitam ad gloriam noſtram patefacit per proprium Spiritum, datq; in laboribus virtutem. Copioſius omnibus laboraui, inquit Paulus: non autem ego, ſed gratia Dei quæ eſt in me. Liberat autem Deus ex periculis, præter omnẽ humanam ſpẽ. Quin ipſi, inquit Paulus, in vobis ipſis ſententiã mortis acceperamus, ne confideremus in nobis ipſis, ſed in Deo, excitãte mortuos: qui ex tanta morte eripuit nos, & eripit: in quem ſperamus, quòd etiam poſthac erepturus ſit. Cur igitur, quæſo, extollis teipſum tanquam ob propria bona, cum potius ob dona gratias agere debeas ei qui dedit? Quid .n. habes

Ab abſurdo & iniuſto.

habes quod non acceperis? Quod ſi etiam acceperiſti, quid gloriaris quaſi non accepiſſes? Non tu ſanè Deum cognouiſti per iuſticiã, ſed cognouit te Deus propter ſuam benignitatẽ. Vnde inquit Apoſtolus: Qui cognouiſtis Deum, immò cogniti potius eſtis à Deo. Non tu Chriſtũ apprehendiſti per virtutẽ, ſed apprehendit te Chriſtus per ſuam præſentiam. Sequor, inquit, ſi etiam apprehendam, in quo apprehenſus ſum à Chriſto. Non vos me elegiſtis, inquit Dominus: ſed ego elegi vos. Porrò quod honorem conſequutus ſis, fortaſſe ſuperbis, & miſericordiæ prætextu te iactas. Hic te ipſum intuere, qui ſis: conſidera exemplũ Adæ, qui ex paradiſo eiectus eſt. Itẽ Saulis, à quo Spiritus Dei receſsit. Atq; Iſraelis, qui ex radice ſancta exectus eſt. Fide, inquit Apoſtolus, ſtetiſti: ne efferaris animo, ſed time. Gratiam ſequetur iudiciũ, vbi quomodo donis vſus ſis, iudex exquiret. Si vero neq; hoc ipſum intelligis quod gratia tibi contigerit, ſed propria virtute meritum gratiæ ob nimiam ſenſuum ſtupiditatem fingis: cogita, te certè beato apoſtolo Petro præſtantiorem non eſſe. Non enim dilectione erga Deum ſuperare poteris eum, in quo tantum fuit amoris incendium, vt mortem etiam pro eo oppetere paratum ſe oſtenderet. Verùm tamen quia confidentiori animo in hæc verba erupit, Etiamſi omnes in te offenſi fuerint, ego tamen

Expolitio.

Occupatio de donis.

Confutatio ex miſera conditione hominis per exempla.

Admonitio Pauli.

A futuro iudicio.

Exemplum Petri.

nunquam offendat:ſubiectus eſt humanæ fragilitati, & ita cecidit, vt Chriſtum etiã abnegaret: vt nimirum lapſu reuocaretur ad modeſtiam, & diſceret parcere infirmis. tum, vt ſuam etiam imbecillitatem agnoſceret: & liquidò deprehenderet, quòd quemadmodũ in mari, cũ iam mergeretur, dextra Chriſti erectus fuerat: ita tunc, cum in offenſionis fluctu periclitaretur, periturus per incredulitatem fuiſſet, niſi potentia Chriſti eſſet ſeruatus. Prædixerat enim illi Chriſtus, quod euenturum erat, cùm his verbis eum compellaret: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ſed ego deprecatus ſum pro te, ne deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Ita ergo Petrus ſuæ infirmitatis conuictus, iuſtè opem conſecutus eſt, vt deponeret arrogantiam: & ſuo edoctus exemplo infirmis compateretur. At Phariſæus ille tumidus, & ſupra modum elatus, non ſolum in ſe ipſo confidit: ſed Publicanum etiam coram Deo accuſans, gloriã iuſticiæ propter ſuperbiæ crimen amittit. Ideo deſcendit publicanus iuſtificatus præ illo: quia Deum ſanctum glorificabat, neq; eleuare oculos audebat, ſed miſericordiam tantum implorabat, ſeipſum & geſtu & pectoris percuſſione accuſans: neque etiam aliud quicquam quærebat, niſi miſericordiam. Perpende igitur & declina exẽplum tam grauis iacturæ, propter ſuperbiam.

Phariſæi inflati exemplũ per antitheſin.

Fecit

Fecit enim iuſticiæ iacturam, qui faſtu inflatus erat: perdidit mercedem, qui ſibi confidebat: abiectus eſt infra humilem & peccatorem, qui ſe ſupra ipſum extulerat: nec Dei iudicium expectauerat, ſed ipſe ius dixerat. Caue ergo, ne in quenquam ſuperbiam vſurpes vnquam, ne quidem in manifeſtos peccatores. Liberat enim ſæpe humilitas eũ, qui multa & atrocia peccauit. Ne igitur te ipſum iuſtifices præ aliis, ne fortè tuo iuſtificatus calculo, diuino condemneris decreto. Nõ diiudico me ipſum, inquit Paulus. Etiamſi enim nullius mihi ſum conſcius, non tamen in eo ſum iuſtificatus: qui verò me diiudicat, Dominus eſt. Si putas te in operibus bonis aliquid profeciſſe, gratias age Deo, nec contra proximũ efferaris. Scriptum eſt: Opus ſuum probet vnuſquiſque, & tunc in ſe ſolum gloriam habebit, non ex alio. Quid enim profuiſti proximo, ſi fidem tuam confeſſus es, aut exilium ſuſtinuiſti propter nomen Chriſti, aut ieiunii laboribus te maceraſti? Non alterius certè eſt lucrum, ſed tuum. Caue ne eodem modo, quo diabolus, labaris. Is etenim cum ſeſe ſupra hominem extolleret, infra hominem abiectus eſt. & factus eſt ſcabellum pedum eius, quem ſub pedibus conculcauerat. Similis etiã eſt Iſraelitarum lapſus. Cũ enim ſeſe ſupra gentes tanquam immundas efferrent, verè impuriſsimi ſunt facti, gentes verò contrà ſunt mundanæ: eſtque illorum iuſticia

Admonitio.

Occupatio de operibus, cui opponit gratiam Dei & proprium emolumentum.

Exempla lapſus ex ſuperbia.

facta ſimilis panno menſtruatæ mulieris, gentiſi autem iniquitas & impietas per fidem extincta eſt. Vt in ſumma dicam, memento veracis Pro-

Præceptum humilitatis.

uerbij: Superbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Semper item in conſpectu ſit Domini verbum: Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur: & qui ſeipſum exaltat, humiliabitur. Ne

Remedium contra ſuperbiam eſt ita iudicando de ſe & aliis.

ſis iniquus iudex tui ipſius, neq; ad gratiam iudica, ita vt ſi quid tibi boni ineſſe putas, id veluti in calculo ponas, errata vero voluntaria obliuione conteras: neque ſi quid hodie feciſti boni, propterea te iactes: delictorum vero quæ ante & iam olim perpetraſti, gratiam tibi facias. Quin potius ſi præſens aliquod bonum opus animum tuum effert, reuoca in memoriam vetera, & ſedabis ſtolidum faſtum. Porro ſi proximū peccare videris, non id ſolum quod tunc facit ſpectato, ſed recordare eorum etiam quæ aut fecit, aut nunc etiam facit bona. Ita fiet, vt reperias eum ſæpe te eſſe probiorem. Per-

Exemplum Dei iudicis.

quire omnia, non partem tantum contrectans, Deus enim non ex parte inquirit in hominem, ſicut inquit: Ego venio, vt congregem opera & cogitationes eorum. Cumq; increpaſſet aliquando Ioſaphath, propter peccatum quod in propinquo erat, recordatus eſt ſimul bonorum eius operum inquiens: Sed tamen inuenti ſunt in te boni ſermones. Hæc & alia huiuſmodi ſubinde nobis ipſi proponamus, con-

tra ſu-

Digitized by Google

tra ſuperbiam: vt deijciamus nos ipſos, quo exaltari poſsimus: imitemurq́; Dominum noſtrum, qui ex cœlo deſcendit ad extremam redactus humilitatem, & viciſsim ex humilitate ad debitam ſublimitatem euectus eſt. Nullum enim eſt humilitatis documentum, cuius exemplum in Chriſto non reperiamus. Simulatq; in lucem editus eſt, iacet in ſpelunca: nec quidem in lecto, ſed in præſepi, in domo fabri, & matris pauperis: ſubditus eſt matri, & eius ſponſo: diſcit & audit ea quibus non indigebat, interrogat ſimul, & interrogando ſapientiæ ſuæ admirationem excitat: ſubditus eſt Iohanni, & baptizari ſe ſinit à ſeruo Dominus. nulli aduerſantium reluctatur, neq; ineffabilem potentiam ſuam exerit: ſed tanquam potentioribus cedit, & poteſtati temporariæ robur ſuum ſubmittit. Stat coram pontificibus velut condemnatus, ad præſidem ducitur, & iudicari ſe patitur: cum poſſet redarguere conuiciantes, tacitus omnia crimina perfert: conſpuitur à ſeruis, & vilisſimis mancipijs: morti deſtinatur, & tali quidem morti, qua inter mortales fœdior nulla reperitur. Talem hominem ſeſe præbuit per omnia, à natiuitate vſque ad finem ſuæ conuerſationis. Poſt tantam autem humilitatem, gloriam deinde manifeſtat, glorificans ſecum omnes qui cum ipſo paſsi ſunt ignominiam: inter quos primi ſunt beati Apoſtoli, qui

Exemplum Chriſti humiliati per omnia.

Effectus humilitatis eſt gloria.

Apoſtolorum humilitas.

qui inopes & nudi terrarum orbem peragrant, non in ſapientia ſermonis, non in comitum frequentia: ſed ſoli, vagabundi, & ſpreti terram & maria tranſeunt, flagellantur, lapidantur & perſequutionem patiuntur, tandemq́; è medio tolluntur. Hæc nobis paterna & diuina ſunt documenta: ad horum imitationem nos conuertamus, vt ex humilitate exoriatur nobis gloria æterna, quæ eſt perfectum & verum Chriſti bonum. Quo pacto autem ad hanc ſalutarem humilitatem, depoſito pernicioſo ſuperbiæ tumore, perueniemus? Ita nimirum, ſi per omnia in id incumbemus, vt omnia vitemus, quæ quocunq; modo incommodare nobis poſſunt. Imbuitur enim animus ſtudijs quibus incumbit, adeò vt ad actionum ſimilitudinem effingatur & conformetur. Geſtus, veſtitus, inceſſus, ſeſſus, victus, lectus & domus, itemq́; vniuerſa in domo ſuppellex ad ſimplicitatem comparata ſit, ſimiliter oratio & cantus, item conuerſatio cum proximo tota ad mediocritatem potius quàm ad faſtum ſpectet: abſit ab oratione omnis iactantia & ſophiſtica, à cantu ad molliciem declinante abſtine: neq; diſceptationes ſuperbas & graues vſurpes, ſed in omnibus modum ſerua. Erga amicum ſis benignus, erga famulum mitis: audaces vince patientia, humanum te præbe erga humiles, conſolare afflictos, viſita dolore oppreſſos. Quid multa? Ita te geras, vt neminem deſpi-

Epilogus per exhortationem.

Facultas, hoc eſt, modus parandæ humilitatis, poſita congerie virtutum exercendarum.

Digitized by Google

deſpicias: in compellando ſuauitatem adhibe, in reſpondendo hilaritatem: ſis candidus & facilis omnibus, qui te adeunt. Tuas ipſius laudes ne commemores, neq; vt ab alijs commemorentur ipſe hortator ſis: neq; ſermonem immodeſtum vllum amplectere, ſed tege quantum potes tuam ipſius immoderationem. Ob peccata te ipſum accuſa, nec expecta donec ab alijs arguantur, vt inſtar iuſti iudicis primas accuſandi tui ipſius partes teneas: imiterisq; exemplum Iobi, qui non erubuit coram multitudine populi ciuitatis proprium ſuum erratum exponere. In increpationibus non nimis ſis grauis: neq; celeriter, neq; cum affectu reprehende. nam contumaciæ hoc eſt. Neq; ob rem exiguam condemnes, tanquam rigidus iuris interpres. Qui in peccata lapſi ſunt, eos aſſume, & ſpiritu ſana, quemadmodũ Apoſtolus monet: conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Tantum enitere, ne ex hominibus applauſum captes, quantum alij vt gloriam apud homines habeant, laborant. Siquidem meminiſti præcepti Chriſti, qui aſſeuerat, mercedem apud Deum perdere illum, qui apud homines voluntariam oſtentationẽ quærit, & ideo facit bona, vt ab hominibus conſpiciatur. Habent enim, inquit, mercedem ſuam. Caue igitur, ne dum ab hominibus conſpici vis, diuinæ gloriæ iacturam facias. Nam altiſsimus ſpectator eſt. Ego verò cupidus gloriæ Dei:

Exemplum Iobi.

nam

nam illuſtrẽ reddit mercedem. Dixeris autem: In eminentia conſtitutus ſum, & colunt me homines, atq; celebrant. Heus tu, ita te para, vt ſubditis appareas ſimilis, non illis qui poteſtatẽ habent, atq; mundani principes ſunt. Qui enim vult eſſe primus, hunc ſeruum eſſe omnium hominum Dominus iuſsit. Deniq;, vt in ſumma dicam, ita humilitatem exerce, vt verus amator eius, & ornabit te gloria. Ita recta via ad verã gloriam incedes apud angelos pariter & apud Deum, confitebiturq; te Chriſtus verum diſcipulum coram angelis, & glorificabit te, ſi fueris humilitatis eius imitator, qui dicit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. huic ſit gloria & imperium, in ſecula ſeculorum, Amen.

Occupatio de faſtu ex eminentia. Reſponſio.

Fructus humilitatis.

ARGVMENTVM ORAtionis.

Est Oratio hortatoria ad pulcherrimam et maximè neceſſariam uirtutẽ, quæ Humilitas appellatur. Quia uerò, iuxta præceptũ Ariſtotelis in 3. Rhet. Oppoſita, facta collatione clareſcunt: & tum demum rei cuiuſq; dignitas & utilitas maximè cognoſcitur, cũ omnia quæ ſuadere oppoſitum uideantur, in mediũ afferimus, & diluimus: id præcipuè agit Oratio, ut oppoſitam huic uirtuti ſuperbiam depingat, ut e regione collocatam humilitatem magis commendet. Eſt enim una & eadem doctrina contrariorum, ita ut quo magis

Digitized by Google

magis alterum laudes, eo magis alterum uituperes, & econtrà. Vt igitur ad humilitatem hortatur, quæ uirtus eſt in uero Dei timore propriam infirmitatem agnoſcens: nec ſuperbiens, ſed reuerenter ſeſe Deo ſubijciens, & uoluntati eius obediens: ita ab oppoſito eius uitio dehortatur, nempe à ſuperbia, quæ ſine timore Dei, & propriæ infirmitatis agnitione, ſeſe effert & admiratur, propter potentiam, diuitias, ingenium, & alia dona: & magis confidit ſibi quàm Deo, alioſq; deſpicit, & fremit in cruce tanquam iniuſtè impoſita. Habet autem pleroſq; generis deliberatiui locos, à Cauſa efficiente, materiali, & effectibus. Ab efficiente cauſa, tale argumentum ducit: Diabolus inſtillauit homini ſuperbiam, & impulit ambitione ut à Deo deficeret, dum è uerbo ad proprias & ſplendidas cogitationes primos parentes auertit, inquiens: Non moriemini, ſed eritis ſicut dij. Humilitatis uerò cauſa efficiens eſt Deus, qui per uerbum nobis nuditatem noſtram monſtrat: & ad quærendam amplectendamq; cœleſtem gloriam, quæ per Chriſtum nobis eſt parta, inuitat.

Ex cauſa materiali in qua, ſiue ſubiecto in quo, hæret ſuperbia & humilitas, hoc modo ducuntur argumenta: Nihil habemus quo iactare nos poßimus. hæc. n. bona mundana, ſunt fugacia, & abuſui potißimum obnoxia. Item: Quanti quanti ſumus, nihil niſi maſſa terrena & miſera ſumus.

Effectus, hoc eſt pœnas quæ ſuperbos comitantur, multiplices

multiplices & horribiles commemorat: tum humilitatis etiam fructum luculentè & copioſè deſcribit.

SCHOLIA.

ἐπειδὴ δὲ τὸν τῆς: Poſteaquam verò.) *Superbia & ambitio ſunt cauſa, quæ primos parentes impulit ad peccandum. Nam.* Nam *diabolus inſtillauit illis ſuum uenenum, ut non contenti ſuis donis, ſummum diuinæ imaginis gradum affectarent.* Hinc Siracides *cap.* 10. *inquit:* Initium *omnis peccati eſt ſuperbia, quæ eſt admiratio ſui, & propriæ excellentiæ amor.* πρωτίστη δὲ κακῶν πάντων ἐπιθυμία ἐστι: *Cupiditas omnium malorum origo eſt.* Auguſt. *lib. ultimo, cap. ult. de* Ciui. Dei: *Nobis ipſi uoluimus eſſe dij, quando à* Deo *cecidimus, audientes à ſeductore,* Eri*tis ſicut* Dij.

μεγίστη σωτηρία αὐτῷ: Maximum ſalutis præſidium.) *Vt ſuperbia auulſit hominem à* Deo, *ita humilitas iterũ cum* Deo *copulat. non enim aliter* Deo *reconciliari poſſumus, niſi cũ peccatum noſtrum agnoſcimus, & ueniam nobis propter Chriſtum dari petimus, ſicut docet Scriptura. Complectitur igitur humilitas ueram agnitionem propriæ infirmitatis & lapſus, qua nobis ipſis omnia detrahimus, tanq̃ ſpoliatis & exutis per lapſum omnibus bonis, ac uniuerſam ſalutis noſtræ rationem acceptam referimus Chriſto.*

ἐλπίδι δόξης ψευδοῦς: Spe mendacis gloriæ.) *Scilicet, cum ſathanas diceret ad primos parentes,*

Non

Non moriemini, ſed eritis ſicut dij: hoc eſt, conſequemini honorem filio Dei debitum.

ἐπὶ νεφελῶν ἱδρῦσθαι: In nubibus collocatos.) Adeò inflat animos gloria perfuſa fuco, ut Ouid. ait, ut non amplius in terra mortalium more, ſed in nubibus uerſari ſibi uideantur. Hos Ariſtoph. ἀεροβατοῦντας uocat, hoc eſt, in aëre gradientes. Dementat enim ſuperbia homines, ut extra ſe poſiti quaſi uideantur. Vnde Græci τυφωθέντας nominant inflatos, quæ uox in genere dementem & furioſum ſignificat. Plutarchus in Fabio. Studioſi habeant in animo et ore hunc uerſiculum:

Falleris eſſe aliquid, ſi cupis, esque nihil.

ὀνείρου σαθροτέραν: Somnio vaniorem.) Superborum gloria ſomnio uanior eſt, & nocturnis ſpectris fallacior.

ὁ τοῦ σαλομῶντος υἱός: Salomonis filius.) Poſt Salomonem, Rehabeam filius Salomonis ſtultiſſimus atq; arrogantiſſimus, ſperans ſe populum arctius habiturum quàm feciſſet pater, onera populi deprecantis non ſolum non mitigat, ſed exaſperat & cumulat, obſequens ſcilicet iuniorum & imperitorum iuuenum monitis, relicto ſeniorum prudenti conſilio: ideoq; decem tribus ab eo defecerunt, & diſtractum eſt regnum, ita ut Rehabeam eſſet rex Iuda, Ieroboã uerò rex Iſrael. 3. Reg. 12. Studioſi meminerint præcepti Ciceronis in 1. Officior. Iuuenilis temeritas ſeniorum conſilio & prudentia conſtituenda eſt, & regenda.

Νόσων παραναλώματα.) *Bona corporis (cuiuſmodi ſunt, agilitas et uenuſtas) morborũ ſunt ſuperuacaneus & inutilis ſumptus.* Eſt *inſignis* μείωσις.

Αδωνίας.) Abſolon et Adonias *filij* Dauidis, *ſtulta ambitione inflati, cupiditate regni incenduntur, & contra patrem tumultuantur.*

τῆς παρὰ θεοῦ σοφίας: Si abſit ſapientia à Deo.) *Plato in* Epitaphio: πᾶσα ἐπιστήμη χωριζομένη εὐσεβείας, καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, πανουργία, οὐ σοφία φαίνεται: *Omnis ſapientia, niſi cum pietate & uirtute coniuncta ſit, uerſutia, non ſapientia exiſtimari debet.* Item, ὅσῳ ἂν ὀξύτερον βλέπῃ ψυχάριον, τοσούτῳ πλείω κακὰ ἐργαζόμενον: *Quo acutius eſt ingenium, eo plura mala facit: ſcilicet, ſi uirtute non eſt excultum.* Et Siracides 19. *Dolus & calliditas ſapientia non eſt. eſt enim* potius *ſophiſma ſeu ſophiſtica, & authori ſuo* σοφιστῇ *perniciosiſſima, ſicut exemplo diaboli declarat* Baſilius.

ὁ δὲ ἀνδροφόνος ἀβιμέλεχ: Abimelech homicida.) *Abimelech, Gedeonis ex concubina filius, uerſutia regnum à ciuibus eblanditur: quod, ut retinere poſſet, fratres ſuos ſeptuaginta in uno lapide obtruncat: excepto uno* Iothane*, qui abſconditus erat. Multa enim alia ſuperbè & ſceleratè perpetrat, donec tandem inſolentiæ ſuæ pœnas dat, uulneratus ſcilicet lethaliter fragmento molaris, quem de mœnibus oppiduli* Thebes *fœmina iecerat.*

ἐν τῷ συνιεῖν: In ſapientia ſua.) *Gloria noſtra conſi-*

conſiſtit in Deo, *qui eſt ſummum noſtrum* ϗ αὐταρ-κέϛατον ἀγαθόν. *Hunc igitur cognoſcere et amplecti, maxima noſtra gloria eſt.* Non *autem apprehenditur* Deus *brachijs corporalibus, ſed fide.* Quare *fides amplectens miſericordiam* Dei *propter filium promiſſum, uerè glorioſos nos reddit: in hac ſtamus, gloriam, & triumphamus.*

πίϛει δὲ μόνῃ: Sola fide.) *Memorabile & euidens teſtimonium articuli de* Iuſtificatione *hominis coram* Deo, *per ſolam fidem in* Chriſtum. *Expreßè enim ponitur particula* SOLA. *Idem docet* Nazianzenus, *declarans particulam* SOLA, *his uerbis:*

ὀυ νόμος, ὀυ δέκαται μ᾽, ὀυκ ἔργματα καλὰ σαώσει,
σὴ δ᾽ χάρις, σός τ᾽ οἶκτος ἐμοὶ ϛάξειε βεβήλῳ
ἣν μούνην δειλοῖσιν ἄναξ πόρες ἐλπίδ᾽ ἀλιτροῖς:

Non lex, nec decimæ, nec opera bona me ſaluabunt,
Sed tua gratia, tuaq; miſericordia mihi inſtilletur polluto.
Quam ſolam miſeris ô rex exhibes ſpem peccatoribus.

Hæc duo duorum præcipuorum Eccleſiæ Græcæ *luminum teſtimonia, digna ſunt memoria.*

ὁλόκληρος: Perfecta.) *Gloriam noſtram in* Deo, *hoc eſt iuſticiã fidei, uocat* ὁλόκληρον: *id eſt, habentẽ omnes partes, et omniũ partium ſummos gradus.*

Id enim ſignificat ὁλόκληρον. Eſt autem ideo perfecta noſtra iuſticia, quia in Chriſto conſummati ſumus: propter quem Deus non ſolum nos accipit, ſed placet etiam ei obedientia noſtra propter eundem, nec imputat nobis ſordes & reliquias peccati.

Προωρισμένην: Præfinitam) προορίζειν, decernere & præfinire. Eſtq; uſus huius uerbi in ſcriptis Apoſtolorum, cum indicatur tale Dei decretum, quod quidem ſuo tempore occultum fuit, ſed poſtea tamen in uerbo Dei reuelatũ eſt. Act. 5. Rõ. 8. 1 Cor. 2. Significat igitur hic locus, ſic decretum eſſe à Deo, & poſtea in Verbo reuelatum, ut ipſius ſapientia, iuſticia, luce & gloria credentes ornentur. Hinc quamuis iuſticia Dei noſtra fiat, cùm nobis donatur: tamen Dei iuſticia dicitur, ne homo ſeſe putet à ſeipſo habere iuſticiam, ut Auguſtini utar uerbis.

Γνῶθι σεαυτὸν ὅστις εἶ: Cognoſcens teipſum qui ſis.) Quid ſuperbis terra & cinis? Siracides 10. Quid ſordido luto infirmius? quid fœdius? quid fragilius? Ideo homo Latinis etiam dicitur ab humo, ex qua originem habet, & in quam rurſus diſſoluetur. Et Hæbræi hominem generali uocabulo nominant Enos, quod eſt ærumnoſus. Vnde Homerus,

οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο:
Nil homine immenſus fert ærumnoſius orbis.

Adſcribam locum Baſilij in fine Hexaemeri, Homilia, 11, ut conferre Lector poſſit. Quid eſt cur te mireris & magnifacias? Quoties in pectore ſentis tumorem & altos ſpiritus, ſubeat animum cogitatio de

ortus

ortus tui principio: ſonetq; in auribus tuis uox iſta, Formauit Deus hominem ex gleba terræ. Quomodo autem poteſt te capere obliuio tuiipſius? Tunc obrepat tibi obliuio tuæ naturæ, cum à terra fueris procul remotus. Cum autem nunquam disiungaris à terra, ſed in ea naſcaris, & interdiu in ea ambules, & noctu in ea quieſcas, deniq; in eadem omnes res ſiue magnas ſiue paruas adminiſtres: ſemper tibi ad arrogantiam minuendam ſubijcias, atq; apud animum proponas tuam humilitatem. Sed fortaſſe ſæuis, atq; ira tumes, quia ignominia affectus es, & aliquis tibi obſcuritatẽ generis obiecit? Itaq; omnes irarum effundis habenas, & uis procacitate linguæ cum aduerſario certare. Deijce oculos in terram, & mox hic ardor extinguetur. Aſpice terram, & cogita: Ignobilem me appellauit, ex terra natum. Minus etiam dixit, quàm pro rei ipſius natura. Et paulo poſt: Quare recordatio ortus noſtri mederi poteſt iracundiæ, præſertim cùm terra ſemper in conſpectu ſit, tanquam monitrix & concionatrix de modeſtia. Quòd ſi errans cupiditas te huc atq; illuc rapuerit: mox cogita, quò diſceſſurus ſis. Abeunt enim illuc omnia, unde orta ſunt. ut dicitur: Terra es, & in terram reuertêris. Cogita quòd hæc membra quæ nunc ardent, aut hæc carnis cupiditas, paulò poſt non ſit futura, cum hominis natura morte diſſoluetur, & membra in terram reſoluentur. Semper ſis memor humanæ fragilitatis, & facilè errantes impetus deflagrabunt. Hæc cogitatio efficaciſſimum remediũ eſt, opponendum peccato. Hactenus

Baſilius, interprete Victorino Strigelio. Digna eſt etiam memoratu Proſperi ſententia: Diuitijs flores, & maiorum nobilitate te iactas, & exultas de patria, pulchritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur. Reſpice teipſum, quia mortalis es, & quia terra es, & in terrã ibis. Circumſpice eos, qui ante te ſimilibus ſplendoribus fulsêre. Vbi ſunt quos ambiebant ciuium potentatus? ubi inſuperabiles imperatores? ubi qui conuentus diſponebant & feſta? ubi equorum ſplendidi nutritores? exercituum duces? ſatrapæ? tyranni? Non omnia puluis? non omnia fauillæ? Non in paucis oſsibus eorum uitæ memoria eſt? Reſpice ſepulchra, & uide quis ſeruus, quis dominus: quis pauper, quis diues. Diſcerne, ſi potes, uinctum à rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Memor itaq; naturæ, non extollaris aliquando. Memor autem eris, ſi teipſum reſpexeris.

τί ὂυν ἐπαίρεις: quid igitur te effers?) *Totus locus eò ſpectat, ut doceat atq; conuincat, Deum ſolum dare: nos uerò tantum accipere non mediante ullo merito proprio. Nihil igitur noſtrum eſt, ſed omnia ſunt Dei operantis & efficientis.*

μὴ ὂν σεαυτὸν: Ne igitur teipſum.) *Qui ſeipſum iuſtificat, hunc Deus condemnat: quia nulla eſt iuſticia niſi à Deo.*

τί γὰρ ὤνησας τὸν: Quid enim profuiſti.) *Vtrunq; eſt donum Dei, credere, & in fide Deo in perferendis ærumnis obedire.*

ὡς ῥάκος ἀποκαθημένης: Tanquã pannus

nus menſtruatæ mulieris.) γυνὴ ἀποκαθημένη, *Mulier quæ fluxum menſtruum patiatur*: Leuit. 22. καὶ ἀνὴρ, ὅς ἂν κοιμηθῇ μετὰ γυναικὸς ἀποκαθημένης, *&c. Vir qui dormierit cum uxore tempore menſtrui fluxus. Si hunc etiam locum* Eſaiæ *capite 46. quem hîc citat* Baſilius, *interpretati ſunt Septuaginta*, ὡς ῥάκος ἀποκαθημένης πᾶσα ἡ δικαιοσύνη ἡμῶν: *Velut pannus mulieris quæ menſtrua patitur, omnis iuſticia noſtra.* In Hebræo eſt: *Et quaſi pannus deturpatus ſiue inquinatus ſanguine partus muliebris, omnes iuſticiæ noſtræ.*

μὴ γίνου κριτὴς ἄνισος: Ne ſis iudex iniquus.) *Omnes hypocrytæ ſunt iniqui iudices, qui non ex uero, ſed ad gratiam iudicant, indulgentes ſcilicet ſibijpſis, & quæ pulchra ſunt foras uertentes, cætera occultantes. Verùm Chriſtianus debet eſſe æquus iudex ſui: hoc eſt, debet in una lance collocare bona ſua opera, in altera mala: tunc uidebit lancem malorum, longo interuallo alteram, quæ bona continet, poſt ſe relinquere.*

καὶ εἰ τὸν πέλας ἁμαρτάνοντα: & ſi proximum peccare.) *Præceptum humaniſsimum* τῆς ἐπιεικείας. *Non citò condemna proximū, ſi quid peccat: ſed confer bona cum malis, quæ fecit, & deprehendes fortè eum probiorem eſſe teipſo. Iactauit olim quidam coram* Zenone Cittiæo, *plurima* Antiſthonis *ſibi diſplicere. Quod cū audiſſet* Zeno, *interrogauit eū, nū qua bona illius eſſe exiſtimaret?* Ad q. ille: *Neſcio, inquit. Tum* Zeno: *Impudens ergo es, quòd id tan-*

tum eligis atq; meminiſti, quod perperam dixit Antiſthenes: quod uerò bonum in eo eſt, id conſultò quaſi præteris. Ita multi perperam dicta & facta aliorum tantum excerpunt, ad calumniandum: quæ uerò bona ſunt eorundem, ne ſcire quidem uolunt.

μιμούμενοι τὸν ἐξ οὐρανοῦ: imitantes eum qui ex cœlo.) *Filius* Dei *perfectum exemplum humilitatis, quod omnes habet partes, & omnium partium ſummos gradus, reliquit, cui nulla oratio par eſſe poteſt.* Auguſtinus *Pſal.* 18. *Benè tandem erubeſcat homo eſſe ſuperbus, propter quem factus eſt humilis* Deus.

εὐθὺς ἐν σπηλαίῳ: mox in ſpelunca.) *Proteuangelion* Iacobi *memorat,* Chriſtum *infantem in ſpelunca quadam, ad quam Maria in itinere uerſus* Bethlehem *diuerterat, in agro Salomæ editum eſſe, aduenante ſingulari* Dei *prouidentia obſtetrice* Hebræa. *Sed fabuloſa eſt prorſus hæc narratio, atq; deridenda. plus enim ualet apud nos authoritas Spiritus ſancti, per prophetam* Micheam *& euangeliſtam* Lucam *perſpicuè, non obſcurè teſtificantis et aſſeuerantis, non alibi quàm in* Bethlehem *Meßiam eſſe natum.*

ὑποτασσόμενος τῇ μητρί: ſubditus matri.) *Bernardus Homilia* 1 *ſuper Miſſus eſt:* Et erat, *inquit, ſubditus illis. Quis? quibus?* Deus *hominibus.* Deus *inquam, cui angeli ſubditi ſunt, cui principatus & poteſtates obediunt: ſubditus erat Mariæ, & propter Mariam,* Ioſeph. *Erubeſce ſuperbire cinis:* Deus *ſe humiliat, & tu te exaltas? Si hominis, ô homo, dedignaris*

gnaris imitari exemplum, certè non erit tibi indignum ſequi authorem tuum.

τοῖς γὰρ ἐπιτηδεύμασι.) *Animus aßimilatur actionibus.* Demoſth. Olynth. 3. ὁποῖ᾽ ἄττα ἂν τὰ ἐπιτηδεύματα τῶν ἀνθρώπων ᾖ, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ φρόνημα ἔχειν: *Qualiacunq; hominum ſtudia fuerint, talibus quoq; animis eos præditos eſſe neceſſe eſt.*

μήτε σεαυτοῦ διεξιὼν ἐγκώμια: tuas ipſius laudes.) *Paulus Samoſatenus epiſcopus Eccleſiæ Antiochenæ ſeipſum extulit, gradum ſibi ac thronum ſublimem ſtruens ſeparatum à uulgo, more principum huius ſeculi: tum mulierculas etiam ſubornauit, quæ de ipſo pſallerent, & in populo dicerent, Eum eſſe angelum qui è cœlis deſcendiſſet. Epiſtola concilij Antiocheni.*

ἐν πρωτολογίᾳ.) *Iuſtus primùm eſt accuſator ſui.*

FINIS.

CONCIO BASILII MAGNI, *Quòd Deus non ſit cauſa malorum.*

Exordiū habet χρείας, hoc eſt, dicta Dauidis.

MVltos docendi modos Sacrarum cantionum author Dauid, vi et impulſu Spiritus, nobis commonſtrauit. Interdum enim proprias afflictiones nobis commemorat Propheta, quamq́; celſo animo aduerſa pertulerit, vt per ſuum exēplum doctrinam de patientia efficaciſsimam nobis relinquat. Vt cum dicit: Domine quam multi ſunt qui tribulant me? Interdum verò bonitatem Dei commendat, & celeritatem auxilij eius, quod præſtat his qui ſeriò eum inuocant, inquiens: Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iuſticiæ meæ. Quod idē eſt cum eo quod Propheta ait: Dum adhuc loqueris, dicet, Ecce adſum: hoc eſt, Antequam orationem finierā, anteuertit petitionem auris Domini. Interdum Deo ſupplicat, & preces adhibet: vt doceat, quo pacto placare Deum iratum propter peccata conueniat. Vt cum inquit: Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Cum vero in Pſalmo duodecimo moram diuini auxilij in tentatione declarat, inquit: Vſq; quo Domine obliuiſceris mei in perpetuum? Et quidē per totum Pſalmum docet nos, ne in afflictionibus deficiamus: ſed expectemus bonita-

I. De patientia in afflictionibus & ærumnis ex Pſal. iii.

II. De auxilio Dei, Pſal. iiii. Eſa. lviii.

III. De precibus Deo adhibendis, Pſal. vi.

IIII. De mora auxilii, Pſal. xiii.

bonitatem Dei: certo ſtatuentes, diuina quadã diſpenſatione crucẽ nobis imponi,& pro modo cuiuſq; fidei tẽtationes quoq; immitti. Statim igitur poſt verba hæc, Quouſq; Domine obliuiſceris mei in perpetuum? item. Quàm diu auertis faciem tuam à me? ad impiorum malitiam ſeſe conuertit, qui, cum leuis aliqua calamitas in vita incidit, ſtatim offenſi difficultate rei, dubitare in animo incipiunt, an ſit Deus, qui curet res humanas: an inſpiciat ſingula, & pro merito cuiq; rependat. Tum ſi videant diutius, quàm vellent, liberationẽ differri, confirmantur in praua ſua opinione: eoq; delabuntur, vt ſtatuant in cordibus ſuis, non eſſe Deum. Vnde eſt vox iſta: Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Idq; dum ſibi perſuadent, audacter deinceps omnibus peccatis indulgent. Si enim Deus non eſt qui inſpiciat, & ſecundum opera ſua cuiq; retribuat: quid prohibet opprimere pauperem, necare pupillos, occidere viduã & aduenam, omniaq; neſaria facinora peepetrare? Libidinibus fœdis & horrendis, concupiſcentijsq; beluinis omnibus cõtaminari? Ideoq; mox illud, quod inde, ſi Deum eſſe negemus, ſequitur, attexit: Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt cogitatione. Fieri .n. non poteſt, vt iuſta via excidant, qui aſſenſionẽ de Deo in animo retinent. Vnde ſanè gẽtes in reprobam mentem traditæ ſunt, faciuntq; quæ non cõuenit. Quod certè nõ

Antitheſis de impiorum dubitatione in calamitatibus, qua impelluntur eo, vt aut Deum eſſe negent, aut cauſam mali in eum transferant.

aliunde

aliunde accidit, niſi quòd Deum negent. Hinc enim inciderunt in ignominioſas cupiditates, & fœminæ illorum mutauerunt naturalem vſum in eum qui eſt præter naturam. Similiter & maſculi in maſculos fœditatem exercent: non alia de cauſa, niſi quòd gloriã immortalis Dei, per ſimilitudinem tranſtulerunt ad effictas imagines pecudum, quadrupedum & reptilium. Inſipiens igitur eſt, & reuera mente intelligentiaq́; caret, qui Deum eſſe negat. Conſimilis huic eſt, & pari dementatus inſipientia, qui dicit, Deum authorem eſſe malorum. Aequale enim horum peccatum eſſe exiſtimo, quòd vterq; bonitatem ex æquo detrahit: ille quidem omnino Deum non eſſe pronuncians, hic verò bonum eum eſſe negans. Etenim ſi malorum eſt cauſa, bonus eſſe nequit. Ita vtroq; modo Deus abnegatur. Vnde igitur, dixerit aliquis, ſunt morbi? Vnde mors præmatura? Vnde excidia vrbium? naufragia, bella, peſtes? Mala enim hæc ſunt, omniaq́; à Deo fiunt: quem igitur alium quàm Deum, ob ea quæ fiunt inſimulare poſſumus? Age igitur, cum in hanc peruulgatam quæſtionem inciderimus, ſermonem ad certum principium reuocemus: & accuratiori facta diſquiſitione, planam & perſpicuam eius enarrationẽ inſtituere conemur. Inprimis autem infixum id mentibus noſtris eſſe debet, à Deo bono nos in hanc lucem productos & editos eſſe, ab eoq́; omnes res noſtras

Obiectio, ſiue quæſtio de origine malorum.

Propoſitio pollicens ſolutionem quæſtionis.

Aſſeueratio quadrimembris.

ſtras

ſtras ſiue paruas ſiue magnas gubernari, neque mali quidquam nobis contingere ſine voluntate Dei: neq; pernicioſa eſſe nobis, quæ patimur, vlla è parte poſſe: ſed eiuſmodi ea eſſe omnino, vt occulta aliqua inſit vtilitas. Nam ex Deo quidem mors eſt: atqui mors non omnino mala eſt. niſi quis peccatoris dicat mortem, propterea quòd liberatio ex hac vita, initium ſit ſuppliciorum inferni. Iam verò malorum quæ in inferno ſunt, nequaquam Deus cauſa eſt, ſed nos ipſi: ſiquidem initium & radix peccati eſt voluntatis noſtræ libertas. quippe cum potuiſſemus à malo abſtinere, calamitateſq; deuitare, voluptatis illecebris velut ineſcati, in peccatum incidimus. Quo igitur orationis prætextu cauſam pœnarum à nobis amoliemur? Eſt itaq; aliud malum reſpectu ſenſus noſtri, aliud verò ſui natura. Ac natura quidem malum à nobis pendet, vt eſt iniuſticia, laſciuia, dementia, metus, inuidia, cædes, veneficia, fallaciæ, & alij id genus affectus, qui animam ad imaginem Dei conditoris fabrefactam polluunt, & decus eius omne obſcurare ſolent. Contrà malum etiam dicimus, cuias ſenſus nobis moleſtus eſt, & dolorem adfert: velut corporis morbum et plagas, rerumq; neceſſariarum inopiam, contemptum, facultatum iacturam, & familiarium amiſsionẽ, quorum nullum eſt quod non propter noſtram vtilitatem à ſapiente & benigno Domino nobis immit-

Mors.

Malorum inferni cauſa.

Diſtinctiō malorum.

Expolitio per exempla.

immittitur. Diuitias etenim his qui illis abutun-tur, aufert, vt peccandi occaſionem intercipiat: morbum verò immittit his, quorum membra conſtricta teneri, quàm peccandi libertatem ha-bere, vtilius eſt. Mori etiam ſinit eos, qui vitæ terminum compleuerunt, quem iuſto ſuo iudi-cio cuiq; Deus ab initio conſtituit: vtpore qui longè, quid cuiq; conducat, proſpicit. Fames porrò, ſiccitas, imbrium abundantia, communes ſunt plagæ ciuitatum & gentium, vt ab immo-dica cupiditate peccandi retrahant. Quemadmo-dum igitur medicus beneficus eſt, etiamſi mole-ſtias & dolores corpori conciliet: vtpote qui nõ ægroto, ſed morbo repugnat: ſic bonus eſt De-us, qui partem punit, vt totum ſeruet. Neq; tu certè medicum incauſas, ſi alia ſecet, alia adurat, nonnulla etiam prorſus corpore auellat: ſed pe-cuniam etiam numeras, ſeruatoremq; eũ appel-las, quòd in exiguo aliquo mẽbro morbũ coer-cet anteq; per totum corpus malũ ſerpat. Cur ergo, cum vrbẽ vides magno motu cõquaſſatã oppreſsiſſe incolas, aut nauẽ cũ ipſis viris in ma-ri merſam, aduerſus verũ medicum et ſeruatorẽ linguã contumelioſam non cohibes? Atq; equi-dem intelligere te decebat, quòd cũ mediocria ſunt & ſanabilia ægrotantiũ mala, multũ emolu-menti ex curatione capiunt. Quando verò affe-ctum adeo validum eſſe cõſtiterit, vt ſanari non poſsit: neceſſariò pars quæ inutilis eſt facta ſepa-ratur,

Simile a medito, qui corpus ægrotantis affligat, vt ſanare poſsit.

Digitized by Google

ratur, ne per continuitatem ſerpens morbus, ad mēbra vtilia progrediatur. Vt igitur ſectionis aut vſtionis cauſa non eſt medicus, ſed morbus: ita vrbiū euerſionib. immoderata peccantiū libido cauſam præbet, & Deū omni prorſus crimine liberat. Verùm ſi in Deo, dixerit aliquis, cauſa malorū non eſt, quo pertinet quod dictū eſt: Ego Dominus formās lucē, & creans tenebras: faciens pacē, creans mala? Et iterum: Deſcenderūt mala à Domino, ſuper portas Hieruſalē, Et, Nō eſt afflictio in ciuitate, quàm non fecerit Dominus. Itē in magno cantico Moſi: Videtis ergo quod ego ſim, & nón eſt Deus præter me: ego occido et viuifico, percutio et ſano. Sed qui Scripturæ ſententiam intelligit, nihil reperit in his, quo Deum tanquam malorum authorem accuſet. Cū enim inquit, a Ego ſum qui formo lucē, & creo tenebras: architectum ſeſe opificij mundi eſſe oſtendit, non mali alicuius factorem. Ne quis igitur exiſtimet, alium eſſe qui lucem formarit, & alium qui tenebras: profitetur ipſe, ſe horum quæ pugnare inter ſe videntur, quoad creationem, factorem atq; opificem eſſe: ne alium quæras architectum ignis, alium aquæ, neq; alium aëris, alium terræ: propterea quod diſcrepare inter ſe ſecundum qualitatum contrarietatem quodammodo videantur. Quo quidem errore ſeducti nonnulli, ad multitudinem Deorum conuerſi ſunt. Pacem porro facit,

Occupatio. Si ex Deo non ſunt mala, cur ipſemet inquit ſe malū creare?

Reſpōſio per interpretationem & diſtinctionem vocabuli creationis.

a Explicatio dicti Eſaiæ xxxxv.

& creat

& creat mala. Tum quidem maximè pacem in te facit, cùm ſalutari doctrina mentem tuam paſcat, reuocatq; errantes cordis affectus ad moderationem, vt rationi obtemperent. Mala verò creat, hoc eſt, ornat ea, & in meliorem ſtatum reducit, vt mala eſſe deſinant, & bonam naturam aſſumant. Cor mundum crea in me Deus: hoc eſt non iterum ex nihilo fabricare, ſed peccato inueteratũ renoua. item, Vt duos conderet in vnum nouum hominem. Vt conderet, inquit: non quidem vt ex nihilo produceret, ſed vt eos, qui iam erant, perpoliret. item, Si qua eſt in Chriſto noua creatura. Et quodam in loco Moſes: Annón idem pater poſſedit te, & fecit te, & creauit te? Diſertè enim hoc loco, poſt Faciendi verbum, Creationis vox ponitur: vt doceat nos, quòd pro mutatione in meliorem ſtatum vſurpetur, vt ſæpiſsimè vocabulum Creationis accipitur. Quare, cum dicitur, Faciens pacem, hunc habet ſenſum: Facit pacem mala condendo, hoc eſt, tranſmutando, & in meliorem ſtatum reſtituendo. Deinde, ſi pacem intelligas ſecuritatem bello partam, mala verò dicas moleſtias quæ bellũ gerentes comitantur: ceu ſunt, labor ex militia extra patrios fines, vigilia, certamina, ſudores, vulnera, mactationes, vrbium captiuitates, ſeruitutes, abductiones, miſeranda captiuorum ſpectacula, & quicquid deniq; mali ex bellis naſcitur: iuſto Dei iudicio id fieri affirma-

Dictum Pſalmi L I. & Pauli.

Mala pœnæ,

firmamus, vt iuſtis pœnis per bellum peccantes reprimat. An tu velles non eſſe incenſa Sodoma, poſt tantam impietatem, aut non euerſam eſſe Hieroſolymam, neq; deſolatum templum, poſt horribilem illam Iudæorum aduerſus Deũ contumaciam? Quomodo, quæſo, fieri hæc iuſtius erat, quàm per manus Romanorum, quibus tradiderant Dominum noſtrum inimici vitæ ſuæ Iudæi? Vides ergo, iuſtè interdum per bellum homines puniri. Cæterùm illud, Ego occido, & viuifico: accipe, ſi placet, ſecundum ſenſum obuium. Aedificat enim timor ſimpliciores? Percutiam, & ego ſanabo. Etiam huius dicti ſententia ſalutaris eſt, ſi per ſe intelligatur: quòd videlicet plaga quidem timorem pariat, ſanatio verò ad dilectionem inuitet. Atqui licet etiam hæc altius in animo perpendere, vt ſit ſententia: Ego occido peccato, & viuifico iuſticia. Quo enim magis externus homo corrumpitur, eo magis internus renouatur. Non igitur alium occidit, & alium viuificat: ſed eum ipſum per quæ occidit, etiam viuificat: & per quæ percutit, per eadem etiam ſanat, ſecundum prouerbium quod dicit: Quòd ſi virga percuſſeris eum, ex inferis animam eius eripies. Quocirca percutitur caro, vt ſanetur anima: morificatur peccatum, vt viuat iuſticia. Quòd verò dictum eſt, Deſcenderunt mala à Domino ſuper portas Ieruſalem: ex ſeſe explicationem ha-

Exempla Sodomorum & Hieroſolymæ.

Explicatio dicti Deut. xxxii.

Prouerb. xxiii.

Vu bet.

Digitized by Google

bet. Quæ mala? curruum equitumq́ꝫ ſtrepitus. Porrò cùm audis, Non eſt afflictio in ciuitate, quam non fecerit Dominus: intellige nomen afflictionis, quia dictum loquitur de pœna, quã peccatoribus infligit, vt emendentur. Quaſi diceret: Afflixi te, & quaſi angina inediæ ſuffocaui, vt benefaciam tibi: coerceo iniuſtitiam tuã, priuſquam immodicè erumpat, quemadmodum flumen ſepto aliquo forti & interſtitio cohibetur. Proinde ſic ſtatuamus, morbos ciuitatũ & gentium, ſiccitates aeris, & ſterilitates terræ, omnesq́ꝫ aduerſitates, quæ ſingulis in vita accidunt, malitiæ incrementa præcidere, vt ea mala, quæ immittũtur à Deo, prohibeant, ne quę verè mala ſunt, fiant. Quæ .n. corpori eueniunt afflictiones, tum ea quæ foris etiam moleſtias creant, ideo excogitata ſunt, vt peccatum inhibeant. Tollit itaqꝫ Deus malum, non quaſi malum ſit ex Deo: quia & medicus profligat morbum, quẽ corpori tamen nequaquam conciliat. Euerſiones verò ciuitatum, terræ motus, & inundationes, exercituum iactura, naufragia, omnesq́ꝫ modi quibus homines pereunt, ſiue à terra, ſiue à mari, ſiue ab aere, ſiue ab igne, aut alia quacunqꝫ cauſa orti, ideo fiunt, vt cæteri ad modeſtiam flectantur, coercente nimirum Deo publica flagitia publicis flagellis. Peccatum itaq́ꝫ quod propriè malum eſt, & maximè mali appellatione dignum, à noſtra voluntate pendet: quia

Amos iii.

ἐπιλογισμὸς de cauſa finali malorum pœnæ.

Peccatum malum culpæ ex nobis eſt.

Digitized by Google

quia vtrumq; in noſtra poteſtate eſt, & abſtinere à prauitate, et prauitatem ſectari. Reliqua autem mala, partim tanquam exercitia ad declarandam pietatem & virtutem obijciuntur: vt cum Iob liberis priuatur, omnesq; opes in vnico temporis momento amittit, & vlceribus cruciatur. Partim tanquam medela peccantibus adhibentur: vt cum Dauidis familia inceſtu polluitur, concupiſcentiæ illicitæ pœnas luit. Cæterùm inuenimus aliud etiam pœnarum genus, quod iuſto Dei iudicio immittitur, vt modeſtiores reddat eos qui nimis ad peccandum faciles ſunt: velut cum Dathan & Abyron à terra abſorpti ſunt, quando nimirum facto barathro atq; hiatu deuorauit eos. Hoc enim pœnæ exemplo non ipſi meliores facti ſunt (quomodo enim emendari, qui in infernum deſcendebant, potuerunt?) ſed alijs modeſtiæ exemplum ſtatuerunt. Eodem modo abſorptus eſt Pharao, cum toto exercitu. Similiter deleti ſunt, qui Palæſtinam antè incoluerunt. Quocirca cum Apoſtolus alicubi inquit, Vaſa iræ apparata in perditionem: non putemus Pharaonem creaturam eſſe malam. ita enim cauſa in creatorem iuſtius transferretur. Sed cum audis nominari vaſa, intellige, quòd ad vtilitatem aliquam vnuſquiſq; noſtrûm conditus ſit: vt cum in domo magna, aliud vas eſt aureum, aliud argenteum, aliud fictile, aliud li-

Mala pœnæ partim exercitia.

Partim medela.

Aliud genus mali pœnæ, quo alii inuitantur ad pœnitentiam.

Pharao.

Vaſa iræ.

gneum. Quam enim quiſq; vult, formam atq; effigiem materiæ inducit. Atq; aureum quidem vas voco eum, cuius cor purum eſt, & mores non fraudulenti. Argenteum verò, qui iſto dignitate paulò eſt inferior. Teſtaceum, qui terrena curat, & facilè frangitur. Ligneum deniq;, qui peccato leui occaſione polluitur, & materia fit ignis æterni. Ita & iræ vas vocaturis, qui velut receptaculum, omnem diaboli actionem ſuſcipit, nec iam propter infixum ex corruptione fœtorem ad vſum vtilem reduci poteſt: ſed ſimpliciter extirpandus eſt, & perditione dignus. Cum itaq; deleri eum oporteret, ſagax & ſapiens animarum diſpenſator ita eum tractauit, vt conſpicuus fieret, & innoteſceret omnibus, quò alijs interitus eius documento eſſet: ſiquidē iam ita immerſus erat peccatis, vt ſanari non poſſet. Indurauit autem eum ſua lenitate, cum pœnam differret, tolerando eius malitiam, vt ad ſummum vſq; nequitia illius accumulata, iuſtum Dei iudicium in eo conſpiceretur. Idcirco etiamſi ſubinde exaſperarentur plagæ, & protraheretur pœna: non tamen contumaciam eius molliuit, ſed cognouit eum tollerantiam Dei contemnere: & immiſſa ſibi pœna, tanquam exercitio, ad nequitiam abuti. Et tamen neq; ſic eum morti tradidit, donec ſe ipſe ſubmerſit elatione cordis ſui, cum iuſtorum iter ingredi auderet, exiſtimans perinde vt populo Dei, ſic ſibi

Cauſa finalis interitus Pharaonis.

Digitized by Google

ſibi etiam mare rubrum eſſe peruium. Hæc igitur cum de Deo ſcias, & malorum diſtinctionem in animo teneas, vt diſcernere poſsis inter id quod verè eſt malum, vt peccatum, cuius finis perditio eſt: & inter illud malum, quod nobis quidem, dum patimur, acerbum videri ſolet, ſed reuera vim boni continet: nec id etiam tę fugiat, quòd afflictiones ad cohibenda peccata immittantur, vt æternæ ſalutis fructum animabus afferant: noli diuinam diſpenſationem moleſtè ferre. Caue verò omnino, ne Deum putes cauſam eſſe eſſentiæ mali: neq; propriam ſubſtantiam mali imaginare. non enim ſubſiſtens quiddam eſt malitia, ſicut animal: neq; eſſentiam eius verè vllam monſtrare poſſumus. ſiquidem priuatio boni eſt malum: verbi cauſa, oculus quidem conditus eſt, ſed cæcitas corruptionis oculorum eſt accidens. Quare niſi in natura corrupta eſſet oculus, non habuiſſet locum cæcitas. Ita malum quoq; ſubſtantia non eſt, ſed oblæſæ animæ vitium eſt. Neq; enim generationis expers eſt, ſicut impij dicunt, qui naturam bonam & malam iuxta æſtimant, quòd vtraq; principio careat, & ante generationem fuerit. Neq; etiam genitum eſt. Etenim ſi omnia ex Deo ſunt, quomodo malum ex bono eſſe poteſt? Neq; enim turpe eſt ab honeſto, neq; vitium à virtute. Lege opus de Creatione mundi, & inuenies omnia ibi eſſe bona, & quidem

Epilogus diſtinctionis malorum.

Mali eſſentia, quæ proprie nulla eſt, quia eſt tantum priuatio boni: vt cæcitas in oculo.

Malum neq; ab æterno fuit, neque a Deo conditum eſt.

I. Ratio ex natura ſeu proprietate Dei.

II. Ab autoritate ſcripturæ.

Digitized by Google

dem bona valde. Non ergo malum cum bonis eſt creatum: immò ne quidem natura intelligēs ab opifice ita fabrefacta eſt, vt admixtum ſuæ ſubſtantiæ malum haberet. Cum .n. corporalibus non fuerit adiunctum in creatione malum, quomodo naturæ intelligentes, quæ tantopere puritate & ſanctitate antecellunt, ſubſtantiam cū malo cōmunem habuerunt? a Atqui eſt malū: quod inde apparet, quòd eius vis per omnem vitam valde diffuſa eſt. Vnde igitur ortum eſt, ſi neq; ab æterno fuit, neq; creatum eſt? b Hæc qui exquirunt, interrogentur viciſsim, vnde ſint morbi, vnde mutilationes corporis? Non enim ab æterno eſt morbus, neq; etiam à Deo factus eſt: ſed ita condita ſunt animantia, vt naturæ ſuæ conuenientem haberent ſtructuram: cumq; in vitam producta ſunt, vndiq; membra fuerunt completa. Aegrotare autem cœperunt, cum è naturali ſuo ſtatu deiecta eſſent. Amittunt enim ſanitatem vel propter prauam victus rationem, vel propter alias quaſcunque morbificas cauſas. Quocirca corpus quidem Deus condidit, ſed non morbum: & animam ſimiliter fecit Deus, ſed non peccatum. Vitiata eſt autem anima, cum de naturali ſuo ſtatu eſſet deturbata. At quod erat originale eius bonum? Aſsidua cū Deo conuerſatio, & ardens copulatio: qua poſtquam excidit, varijs & multiplicibus infirmitatibus afflicta eſt. Cur aūt omnino mali

Ex partibus, & minori: Res corporales ſunt conditæ abſque malo. Ergo multo magis intelligentes naturæ.

a Occupatio: At eſt malum vbiq; obuium.

b Reſponſio: Acceſsit poſt conditam a Deo naturā.

Natura & originalia hominis bona quæ.

mali capax eſt ? Propter liberi arbitrij vim, quæ maximè naturam rationalẽ decebat. Cum .n. ab omni neceſsitate immunis fuerit, vitamq́; eiuſmodi à Deo acceperit, quæ electionis libertatem haberet, propterea quòd ad imaginem Dei facta erat: intellexit certè bonum, eiusq́; fruitionẽ nouit, & poteſtatem atq; vim habuit perſeuerandi in boni contẽplatione rerũq́; ſub intelligentiam cadentiũ perfruitione, ita vt eam quæ ſecundum naturam eſt vitam tueri poſſet. Contrà habuit etiam poteſtatẽ repudiandi bonum, idq́; etiam fecit, cum ſatietas beatæ voluptatis illã cepiſſet: iamq́; velut veterno quodam grauata, & à cœleſtibus auulſa, carni fœdo voluptatis vſu commixta eſt. Erat aliquando Adam in ſupernis, non quo ad locum, ſed quoad ſtudium: cum videlicet recens accepta anima, oculisq́; in cœlum conuerſis, lætaretur rebus à ſe viſis, datoremq́; poſſeſsionis vitæ æternæ impenſè diligeret, vtpote qui in Paradiſi delicijs ipſum tutò collocaſſet, & principatum angelis ſimilem dediſſet, communique cum archangelis viuendi ratione vti conceſsiſſet, denique diuinæ vocis auditorem reddidiſſet. Ad hæc omnia, accedebat diuina protectio. Verùm cum breui voluptatibus omnibus expletus, & ſatietate quaſi laſciuiens, id quod carnalib. oculis iucundum fuerat viſum, pulchritudini corũ quæ ſub intelligentiã cadunt

Cauſa lapſus hominis.

Adami vita ante lapſum.

antepoſuiſſet, ventriſq; ſatietatem ſpiritualibus voluptatibus precioſiorem duxiſſet: mox paradiſo eiectus eſt, & beata illa vita ſpoliatus, non quidem neceſſariò, ſed temerè factus malus Ideoq; etiam praua voluntate peccauit, & propter peccatum mortuus eſt. Nam ſtipendium peccati mors eſt. Quantum enim à vita diſceſſerat, tantum morti appropinquauerat: quia vita Deus eſt, priuatio verò vitæ mors. Quare ſibi ipſi Adam per defectionem à Deo mortem machinatus eſt, iuxta id quod ſcriptum eſt: Ecce qui elongant ſe à te, peribunt. Ita ſanè non Deus mortem condidit, ſed nos praua mente nobis ipſis eam attraximus. Atqui nec prohibuit Deus migrationem quæ fit per mortem, propter prædictas cauſas, ne in perpetua ægritudine detineremur. perinde ac ſi quis vas fictile perfluens non ſinat in ignem abijci, donec vitium in eo reformet & ſarciat. Sed cur, dixerit aliquis, non ſtatim ſine peccati labe creati ſumus, vt, etiamſi velimus, peccare non poſsimus? *a* Certè neq; tu famulos quos neceſsitatis vinculum coercet, ſatis beneuolos ducis: ſed cum ſponte tibi officium ſuum præſtant. Eodem modo Deo etiam gratũ eſt, non quod coactè fit, ſed quod virtutis amore præſtatur. Atq; ipſa etiam virtus liberæ voluntatis electione fit, non neceſsitate. Quod autem in noſtra eſt poteſtate, liberi eſt arbitrij. Qui igitur creatorem ob id reprehendunt,

Pſal. lxxiii.

Cur Deus mortem non prohibuerit.

Cur Deus nõ ita hominem creauerit, vt labi non poſſet.

a Reſponſio: Deus libere & ſponte, nõ coacte a nobis coli voluit.

hendunt, quod non natura nos tales, qui peccare non poſſent, conſtruxerit: nihil aliud faciunt, quàm vt naturam irrationalem rationali præferant, & motionis affectionisq́ expertem ei quæ libertate voluntatis & vi agendi prædita eſt. Hæc quamuis paulò fuſius, tamen neceſſariò dixi, ne immenſis ſpeculationibus immerſus, non ſolum non aſſequaris quæ affectas, ſed à Deo inſuper etiam deſeraris. Deſinamus igitur corrigere ſapientem, deſiſtamus creaturis illius aliquid melius requirere. Etſi enim ſingula gubernationis eius conſilia intelligere non poſſimus, hoc tamen vnicum dogma altè mentibus noſtris infixum ſit: Nihil mali à bono fieri. Vnde ſanè iuſta ratiocinationis conſequentia, illa etiam de diabolo quæſtio oboritur: vnde ſcilicet ſit diabolus, ſi à Deo non ſunt mala? Quid ad hoc dicemus? Contenti ſimus etiam in hac quæſtione ratione illa, quam de hominum malicia reddidimus. Vnde enim eſt malus homo? Propria voluntate. Vnde malus diabolus? Eadem ex cauſa. nam & ipſe libertatis facultate præditam vitam habuit, & in ſe ipſo ſitam poteſtatem aut permanendi apud Deum, aut abalienandi ſeſe à bono. Gabriel angelus eſt, & perſtitit apud Deum perpetuò. Satanas quoq; angelus eſt, ſed à propria ſtatione prorſus deſciuit. Atq; illum quidem in ſupernis retinuit propoſitum, ſeu voluntatis libertas: hunc verò præci-

Cõcluſio dehortans a ſpeculationibus extra verbũ.

Alia quæſtio, vnde ſit diabolus.

Reſponſio: Cauſa lapſus diaboli eadẽ eſt, quæ & hominis.

Vu 5 pitauit

Digitized by Google

pirauit iudicium mentis liberum. poteratq; ille deficere, & hic lapſum vitare. Sed Gabrielē ſeruauit dilectionis Dei cupiditas inſatiabilis: Satanam verò abiectum reddidit diſceſsio à Deo.

Simile ab oculo.

Hoc ſcilicet eſt malum, alienatio à Deo. Exigua oculi conuerſio facit, vt aut ſolis participes ſimus aut in vmbra verſemur. Qui enim ſolem intuetur, facilè illuſtratur: qui verò ad vmbram ſeſe conuertit, neceſſariò obſcuratur. Ita malus eſt diabolus, quia conſultò malitiam habet, non natura bono oppoſita. Vnde ergo tantum ei in nos eſt bellum? Quia omnis malitiæ receptaculum eſt, concepit etiam inuidiæ affectum, & inuidit nobis honorem. Non enim tulit omnis moleſtiæ expertem vitam noſtram in paradiſo. Ideoq; dolis & verſutijs hominem decepit: & concupiſcentia ſua, qua Deo ſimilem honorem affectabat, ad fraudem abuſus, monſtrauit lignum, promittens fore vt per vſum eius Deo ſimiles redderentur. Si enim comederitis, inquit, eritis ſicut Dij intelligentes bonum & malum. Non itaq; hoſtis nobis creatus eſt: ſed æmulatione inductus, inimicitiam aduerſus nos ſuſcepit. Cum enim videret, ſe ex angelorum cœtu eiectum eſſe: ferre non poterat, terrenum hominem ad angelorum dignitatem per virtutis profectum euehi. Poſtquam igitur factus eſt hoſtis, reſeruauit nobis diſsidium. Vnde & ſerpentem, qui ſe

Cauſa parricidialis odii diaboli in humanum genus.

Serpens orga-

qui ſe miniſtrũ diabolo præbuerat, alloquitur Deus, conuertẽs minas in ipſum diabolum: Inimicitiam ponam inter te, & ſemen eius. Nocent enim certiſsimè conciliationes cum malicia. Siquidem lex amicitiæ hæc eſt perpetua, quod per morum ſimilitudinem in animis conglutinatis generari ſoleat. Vnde rectè dictum eſt: Corrumpunt bonos mores conuerſationes prauæ. Quemadmodum enim in infectis regionibus aer particulatim attractus morbum occultum adfert his qui in eo viuunt: ſic familiaritas cum improbis, magna mala animis imprimit, etiamſi non ſtatim detrimentum ſentias. Hanc ob cauſam irreconciliabilis eſt aduerſus ſerpentem inimicitia. Cæterum ſi odio tanto dignum eſt organum, quanto magis odiſſe nos oportet ipſum diabolum, qui per ſerpentem efficax fuit? *a* Atqui illud etiam obijciunt, cur lignum in Paradiſo fuerit, per quod diabolus nefarium ſuum aduerſus nos conatum erat exequuturus? Niſi enim eſcam habuiſſet ad decipiendum aptam, haud nos per inobedientiam præcipitaſſet in mortem. Quia oportuit eſſe mandatum, quo exploraretur noſtra obedientia. Idcirco erat arbor ſpecioſorum fructuum ferax, vt per abſtinentiam à voluptate temperantiæ decus eluceſceret: & digni fieremus, quibus merito patientiæ corona tribueretur. Porro ſequuta eſt eſum non tranſgreſsio ſolum mandati,

non & miniſter ſatanæ.

Ex minori, ſi ſerpentẽ odimus, multo magis diabolum odiſſe debemus.

a Alia quæſtio de ligno in Paradiſo.

Nudidatis cognitio, cur eſum pomi ſecuta.

eſum pomi ſecuta.

mandati, ſed nuditatis etiam cognitio. Comederunt enim, inquit textus, & aperti ſunt oculi eorum, cognoueruntq́; quòd nudi eſſent. Debebant autem ignari eſſe ſuæ nuditatis, ne hominis mens diſtraheretur curioſitate implendi id quod deeſt, aut veſtimenta ſibi excogitandi in nuditatis ſolatium, neue omnino cura carnis à Dei cultu auelli poſſet.

De veſtimentis, cur non ſtatim ſint homini tributa in creatione.

Sed cur non ſtatim apparata ſunt ei veſtimenta? Quia neq; naturalia illa eſſe decebat, neq; artificialia. Nam naturalia brutorum ſunt propria, vt ſunt pennæ & pili, pelliumq́; denſitates, ad arcendas pluuias, & ferendum æſtum accommodatæ: quibus alterum alteri non antecellit, cum ex æquo omnibus natura ſint tributa. at hominem, ſecundum proportionem amoris quo Deum proſequebatur, varijs donis ornatum eſſe oportebat. Artificij vero tractatio, negocij cauſam dediſſet: quæ homini, velut pernicioſa, maximè erat fugiẽdea. Inde etiam, cum ad vitam in Paradiſo nos reuocat Dominus, eximit animis noſtris curam, inquiens: Ne ſitis ſolliciti animæ veſtræ, quid edatis: neq; corpori veſtro, quibus induamini. Non igitur decuit hominem natura habere tegumenta, neq; etiam arte conſuta: ſed alia erant apparata, quæ Dei gratia obtigiſſent homini,

Ornatus hominis integri.

eumq́; illuſtraſſent, ſi in virtute perſtitiſſet: videlicet amictus quidam lucidus, qualis angelorum eſt, ſuperans florum varietatem, & aſtrorum

claritatem

claritatem ſplendoremq; vincens. Hac de cauſa non ſtatim veſtimenta ſunt facta: quia propoſita erant homini præmia virtutis, ad quæ per iniuriam diaboli aditus non eſt conceſſus. Factus eſt itaq; aduerſarius nobis diabolus, propter lapſum, qui olim ex inſidijs contigit: conſtituente Domino luctam inter nos & illum, vt per obedientiam reluctantes, de aduerſario triumphemus. Vtinam vero non factus eſſet diabolus: ſed manſiſſet in ſtatione, in quam initio ab imperatore ſuo collocatus erat. Poſtquam autem defecit, factus eſt hoſtis Dei, & inimicus hominum ad imaginē Dei conditorum. Hinc homines odit, quia etiā Deo repugnat: & ideo quidem nos odit, quod creatura ſimus Dei, & ad imaginem illius expreſsi. Vſus eſt autem illius malicia ad exercendas noſtras animas ſapiens & prouidus rerum humanarum Gubernator, perinde vt medicus veneno viperæ ad ſalubrium medicamentorum confectionem abutitur. Quis ergo eſt diabolus? quis eius ordo? quæ dignitas, & vnde deniq; ſatanas appellatus eſt? Satanas equidem nominatur, quod bono aduerſetur: id enim ſignificat Hebræa vox, ſicut ex Regum libris cognouimus, vbi inquit Textus: Excitauit Dominus Salomon aduerſarium Ader Syrorum regem. Diabolus vero, quod cooperarius peccati noſtri, & accuſator ſit, qui lætatur noſtra perditione, & infamat

Concluſio repetēs cauſam odii diaboli impulſiuam & finalem.

Votum.

Similitudo declarans fructum certaminis Chriſtianorum cū diabolo.

Satanæ nomē ab aduerſando.

Diaboli nomen.

Natura diaboli. mat nos ob ea quæ perpetrauimus. Natura porro eſt incorporeus, ſecundum Apoſtolum, qui ait: Non eſt nobis lucta aduerſus ſanguinem & carnem, ſed aduerſus ſpirituales aſtutias. Quo

Regnum & potentia. ad dignitatem, princeps eſt. addit enim Paulus: Aduerſus principatus & poteſtates, & mundi dominos, rectores tenebrarum ſeculi huius.

Sedes regni diaboli. Porrò ſedes regni eius eſt in aere, ſicut inquit idem: Aduerſus principem poteſtatis aeris, ſpiritus qui efficax eſt in filijs immorigeris. Ideo etiam Princeps mundi vocatur, quod terrenum ſit eius regnum. & ita inquit Dominus: Nunc iudicium eſt mundi huius, nunc princeps mundi huius eijceretur foras. Et alio in loco: Venit princeps huius mundi, et in me non habet quicquam. Ac quoniam militiæ diaboli facta eſt mentio, quod ſpirituales aſtutiæ ſint in cœleſtibus: ſciendum eſt, vſitato Scripturæ more fieri, vt aer pro cœlo accipiatur, vt cum dicimus, Volucres cœli. Item, Aſcendunt vſq; ad cœlos: id eſt, altè in aerem extolluntur. Inde & Do-

Caſus diaboli. minus inquit: Vidi Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem: id eſt, ex principatu proprio excuſſum, & ad inferna præcipitatum, vt

Clades & cõculcatio diaboli. conculcetur ab his qui in Chriſtum ſperant. Dedit enim poteſtatem ſuis diſcipulis, calcandi ſerpentes & ſcorpiones, omnemq; potentiam inimici. Poſteaquam igitur praua eius tyrannis profligata eſt, & perpurgata terra per ſalutarem

paſsio-

Digitized by Google

paſsiònem eius qui terram & cœlum pacauit, prædicatur deinceps nobis regnum cœlorum, dum Iohannes inquit, Appropinquauit regnũ cœlorum: & Domínus Euangelium regni vbique annunciat, angeliq; iam antè clamant, Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax. Item, cum exultantes ob ingreſſum Domini noſtri in vrbem Hieroſolymam, clamant: Pax in cœlis, & gloria in excelſis. Deniq; innumerabiles ſunt ſententiæ triumphales, quæ extremam abolitionẽ hoſtis demonſtrant, adeò vt nulla nobis neq; lucta neq; certamen in ſupernis reliquum ſit, neq; vllus ſuperſit aduerſarius, qui à beata vita nos auertere poſsit. Sed iucundus nobis deinceps patefactus eſt aditus, ad perpetuam fruitionem ligni vitæ, à cuius participatione initio prohibiti ſumus inſidijs ſerpentis. Collocauit enim Deus flammeum gladium, ad cuſtodiendum iter arboris vitæ, vt per illud nullo prohibente introeamus, & intus omnibus bonis perfruamur in Chriſto IESV Domino noſtro: cui ſit gloria in ſecula, Amen.

Triumphus de diabolo.

Iucundus reditus in gratiam cũ Deo, & in paradiſum, quaſi poſtliminii iure patefactus aditus per Chriſtum.

ARGV-

ARGVMENTVM ORAtionis.

TItulus argumentum indicat. Eſt enim propoſitum Diuo Baſilio in hac Concione, aſſerere Deũ à contumelia, qua afficitur à maxima generis humani parte, quæ uel pertinaciter Deum eſſe negat, uel furenter cauſam mali in eum reijcit. Nec leue profectò negotium eſt, eripere ex animis hominum hanc nocentiſſimam de Deo opinionem, quæ partim innaſcitur nobis, partim uſu prauaq; conſuetudine confirmatur. Circumferimus enim nobiſcum in hac corrupta & miſera natura aßiduè caliginem in mente, dubitationem de Deo, & ſecuritatem negligentem & fugitantem Deum: tum plurimos etiam in corde errantes impetus et flammas, cum uoluntate Dei mirabiliter pugnantes. Deinde accedit diabolus, qui diffidentiam tanquam frigidam ſuffundens, auget: & naturam ſua ſponte procliuem magis aduerſus Deum incitat, ut de eius prouidentia dubitet: & ſi quid minus pro animi ſententia atq; uoto ſuccedit, Deum tanq̃ iniuſtum iudicẽ accuſet, aut nihil omnino eſſe iudicet. Hinc omnia teterrima peccata in mundo originem habent. Nam ignorantia Dei, ſiue diffidentia de eius præſentia & rerum humanarum cura, gignit & alit in animis epicureum contemtum Dei, legum & omnium honeſtorum officiorum, ut liberè frenum laxent cupiditatibus, & diuina humanaq; omnia ſuſque deque ferant. Hinc fœda illa eſt ſcelerum deterrimorum colluuies

in mundo

Digitized by Google

in mundo, & tam horribilis exiſtit impietas: hinc oritur immanis opinionum cõfuſio de Deo, de religione, et tantus cultuum ſuperſtitioſorũ cumulus: hinc tot tamq́; contumelioſæ uoces in Deum iactantur, quibus uel æterna eius omnipotentia apertè negatur, uel facultas uoluntasq́; iuuandi ei detrahitur. Neq; profectò ſolus ille Cyclops eſt, qui plus quàm humana audacia Deum religionemq́; contemnit, & impio ore hanc uocem edit apud Euripidem:

Non vlla numina expaueſco cœlitum,
Sed victimas vni Deorum maximo
Ventri offero, Deos ignoro cæteros.

Sed maxima pars generis humani uoluptates huius mundi Deo, religioni, & omnibus uirtutis officijs anteponit. At etiamſi externa profeſſione Cyclopes non ſint: tamen intus in animo & corde magis amant priuata commoda, diuitias, honorem & potentiam, quàm religionem, & ueros Dei atq; iuſticiæ cultus. Competit Cyclopis appellatio auaris quoq;, qui et ipſi Deum pietatemq́; ſecurè contemnunt, & uni Deo uentri ſeruiunt. Viuunt Cyclopicè quicunq́; indulgẽt nimium cupiditatibus, iræ, uindictæ, libidini, erga pauperes inhumani ſunt, erga inferiores immites & aſperi. Nam hi quoq; uentri ſuo uictimas offerunt, & cæcis ſuis temerarijsq́; affectibus magis obtemperant, quàm Deo conditori. Deniq; quem alium Deum nouit & colit totus mundus, præter ignauum & inertem uentrem? Neq; etiam ſola Hecuba eſt, quæ in rebus aduerſis Deum talibus uerbis apud Euripidem inuocat:

O Dij, ignauos quidem opitulatores vos inuoco,
Tamen habet aliquem prætextum inuocare Deos.

Sed pleriq; tali ingenio ſumus, ut in rebus proſperis Dei obliſcamur: in aduerſitatibus uerò aut fremamus, aut iniuſtè nimiſq; diu nos affligi putemus: præſertim cum alios uidemus multo nobis ſceleratiores, ut noſtra fert opinio, florentes tamen, & omnibus uitæ commodis affluentes. Nec rarò nobis illud contingit, quod de immortalitate animi Cicero pronunciat: ut dubitans, circumſpectans, hæſitans, mul-aduerſa reuertens, tanquam ratis in immenſo mari tota noſtra fluctuet oratio. Non igitur paucos putemus hoc eſſe animo præditos, ut impietate Cyclopica, aut Epicuræo contemtu, Deum uel prorſus negent, uel parum aut nihil metuant, ſed uentrem tantū colant: & in calamitatibus indignentur, quaſi non ipſi, ſed Deus mali ſui cauſa extiterit. Neq; cum Pſalmus ait, Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus: opinemur exiguum eſſe eorum hominum numerum, qui ita ſentiant, & dicant: neq; procul tales à nobis abeſſe ſomniemus, ſed nos omnes tanq̃ digito notari, et uiuis coloribus depingi arbitremur. Explicet enim & excutiat intelligentiã ſuam quiſq;, et reperiet in mente ſua caliginem, in uoluntate auerſionem à Deo, & in corde horribilem aduerſus legem Dei contumaciam. Tum fatebitur, ſæpè in hanc cogitationem atq; dubitationem ſeſe impelli, Vtrũ Deus reſpiciat hominum facta, & bonos præmijs, improbos uerò pœnis afficiat, cum res & euentus in hoc mundo contrarium

trarium

trarium probet. Nónne ſæpè mali magnitudo, et afflictionum diuturnitas nos cò adducit, ut fremere in animo incipiamus, & de auxilio liberationeq; Dei ambigere? Hæc uera eſſe, experiuntur omnes qui etiam modeſtius uiuunt: ac etiamſi profeſſione Epicuræi nō ſint, nec palàm conuicientur Deo: tamen in corde ſentiunt flāmas illicitas contra legem Dei, et fremitū ex impatientia ortū: quem tamē pij uerbo Dei, per quod Spiritus ſanctus eſt efficax, reprimunt et cōpeſcunt, fideq; omnes tentationes uincunt. Hæc mala qui non ſentit, aut in ſe non agnoſcit, atq; confitetur, is uerè cauſam mali in Deū transfert, et Epicuro nihi eſt melior: quia q, ſibi imputare debebat, Deo adſcribit: & dum ſe innocentē eſſe fingit, Deū ipſum facit reum. Cū igitur non hi ſolum, qui prorſus ſunt ἄθεοι, & iudicium iráq; Dei ſecurè contemnunt: ſed illi etiā qui uiuunt modeſtius, caliginē de Deo in mente circumferant, & rapidis affectibus cordis ſæpè eo impellantur, ut uel indignationis flammas aduerſus Deum concipiant, uel nimis duriter ſecum agi putent: grata nobis eſſe debet hæc Baſilij Concio, qua ſtudet hanc impiam de Deo opinionem penitus ex animis euellere: nobiſq; perſuadere, ut firmiter ſtatuamus, in proſperis pariter & aduerſis uerè nos à Deo curari, reſpici & exaudiri: ac etiamſi acerba nimis fortè crux impoſita uideatur, certiſſimè tamē nobis prodeſſe. Vtq; alexipharmacum, quod uenenum penitus infixū corpori profligat, magni facimus & amamus: ita ſummo ſtudio cognoſcere, ſæpeq; relegere hanc Diui Baſilij orationem debemus,

bemus, quæ innatam, corroboratamq́; in animis dubitationem de Deo prorſus extirpat: & immenſam æternamq; eius iuſticiam, bonitatem, clementiam, & miſericordiam nobis commendat, & inculcat.

Sunt autem multi præclari & inſignes huius orationis loci, quos ordine hic annotabimus: ut magnitudinem utilitatum, quæ in ea continentur, facilius ſtudioſi cognoſcant.

I. *Proponit doctrinam de patientia in afflictionibus, quæ ſumpta eſt ex ſanctiſſimo & exercitatiſſimo propheta* Dauide. *Recenſet autem tres fontes, ex quibus patientia Chriſtiana promanat. primùm, exemplum prophetæ* Dauidis*: ſecundò, precationem: tertiò, exauditionis & liberationis diuinæ promiſſionem.* H*æc tria nobis ſingulis ad imitandum proponamus, ut cum affligimur, intueamur in aliorum Chriſtianorum exempla, quæ durius plerunq; in hoc mundo exercentur. Secundò, coniungamus noſtras preces cũ certo* Dei *auxilio, & liberatione in uerbo promiſſa. Sunt enim duo correlatiua, quæ ſemper cohærent, nec diuelli poſſunt: uera ardensq; precatio, & exauditio* Dei*, liberatioq;. Sic etiam cum cruce Chriſtianorum ſemper coniuncta eſt* Dei *præſentia, & ſpes liberationis infallibilis.*

II. *Per Antitheſin, de impiorum impatientia diſſerit: qui, quia extra uerbum* Dei *iudicant, neq; auxilium à* Deo*, neq; liberationem certam expectant.* Vt *enim pij à uerbo* Dei*, ſic hi à mundo pendent: ex*

quo

quo neq; uoluptatis ueræ, neq; ſolatij quicquam in re-bus aduerſis capi poteſt. Ideoq; *animi quadam deſpe-ratione eò tandem adiguntur, ut uel aduerſus* Deum *fremant, uel eius prouidentiam negent.*

III. *Magna aſſeueratione proponit hanc ſenten-tiam, altè ſingulorum pectoribus infigendam & reti-nendam mordicùs:* Deum *ſemper eſſe bonum, omniaq; quæ ab eo nobis immittuntur, eſſe bona, neq; ſine illius uoluntate quicquam nobis accidere poſſe.*

IIII. *Probat & conuincit, peccata omnia, quæ ma-lum culpæ uſitatè uocantur, omniumq; pœnarum fons & origo ſunt ex nobis, & nequaquam à* Deo *eſſe: pœ-nas uerò, iuſto* Dei *iudicio noſtræ utilitatis cauſa no-bis imponi.*

V. *Scripturæ dicta explicat, quæ de mali creatio-ne loquuntur, uindicans* Deum *ab omni ſuſpicione mali culpæ.*

VI. *Diuerſa pœnarum genera commemorat, quæ partim pietatis ſunt exercitia, ſiue* δοκιμασία*: par-tim* τιμωρία*, partim exempla quæ ad erudiendos alios proponuntur.*

VII. *Subijcit eruditam & ſobriam explicationē dicti* Paulini *de uaſis iræ, et de* Pharaonis *induratio-ne atq; interitu.*

VIII. *Diſputat utrum malum ſubſtantia ſit, an ac-cidens, in natura à* Deo *auerſa per inobedientiam & lapſum.* Item, *utrum creatum ſit malum, nec ne.*

IX. *Quæ bona homo ante lapſum habuerit, ex-ponit.*

Digitized by Google

X. Diſſerit de cauſa horribilis lapſus hominis.

XI. Qualis uita Adami ante lapſum fuerit, docet.

XII. Diſſoluit quæſtionem: Cur Deus mortem non prohibuerit? Item, quare non ita hominem condiderit, ut labi non poſſet?

XIII. De origine & lapſu diaboli tractat.

XIIII. Cauſam immanis odij & belli ἀσπόνδου καὶ ἀκηρύκτου diaboli aduerſus nos oſtendit.

XV. De obiecto & organo, per quod diabolus miſerum genus humanum in fraudem impulit, tractat.

XVI. Quæſtiones aliquas ſubijcit de ligno in paradiſo, & de ueſtimentis hominis, cur non ſtatim in creatione homini ſint tributa.

XVII. Cauſam finalem certaminis Chriſtianorum cum diabolo explanat.

XVIII. Exponit nomen diaboli & ſatanæ: item naturam potentiæ, ſedem regni, militiam, caſum, & cladem.

XIX. Triumphum Chriſtianorum de diabolo, & dulcem generis humani cum Deo reconciliationem per Chriſtum: item, illuſtrem reditum in Paradiſum, unde ſemel per diaboli inſidias eiecti ſumus, declarat.

Hi ſunt præcipui in hac oratione loci, & luculentè à Baſilio explicantur: quos ideo recenſui, ut ad diligentem eius lectionem ſtudioſos inuitent.

ANNOTATIONES.

Πόλλοι τῆς διδασκαλίας: Multos docendi.) *Docēdi modos quatuor à Dauide in Pſalmis propoſitos recenſet. Quorum primus eſt, per exempla. Nam ſeipſum proponit nobis exemplum, commemorans ſuas ærumnas & afflictiones animæ et corporis: ut nos quoq; ad ſimilem patientiam, in perferendis ærumnis exuſcitet. Secundus commendat bonitatem & miſericordiam Dei, reſpicientis & exaudientis uota & preces afflictorum. Tertius modus eſt de reconciliatione Dei, offenſi propter peccata noſtra. Quartus, de perferenda et uincenda mora liberationis diuinæ: quæ, non dici poteſt, quantoperè pios etiam, & modeſtè uiuentes, fatiget & exerceat.*

Καὶ τὸ τάχος: Et celeritatem auxilij.) *Monemur & conuincimur hoc ampliſſimo regij Prophetæ teſtimonio atq; exemplo, tum etiam ipſa authoritate diuinæ maieſtatis, quæ per os prophetæ Eſaiæ diſertè affirmat, ſe nobis precantibus adhuc exaudire: ut certò ſtatuamus, idq; exploratum omnino ducamus, ſemper cum precatione noſtra coniunctam eſſe exauditionem Dei. Cur autem liberatio non ſtatim ſequatur, ſed interdum differatur longius, docet uerbum Dei: uidelicet, ut exploretur noſtra conſtantia: deinde, ut creſcat fides, et ardētior fiat inuocatio. Qui enim non ſtatim accipit quod petit, inflammatur & exuſcitatur per moram Dei, ut maiori deſiderio diuinum auxilium expetat. Tum, ut remotis omnibus humanis præſidijs & uſq; adeò aucto periculo, ut in terra iam inueniri auxilium nullū poßit, experiamur immediatè nos à Deo, ſine cauſis ſecundis, iuuari.*

Digitized by Google

ὁ θεὸς τῆς δικαιοσύνης Deus iuſticiæ.) *Vſitata Scripturæ metalepſis, pro eo quod eſt: Deus iuſtificans, ſeu imputans iuſticiam.*

Ἐν δὲ τῷ δωδεκάτῳ: In duodecimo.) *ſcilicet iuxta translationem ſeptuaginta, quam ſequitur Baſilius.*

Ἐπιλήσῃ μοῦ εἰς τέλος: Obliuiſceris mei perpetuo.) *Hebraica phraſis eſt, In finem, id eſt perpetuò. Lucæ 18.* εἰς τέλος, *ne tandem.*

Καὶ ἰδέναι ὅτι οἰκονομία τινι: Certò ſtatuentes diuina quadam diſpenſatione.) *Magna conſolationis pars eſt in morbis, & calamitatibus cæteris, ſcire, non caſu, ſed benigna Dei uoluntate nos caſtigari. ſicut etiam Pſalmus 68 affirmat, cum inquit: Onus imponit nobis Deus, & tamen eſt ſalus noſtra.*

Κατὰ τὴν ἀναλογίαν: Pro modo cuiuſq;.) *Deus in imponenda cruce ſeruat æqualitatem Geometricam: ut iuſtus & æquus diſpenſator, qui ſcit quid quæq; ferat perſona, quidq; recuſet. Ita ergo in hac parte ſtatuamus, Deum non ſolum conuenien s cuiq; imponere onus, ſed nos etiam geſtantes fideliter adiuuare.*

Εἶπεν ἄφρων: Dixit inſipiens.) *In Hebræo eſt Nabal, Stultus, cuius cerebrum languidum eſt, qui de Deo neq; rectè cogitat, neq; loquitur, neq; ſecundum legem eius uiuit. Hic etiamſi Deum apertè non neget, tamen in mente caliginem circumfert, in uoluntate auerſionem, in corde contumaciam aduerſus Deum.*

Εἶπε

Εἰ γὰρ οὐκ ἔστιν: Si enim Deus non eſt.) *Gradatio: Impatientia gignit dubitationem de Deo, dubitatio de Deo parit tandem deſperationem, ut uel nihil Deum eſſe opinemur, uel nullam auxilij ſpem de eo retineamus. Deſperatio de Deo adfert Epicureum contemptum, & ſecuritatem, quæ eſt dux ad omnia teterrima ſcelera.*

Ἀμήχανον γὰρ: Fieri enim non poteſt.) *Memorabilis Baſilij ſententia, firmißimè in animo tenenda: Excidere is iuſta uia non poteſt, qui de Deo rectè ſentit. Nam uerbum Dei, ex quo ſolo cognoſcitur Deus, regiam uiam monſtrat, & eſt lucerna pedum noſtrorum.*

Παραπλήσιος ἢ τούτῳ: Conſimilis huic.) *Vterq; Deum negat, cum is qui apertè dicit Deum non eſſe, tum ille qui eum authorem mali ducit. Nam qui proprietates Dei, quæ ſunt genuinæ eius eſſentiæ, negat, Deum ipſum negat.*

Πρός τινα ὁμολογουμένην: Ad principium certum.) ὁμολογούμενον *dicitur, quod in confeſſo eſt, quod ſine dubitatione conceditur. inde* ἀρχὴ ὁμολογουμένη, *principium communi conſenſu comprobatum: qualia in primis ſunt, quæ de Deo pronunciantur.*

Ineſcati.) *Diabolus fructum arboris ſpecioſum, tanquam eſcam, primis parentibus propoſuit, ut incautos caperet: ita ſemper nobis etiam eſcam uoluptatis obijcit, per quam maximam generis humani partem in fraudem allicit.*

κακὸν τοίνυν: Eſt itaq; aliud malum.) *Mali appellatio duplex eſt. Aliâs natura malum ſignificat, quod diuinæ uoluntati aduerſa fronte repugnat. aliâs id denotat, quod reſpectu noſtri ſenſus malum & laborioſum eſt: ut afflictiones & tribulationes, quæ noſtra quidem exiſtimatione malæ ſunt, quòd acrem doloris ſenſum imprimunt: ſed reuera bonæ ſunt, quia ſunt conciones pœnitentiæ, & duces ad ſalutem.*

Πρὸς τὸ συμφερὸν: Propter noſtram vtilitatem.) *Celebre eſt Auguſtini dictum: Tam bonus eſt Deus, ut nullo modo permittat malum, niſi inde nouit elicere bonum.*

Τὰ μὲν τέμνοντι: Si alia ſecet.) *Iuxta Hippocratis aphoriſ. ultimum ſect. ultimæ: Quæcunq; non ſanant medicamenta, ea ſanat ferrum: quæ non ſanat ferrum, ea ſanat ignis: quæ non ſanat ignis, ea incurabilia putare oportet.*

κτίζων κακὰ: Creans mala.) *Scilicet pœnæ. Hic obſeruent ſtudioſi ſolutionem obiectionis geminæ. Prior eſt: Creatio eſt opus ſolius Dei:*

Mala ſunt creata: Ergo,

Mala ſunt Dei opus. Minor probatur teſtimonio Eſaiæ. Altera eſt: Creare eſt, aliquid ex nihilo facere:

Deus inquit, Ecce creo nouum cœlum. Item Dauid orat, Cor mundum in me crea Deus. Ergo,

Deus ex nihilo producet nouum mundum in uniuerſali conflagratione, quæ fiet in extremo Die. Item cum Dauid inquit, Cor mundum crea in me: petit ſe prius aboleri penitus, ut deinde ex nihilo iterum producatur nouus.

Prioris

Prioris obiectionis ſolutio. Reſpondeo ſimpliciter ad Minorem: *Mala ſunt creata, ſcilicet pœnæ, quas Deus iuſto iudicio nobis propter peccata infligit.*

Ad alteram reſpondeo, & quidem ad Maiorem, per diſtinctionem. Eſt enim maior uera tantum ex parte. Baſilius in epiſtola ſeu Apologia ad Cæſarienſes, tres creationis modos recitat: unum, quo quid ex nihilo fit: ſecundum, quo quid in meliorem ſtatum reſtituitur: tertium, quo mortui diuinitùs recepta uita reſuſcitãtur. Τρεῖς κτίσεις εὑρήκαμεν ὀνοσαζομένας ἐν τῇ γραφῇ. μίαν μὲν καὶ πρώτην, τὴν ἀπὸ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγωγήν. δευτέραν δὲ, τὴν ἀπὸ τοῦ χείρονος εἰς τὸ κρεῖττον ἀλλοίωσιν· τρίτην δὲ, τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν.

ἀποκτενῶ, καὶ ζῆν ποιήσω: Occido & viuifico.) *Semper in animo & ore habeamus hæc dulciſſima dicta, quæ crucis utilitatem nobis commendant: Occido ut uiuificem, percutio ut ſanem, afflixi te ut beneficiam. Item, Ærumnæ uelut moles oppoſita fluctibus, inhibent flagrantes cordis ad peccandum impetus. Item, Crux peccata ſiſtit, & eorum incrementa intercipit. Item, Ideo mala à Deo immittuntur, ut uera mala tollant, & eradicent.*

ἐκ τῆς ἡμετέρας προαιρέσεως: A noſtra voluntate.) προαίρεσις *eſt, ſponte uelle aut nolle honeſta, aut inboneſta præcedente deliberatione: ut eſt in tertio* ἠθικ. *Cõplectitur igitur* προαίρεσις *utrũq; et mentis iudiciũ, et uoluntatis libertatẽ. Hinc perſpicuũ*

eſt,

eſt, hominem liberè peccaſſe, primùm quidem in mente & uoluntate, quia falſam interpretationem mandati Dei factam à diabolo, approbauit, eiq; aſſenſus eſt. Deinde, præbuit cætera quoq; membra ſerua peccati, cum contra uerba mandati diuini fructum arboris decerperet, & ederet.

τῶν δὲ λοιπῶν τὰ μὲν: Reliqua autem mala.) Vſitata & nemini ignota eſt diuiſio afflictionum in quatuor genera: quorum primum eſt δοκιμασία. Vt afflictio Iob, carcer Ioſeph. hanc Baſilius uocat ἀγώνισμα εἰς ἐπίδειξιν ἀνδρείας, id eſt, pietatis & uirtutis exercitium. II. τιμωρία, quam hic uocat θεράπειαν τῶν ἡμαρτημένων, id eſt, medelam peccatorum, quia per hoc genus punit Deus certa delicta, ut exilium Dauid. III. μαρτύριον, id eſt, teſtimonium profeßionis & immortalitatis: quia Eccleſia in hac uita durius affligtur, quàm reliqua mundi pars, ſicut ſcriptum eſt: Iudicium à domo Dei incipit. Eſt igitur afflictio euidens & illuſtre teſtimonium præſentiæ & dilectionis Dei erga nos, ſicut argumentatur Epiſtola ad Hebræos 12, per contrapoſitionē: Quos pater diligit, hos caſtigat, ergo quos non caſtigat, nō diligit, ſed iudicat eſſe ſpurios. IIII. λύτρον, q. eſt preciū, quo captiui redempti dimittuntur: hoc perſoluit ſolus filius Dei, qui uenit ut daret animā ſuam redemptionem pro multis, Matth. 20. Sic igitur in afflictionibus cogitemus, idq; nobis omnino perſuadeamus, eas eſſe exercitium fidei, inuocationis, patientiæ, & conſtantiæ. Eſt enim Crux, ſchola ſalutaris: uel, ut

uel, ut Baſilij utar uerbis, διδασκαλεῖον καὶ παι-
δευτήριον τῆς θεογνωσίας καὶ τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν.. In hoc gymnaſio ſiue exercitio, non dici poteſt quanta ſit lucta carnis aduerſus ſpiritum. Caro enim natura fugit & reformidat lacerationem, & doloris eſt impatiens: ideo cor angitur, & tot tantaſq; habet perturbationes, quot æſtus, quantaſq; fluctuum agitationes nullus Euripus habere poteſt: quia expetit opem, quam cum non ſtatim inuenit, ad inconceſſa ſæpe extimulatur præſidia, ob doloris impatientiam.

Vt enim in tempeſtate fluctuum concurſus fit, &

Vnà Euruſq; Nothuſque ruunt, creberq; procellis
Aphricus, & voluit vaſtos ad littora fluctus:

ita in pauoris, grauibus morbis, & alijs magnis calamitatibus augeſcit tentatio, & intenditur pugna. Hic apprehendenda ſunt, & firmiter retinenda, duo illa ἀμυντήρια, quæ Paulus deſcribit: uerbum Dei, & precatio. Oportet enim nos aſſentiri uerbo Dei & promiſsioni, ita ut auelli nos inde propter nulla contraria, quæ ratio oſtendit, patiamur: ſed prorſus ſimus tales, qualem Poeta deſcribit:

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit.

Cum hac πληροφορία, coniungenda eſt frequens, aſsidua & indefeſſa precatio, quam nullus pauor labefactet, nulla defatigatio intercipiat, nulla deniq; uis aut deſperatio impediat: ut ibi etiam auxilium Dei abundè expectemus, ubi auxiliandi rationem oculis noſtris nullam proſpicimus. Debemus enim eſſe parati ad qui-

Digitized by Google

ad quiduis perpetiendum, dummodo hoc ſubinde animo & ore precemur & ingeminemus:

Non ego dura pati diſcrimina mille recuſo:
Sed ne deficiam, ne ſæuo vincar ab hoſte,
Tu mihi præſtò veni, tu robora ſuffice preſſo,
Item: —*Da neſcia frangi*
Pectora, da vires animis, &c.

Sitq; pectori altè infixa uox plena ſpiritus, quæ ex uiri ſanctiſsimi pectore, tanquam ex ſacro cœleſtiq; fonte dimanauit: Etiamſi occiderit me Dominus, tamen ſperabo in eum. *Vide confidentiam,* καὶ πληροφορίαν. *Ex his, quanta ſit dignitas atq; utilitas crucis, non difficulter æſtimari poteſt. Nam in afflictionibus cum* Deo *congredimur, & per fidem eum uincimus, ut promiſſa & expetita bona reddat. Ac quia hic congreſſus glroioſum habet exitum, meritò in cruce lætamur & gloriamur, quantumuis caro & mundus aduerſa fronte repugnet. Sed hæc relinquo in medio, cogitanda ſingulis.* Non *enim poſſunt exhauriri, aut uerbis exponi. ſed in* Schola Spiritus *ſancti, hoc eſt, in cruce diſcuntur.* Neq; *hic locos doctrinæ* Chriſtianæ *tradere inſtitui: ſed annotare tantum præcipua uelut capita, ſeu (ut poeta inquit) ſumma faſtigia rerum perſtringere conor.*

ὁ Δόθαν καὶ ἀβειρῶν: Doran et Abiran.) *Hi terræ hiatu abſorpti ſunt, quòd inuaſiſſent ſacerdotum ſine uocatione:* Num. 16. *Huiuſmodi mortis genus legitur in* Ethnicis *quoq; hiſtorijs.* Æſchilus *in tragœdia* ἑπτὰ ἐπὶ θήβαις, *ſcribit* Amphiraum, *uirum*

iuſtum

iuſtum, pium et bonũ, terræ hiatu abſorptum eſſe cũ ſeptem uiris & ſeptem equis, propterea quòd ſe coniunxiſſet cũ ſceleratis uiris, qui aduerſus Thebas *expeditionem ſuſceperant. Sophocles in* Oedipo Coloneo *narrat,* Oedipum, *cæcum & afflictiſsimum ſenem, in exilium à liberis pulſum, placido terræ hiatu ſuſceptum eſſe.* Et *in* Romana *hiſtoria,* Neroni, *immaniſsimæ beluæ, terra dehiſcere uiſa eſt, occurrentibus eorum ſpectris quos interfecerat.*

σκεῦη ὀργῆς Vaſa iræ.) *Vas iræ* Paulo *eſt, organum exitiale, ſeu peſtis generis humani, qua &* Dei *gloria et hominum ſocietas mirabiliter læditur.* Tale *uas iræ fuit* Pharao: *hoc eſt, ut* Chryſoſt: *inquit, fuit homo iram* Dei *ſua duritie & obſtinatione incendens.*

ἐσκλήρυνε. Indurauit.) *Nota eſt phraſis,* Indu*rabat, id eſt, ſinebat indureſcere, ſuo impetu ferri, cum* Deum *audire pertinaciter recuſaret.*

τῆς ἀνοχῆς: Tolerantiam.) *ἀνοχὴ, eſt lenitas* Dei, *non ſeuerè omnia delicta punientis, ſed multa condonantis: ſicut maritus æquus uxoris ſuæ imbecillitates multas tolerat, & diſsimulat: & ſicut pater benignus ad liberorum errata interdum conniuet. id quod pulchrè declarat* Paulus *uno uerbo, cum inquit,* ἐξοποφόρησεν αὐτούς: *id eſt, tolerauit mores eorum.* Actorum 13.

οὐ γὰρ ἀγεννητόν ἐστι: Nõ enim ab æterno eſt.) Diſputatio *de ſubſtantia mali, itẽ unde et quãdo cœperit, huc ſpectat: ut ſi ab æterno eſſe fateamur, ad autorẽ* Deũ *referatur: ſin uerò genitũ certo tẽpore dicamus,*

ſimili-

Digitized by Google

ſimiliter ex Deo *eſſe conuincamur, qui ſubſtantias ſeu res omnes condidit. Sed reſpondet* Baſilius, *diſertè affirmans, malum nequaquam eſſe ab æterno: neq; à* Deo, *ſicut cætera, eſſe conditũ: ſed acceßiſſe ad naturam optimè antè conditam, in eaq; hærere, tanquam cæcitatem in oculo.* Et *definit malum ſimpliciter quòd ſit priuatio boni, quod debebat ineſſe ſubiecto, id eſt homini.*

ὡς ὁ τῶν ἀσεβῶν: Sicut impij) *Manichæi impiè finxerunt duo principia pariter æterna,* νοῦν καὶ ὕλην.

Πῶς τὸ κακὸν ἐκ: Quomodo poteſt malum ex.) *Quia* ἅπαν τὸ χρηστὸν τὴν ἴσην ἔχει φύσιν, *omne bonum æqualem habet naturam.*

Λελυμένην γάρ: Cum enim ab omni neceſſitate.) *Inter alia bona quamplurima, quib.* Deus *hominem in creatione ornauerat, inſeuit etiã libertatem agendi, ut ſe flectere homo in quam partẽ uellet, poſſet: non quidem ut* Deo *repugnaret (id enim* Deus *aperto mandato prohibuerat) ſed ut ſpontaneam præſtaret obedientiam ſuo* Creatori. Hanc *facultatem hic uocat* Baſilius αὐτεξούσιον ὁρμήν, καὶ ζωὴν αὐθαίρετον, καὶ προαίρεσιν Hinc *ſolui poteſt uſitata obiectio,*

Qualis perſona, talis actio:

Adami perſona fuit iuſta: Ergo,

Actiones eius ſunt iuſtæ. Reſpondeo *ad Maiorem: ſcilicet, quoad propoſitum tale agendi retinet.* Deinde *Adam fuit iuſtus: ſed habuit libertatem, ut poſſet integritate & rectitudine ſui iudicij & uoluntatis*

Digitized by Google

luntatis Deo *obedire, uel contra* Dei *mandatum iudicio & libertate ſuæ uoluntatis abuti ad peccandum.*

τὴν διάλυσιν: Migrationem per mortem.) Διάλυσις, *diſceſſus, interitus, diſſolutio.* Eſt *enim mors* δυοῖν πραγμάτοιν διάλυσις, τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος ἀπ' ἀλλήλοιν *diſſolutio animi & corporis, ut* Plato *definit.* Obiectio:

Mala non ſunt permittenda, cum prohiberi poſſunt:

Mors eſt mala: Ergo,

Non *permittenda, ſed prohibenda fuit.* Reſpondeo *ad* Minorem: Etſi *mors eſt malum pœnæ, quæ propter peccatum, miſerum genus humanum cruciat & necat: tamen quo ad finalem cauſam in hac corrupta natura, non eſt mala, ſed immenſa* Dei *bonitate conuerſa in bonum.* Quare *etſi corpus morte affligatur, & extinguatur: tamen anima per promißionem de* Meßia *ſaluata eſt: & corpus ipſum tandem in extremo die colligetur, & iterum animæ copulatum uiuet in æternum.* Bona *igitur eſt mors, quia finem affert omnium calamitatum, quibus hæc uita propter peccatum obnoxia eſt.* Et *rectè dicitur mors* Chriſtianorum κάθαρσις φαρμακευτικὴ τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος, *repurgatio ſaluberrima animæ & corporis.*

ἀλλὰ διατί: Sed cur. *Alia obiectio,* Cur Deus *non ita crearit hominem, ut labi prorſus non poſſet?* Huic *reſpondet* Baſilius: Deum *uoluiſſe, ſpontaneum cultum & obedientiam præſtari & declarari ab homine.*

πόθεν ὁ διάβολος: Vnde eſt diabolus) *Diabolus ex angelo lucis, factus eſt ſpiritus impurus & mendax, propria uoluntate, inflatus nimirum ambitione & ſuperbia: adeò ut honorem filio Dei debitum affectare non dubitaret,* ἐπιθυμίαν ἔχων (*ut* Baſi*lius inquit*) πρὸς τὸ ὁμοιωθῆναι τῷ θεῷ, *ſicut latius docet* Scriptura *ſancta*. Nam *hæc non uolo eſſe commentaria aut* ἐξήγησιν, *ſed* ὑπομνήματα *tantum breuiter indicantia, & uelut digito monſtrantia rerum capita.*

Διατί δ' οὐκ: Sed cur non.) N*uditas membrorum ante lapſum, fuit ſummum ornamentum hominis, & euidens nota integritatis naturæ, carentis omni praua concupiſcentia & deformitate.* Poſt *lapſum uerò nuditas fuit, & nunc eſt, horribilis priuatio iuſticiæ & ſanctitatis, in animo & corpore.* E*ſtq́; indicium impuritatis: quod primi parentes ſatis in eo indicant, quòd ſeſe abſcondunt, ubi nudos ſe eſſe deprehendunt.* Porrò *ueſtitus iſte, qui membra nunc, poſteaquam fœdũ cœperunt habere aſpectum, tegit, ſignum eſt reatus.*

Διάβολος δ': Diabolus autem.) N*omen diaboli, eſt à calumniando: quia, ut* C*hryſoſtomus ait,* καὶ θεὸν πρὸς ἀνθρώπους διαβάλλει, καὶ ἡμᾶς πρὸς θεὸν, καὶ πάλιν ἡμᾶς αὐτοὺς πρὸς ἀλλήλους. *hoc eſt,* Et D*eum apud homines, & nos apud Deum, & ipſos homines inter ſe deformat calumnijs.*

τὴν φλογίνην ῥομφαίαν: Flãmeum gladiũ.) E*iectis primis parentib. ex* Paradiſo, *collocatus eſt angelus*

gelus, gladio armatus, in aditum Paradiſi, ne quis ingredi in eum poſthac tentaret. Vt autem terribile illud fuit ſpectaculum, cõmonefaciens nos de exilio primorum parentũ, & totius poſteritatis, ſpoliatæ iucundiſsimo domicilio, & ſede beatitudinis & uoluptatis plena: ſic contra lætiſsimum eſt ſpectaculum filij Dei, qui ideò in mundum uenit exul, ut nobis exulibus reditum illuſtrem in cœleſtem Paradiſum quaſi poſtliminij iure reſtitueret.

¶ Quia hæc pro ſtudioſis ſcripſi, quorum cauſa nullus labor iniucundus uideri doctis debet: ſubijciã etiam in fine uelut προσθήκης μέρος, integram œconomiam, ſeu seriem partium Oratiunculæ, eiuſdem cum hac Baſilij argumenti, iuxta artis præcepta: ut materiam habeant, in qua ſtilum exerceant.

EXORDIVM A CAVSA.

πρότασις.

QVia natura noſtra horribiliter à Deo euerſa eſt, oportet nos ſeriò cogitare & amplecti uerbum Dei, in quo reconciliatio cum Deo, & reſtitutio in priſtinam dignitatem, per Chriſtum parta nobis exhibetur. κατασκευή.

Niſi enim ex uerbo patefactam Dei erga nos uoluntatem cognoſcamus, & apprehendamus: nihil certi de Deo ſtatuere, neq; quicq̃ boni ab eo ſperare in tentationibus, morbis, et grauibus calamitatibus poſſumus.

Occupatio.

Etſi autem ex creaturis quoq; eſſentia Dei æterna,

potentiaq́; immenſa perſpici poſſe uideatur: tamen cũ de benigna eius uoluntate & miſericordia erga nos immundos, propter Chriſtum promiſſa, item de Spiritus ſancti auxilio & conſolatione ex creaturis nihil iudicari poßit, manifeſtum eſt ex ſolo Dei *uerbo ueram de* Deo *noticiam hauriendam atq; petendam eſſe.*

Ἀπόδοσις.

Cum igitur non aliunde quàm ex ſacroſancto Dei *uerbo, cognoſci eſſentia & uoluntas* Dei *benigna & paterna erga nos poßit: magna profectò cura nobis in id incumbendum eſt, ut ex puro* Dei *uerbo rectè* D*eum cognoſcamus, & quomodo erga nos in proſperis pariter & aduerſis rebus affectus ſit, exploratum habeamus: ne aliter de eo ſentiamus, aut alio modo eũ colore ſtudeamus, quàm ipſe in ſuo uerbo ſe patefecit, & nobis præcepit.*

Propoſitio, cum ἀξιώσει.

N*eceſſarium itaq; eſſe duxi, ueris, perſpicuis & firmis argumentis ex uerbo* Dei *ſumptis, probare & aſtruere,* D*eum ſemper eſſe bonum et beneficum erga nos miſeros homines: neq; malorum, quæ in genere humano tantoperè graſſantur, ullo modo autorem eſſe.* I*dq́; dum partim mei ipſius, partim ueſtri confirmandi & conſolandi cauſa præſtare conor, rogo ut benignè attenteq; me audiatis.*

CONFIRMATIO.

I. Argumentum ab authoritate.

Deus

Digitized by Google

Deus omnia condidit ualdè bona. Gen.1.

II. A parte principali creaturarum.

Creauit hominem ad imaginem ſuam.

III. A mandato Dei.

Deus prohibuit peccatum grauiter: Quocunq; die comederitis, &c. Gen.2.

IIII. A pœna diuina, quæ lapſum ſecuta eſt.

Reprehendit & punit lapſum.

V. A reſtitutione hominis lapſi in integrum.

Promittit & conſtituit ſemen, hoc eſt, Meßiam, qui malum per lapſum inuectum et accerſitum tollat. Item, uocat ad pœnitentiam omnes homines, offerens uitam & iuſticiam.

VI. A prouidentia ſeu actionibus Dei.

Plurima mala cogitata & ſuſcepta à diabolis & malis hominibus, auertuntur & impediuntur à Deo. Geneſ.50. Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus uertit in bonum.

VII. A teſtimonijs Scripturæ.

Iob.34. Abſit à Deo impietas, &c. Pſalmo 5. Quoniam non Deus uolens iniquitatem tu es.

VIII. A natura boni & mali.

Bonum eſt communicatiuum ſui, malum uerò deſtructiuum. Cum igitur Deus condiderit hominem, eiq; ſua bona communicet, bonum eum eſſe manifeſtum eſt.

IX. Ab utili & inutili.

Digitized by Google

Deus nullam capit uoluptatem ex noſtris malis, ſed lætatur noſtris commodis, ſalute & uita: quemadmodũ econtrà calamitate & lapſu noſtro offenditur.

X. Ex contrarijs.

Nuſquam ſe in ſuo uerbo inuidum, maleuolum, inimicum: ſed ubiq; benignum φιλάνθρωπον, χρηστὸν καὶ πατέρα ἤπιον *depingit & declarat. Talis cum ſit: ſequitur, malum ab eo non eſſe, alioqui ſequeretur implicatio contradictoriæ.*

XI. Ab exemplo.

Non patitur στοργὴ *paterna in hominibus, ut petentibus & indigentibus liberis pater mala tribuat. Deus eſt pater, gaudetq́; patris pietate probari. Ergo, &c. Hæc eſt anchora firmiſſima in grauibus ærumnis & doloribus, ut ita animum noſtrum inducamus & confirmemus penitùs: Pater es: Ergo non potes malefacere.*

XII. Ab attributo Dei.

Πιστὸς *is dicitur, qui beneficus eſt, & uerax. Deus eſt* πιστός: 1. Cor. 10. *Ergo certiſſimè benefacit nobis, præſtans auxilium & ſolatium.*

XIII. A teſtimonio Platonis.

Citatur etiam pium Platonis dictum ex 2. Πολιτειῶν: κακῶν δὲ αἴτιον φάναι θεὸν τινὶ γίγνεσθαι, ἀγαθὸν ὄντα, διαμαχετέον παντὶ τρόπῳ, μήτε τίνα ταῦτα λέγειν ἐν τῇ αὑτοῦ πόλει, εἰ μέλλει εὐνομήσεσθαι, μήτε τίνα ἀκούειν, μήτε νεώτερον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε ἐν μέτρῳ, μήτε ἄνευ μέτρου μυθολογοῦντα. ὡς οὔθ' ὅσια ἂν λεγόμενα, εἰ λέγοι-

Digitized by Google

λέγοιτο, οὔτε ξύμφορα ἡμῖν, οὔτε ξύμφωνα αὐτὰ αὐτοῖς. Malorũ autem alicui cauſam eſſe ipſum Deũ, cum bonus ſit, refellendum eſt omnino. neq; permittendum hoc quenq̃ dicere in ſua ciuitate, ſi bonis inſtitui legibus ciuitas debet. neq; inſuper quenquam audire, ſiue ſit ille iunior, ſiue ſenior, ſiue carminibus hæc inſerantur, ſiue ſoluta oratione narrentur, tanquam quæ neq; dictu ſancta ſint, neq; nobis utilia, neq; inter ſe conſona. Huc non incptè etiam referri poteſt Homeri dictum Ody α.

Ἐξ ἡμέων γὰρ φασι κακ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν, ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.

Ex nobis enim dicunt mala eſſe: uerùm ipſi proprijs ſceleribus, præter fatum, calamitates habent. Itẽ Odyſſ. ξ.

Οὐ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι.

Non quidem turpia facta Dij beati amant. Hæc quamuis ab ethnicis prodita ſunt: tamen quia cum dictis Scripturæ conſentiunt, & reliquiæ ſunt haud dubiè ſanctorum Patrum doctrinæ, quæ utcunq; in poſteris hæſerunt, ualere etiã aliquid apud nos poſſunt.

CONFVTATIO.

Obiectio I.

Deus ipſe inquit, Se creare mala.

Solutio fit, per diſtinctionem mali.

II.

Pſalmus inquit: Dixit inſipiens in corde, Non eſt Deus. Omnes ſumus inſipientes: Ergo, non poſſumus aliter ſtatuere, quàm Deum non eſſe, aut certè mala ab eo proficiſci.

Digitized by Google

Reſponſio: Fateor *eſſe tantam hominis prauitatẽ, ut* Deum *uel in corde neget, uel bonum eſſe non credat per ſe. Sed* Chriſtiani *audiunt uerbum* Dei, *& reguntur* Spiritu *ſancto, qui dubitationem de* Deo *tollit, & in omnem ueritatem nos ducit.*

III.

Morbi, mors, & calamitates cæteræ ſunt à Deo. Ergo, *malorum cauſa eſt* Deus.

Reſpondeo, per diſtinctionem. Deus *quidem huiuſmodi pœnas nobis immittit propter peccata, ſed in finem utilem & bonum.*

IIII. Ab exemplis.

Multi ſapientes dubitarunt de Dei *prouidentia: & adhuc dubitant, An bonus ſit: cum uident ſceleratos florere, bonos uerò duriter exerceri.*

Diogenes dixit: Harpalum *dicere uiuum teſtimonium contra* Deos,*quòd in magnis uoluptatibus poſt multa nefaria facinora uiuebat.*

Reſponſio: Non *exemplis, ſed certo* Dei *uerbo iudicandum eſt, in quo* Deus *non obſcurè ſe patefecit.*

V.

Euripides in Hippolyto: *Conſentaneum eſt, homines peccare* Dijs *immittentibus.*

Huc pertinet refutatio Stoicorum *&* Manichæorum, *qui neceſſariò bonas & malas actiones fieri impiè ſenſerunt,ſublata prorſus humanæ uoluntatis libertate in agendo.*

Hæc ferè ſunt,quæ abundè mihi probare ſuſceptũ argumen-

Digitized by Google

argumentum uidentur, & uindicare Deum *à contumelia, quæ aſſerit, eum malorum authorem eſſe.*

Acquieſcamus igitur in his, & muniamus pectora noſtra contra dubitationem, diffidentiam, & deſperationem de Deo *: qui tam bonus, benignus, & miſericors eſt, ut iuret ſe ex animo expetere noſtram ſalutem, & daturum ſe nobis omnia ſua bona cumulatè, in hac & futura uita.*

CONCIO BASILII MA-gni, de Ira.

I.

Argumentum Orationis.

PRimum *eſt illuſtris interpretatio quinti præcepti decalogi, digito monſtrans & obſtruens fontem diſsidiorum, rixarum, contentionum, inimicitiarum, conuiciorum, iniuriarum, & reliquorum peccatorum, quæ in quinto præcepto damnantur.* Secun*dò complectitur & luculentè exponit, quicquid de ira concitatiſsimo affectu* Scriptura *cœleſtis, & philoſophia paſsim pertractat.* Ita *enim confecta eſt oratio, & neruoſa, ut nihil dici poſsit de ira perfectius & utilitate uberius.* Tertiò *non ſolùm fontem diſsidiorum & multorum tragicorum malorum aperit, oſtendendo magnitudinem huius perniciosiſsimi uicij: ſed remedia etiam iſti morbo uehementiſsimo opponenda inſigniter monſtrat, quibus ſanari poſsit atq; ſedari.*

Digitized by Google

II.

Ira ſeu iracundia eſt uitium oppoſitũ leniati ſeu miſericordiæ Sunt enim huius uirtutis duo contraria uitia: alterum ὀργιλότης, id eſt, iracundia, quæ eſt exceſſus, iraſcens quibus & propter quas cauſas non decet, tum uehementius etiam, citius & diutius quàm par eſt & conuenit. alterum ἀοργησία, non ſuccenſens ob eas cauſas, ob quas ſuccenſere decet.

III.

Defin tio.

Ira eſt motus cordis, ortus ex triſticia, ſiue offenſione aliqua, ad propulſandam et uindicandam iniuriã ſtimulans. Ariſtoteles iram uocat accenſionem ſanguinis circa cor. Partes in hac definitione ſunt duæ, triſticia ſcilicet orta ex accepta aliqua iniuria: & ardens uindictæ cupiditas. Nam ex commixtione horum duorum affectuum naſcitur ira.

Cauſæ quæ ab ira nos deterrere debent.

I. Eſt autoritas Dei ſeueriſſimè prohibentis iram.

II. Ordinatio Dei, qui ſibi ſoli uindictam uendicat.

III Eſt exemplum patris noſtri, & filij eius Ieſu Chriſti, non pro ſuo iure nobis iraſcentis, ſed immenſa miſericordia condonantis nobis omnia delicta.

IIII. Neceſſitas precationum, quæ fieri non poſſunt, ubi ira in animo ardet.

V. Ne iraſcendo expellamus Spiritum ſanctum, & occaſionem præbeamus diabolo, qui ex ira longam telam grauiſſimorum peccatorum texere ſolet.

VI. Vt

VI. *Vt parcamus infirmiſsimo uaſculo corporis proprij, quod ira perinde ut fulmine quodam percellitur, labefactatur & corrumpitur.*

VII. *Ne noſtro exemplo alios offendamus.*

VIII. *Ne caſus tragicos nobis & alijs attrahamus, ut multi incenſi cupiditate uindictæ, uel patriæ bellum intulerunt, ut* Coriolanus: *uel inconceſſa præſidia quæſiuerunt, ut* Græci *imperatores* Turcas *attraxerunt.*

IX. Dignitas *uirtutis ſeu profeſsionis noſtræ, quæ tantum ualere apud nos debet, ut omnium iniuriarum obliuiſci malimus, quàm ab ira turpiter uinci.*

X. Exempla *eorum qui forti magnoq; animo iniurias ferre maluerunt, quàm priuatæ cupiditati cum ſuo & aliorum detrimento indulgere.* Camillus *maluit afflictæ patriæ, quàm ſuæ iniuriæ memor eſſe.* Ideo *alter* Romulus *appellatus eſt.* Liuius *libro* 5. Decad. 1.

CONCIO

CONCIO DIVI BASILIJ magni contra iraſcentes.

Exordium a ſententia com muni per cõparationẽ artis medicæ & cœleſtium dictorum.

VT medicarum præceptionum, cũ ſcitè & ratione artis vſurpantur, tum demum vtilitas cernitur, cum experientiæ teſtimonium acceſſerit: ita ſpiritualium exhortationũ vis & vtilitas ad emendationem vitæ & profectum eorum qui obediunt, tum demum apparet, cùm re euentuq́ꝫ comprobantur ea quæ præcepta ſunt. Cum enim audimus perſpicuam in prouerbijs aſſeuerationem, quod ira perdat etiã ſapientes: item quod Apoſtolus monet, Omnis ira, indignatio, & vociferatio tollatur à vobis cum omni malitia: aut etiam quod Dominus dicit, Qui iraſcitur temerè fratri ſuo, obnoxius eſt iudicio: tum demum admirandum harum diuinarum doctrinarum & præceptionum fructum intelligemus, cum aliquando ipſi hunc affectum, qui non in nobis naſcitur, ſed foris tanquam inopinata quædam procella ingruit, experiemur.

Accommodatio ad inſtitutum de ira.

Ita ſi in quiete didicerimus deformẽ eſſe habitum eorum qui ira corripiuntur, & poſtea ipſi locum iræ damus, perinde vt flumini violento datur tranſitus: reipſa experimur, quàm conuenienter illud dicatur, quod vir iracundus non ſit decorus.

Ratio ab effectu.

Cum enim ſemel is affectus rationem peruertit, animæq́ꝫ dominatum

aſſum-

aſſumſerit, prorſus hominem efferat, & ne hominem quidem eſſe ſinit, dum ratione non amplius regitur. Quod enim venenoſis eſt venenũ, Id irritatis eſt indignatio: feruntur impetu, exiliunt, & canum ritu inſaniunt, exerunt aculeos vt ſcorpiones, mordent vt ſerpentes. Vnde & Scriptura iratos beluarum nomine appellare ſolet, quibus prauitate ſimiles ſunt. Appellat enim eos mutos canes, & ſerpentes, tum viprarum progeniem, & huiuſmodi alijs nominibus. Nã qui ad perniciem mutuam parati ſunt, & ad cõtribulium ſuorum detrimentum, meritò beſtijs & venenatis animalibus annumerantur, quibus natura implacabile odium ineſt. Propter indignationem lingua effrenis eſt, os incontinens, manus impotentes. Iniuriæ, contumeliæ, maledicta, verbera, & affectus alij, qui ne recenſeri quidem omnes poſſunt, ex ira & indignatione tanquam ſoboles naſcuntur. Ex indignatione enſis ſtringitur, & mortem ipſam homo homini molitur. Hæc facit vt fratres ſeſe mutuò non agnoſcant, parentes etiam & liberi naturalium affectionum obliuiſcantur. Seipſos enim primùm irati non nouerunt, deinde nec alios propinquos vllos. Vt enim torrens ad caua loca confluens, obuia quæq; ſecum trahit: ita iratorum impetus violenti ſunt, & temerè per omnia graſſantur. Non caniciem indignabundi reuerentur, non vitæ bene actæ rationem habent, non

Simile. ὑποτύπωσις.

Nomina iratorum in ſcriptura ab effectu ſumta.

Congeries fœdiſsimorũ malorum quæ ex ira promanant.

Impetus irat velut torrens.

Digitized by Google

non generis propinquitatem curant, non acce-pta beneficia, non deniq; vlli dignitati parcunt. Inſania quædam eſt diuturna indignatio: nam ſeipſos homines ſæpe in manifeſtum malum præcipitant, dum vindictæ cupiditati indulgent, nec ſalutis ſuæ vllam rationem ducunt. Percelluntur enim recordatione acceptæ iniuriæ, veluti æſtro, palpitante nimirum in illis, & quaſi ſaliente animo præ indignatione: nec prius deſiſtunt, quàm malum aliquod ei, à quo irritati ſunt, dederint: aut ipſi fortè, ſi ita caſus ferat, aliquid paſsi ſint. Quemadmodum ſæpe, quæ violento motu dirumpuntur, ex contrariorum colliſione potius detrimentum accipiunt, quàm inferunt. Quis magnitudinem huius mali efferat? quomodo hi qui celeriter flammas indignationis concipiunt, quacunque occaſione accenſi vociferentur, ſæuiant, & venenata beſtia rabioſiores euadant: non deſiſtentes, priuſquam per ingens & immedicabile malum, ira tanquam bulla ex ipſis effuſa, ardoris impetus ſedetur. *a* non enim gladij acies, non ignis, non aliud terribile quicquam ſatis potens eſt ad comprimendam animam, ira velut inſania, æſtuantem, non aliter profectò, quàm ſi quis à diabolo obſeſſus eſt, à quo neque habitu, neque animi affectione differunt iraſcentes. Qui enim vindictæ cupiditate flagrant, his feruet ſanguis in corde, quaſi quodã

Deſcriptio iræ a forma & effectu.

Voces & geſtus iratorũ.

Iracundia nõ niſi dato acceptoue malo conquieſcit: Iſocrates in oratione ad Philip.

a Impetus iratorũ nulla vi cohiberi poteſt.

igni

ſigni vehemente conturbatus & æſtuans. Cum verò ad exteriora exundat, alia forma irati apparet, conſueta illa & nota, tanquam perſona in ſcena, commutata. Etenim oculi proprij & conſueti non agnoſcuntur, aſpectus efferatus eſt, ignem præ ſe ferens: ſtrident dẽtes, perinde vt ſues hoſtibus obuiam euntes: facies liuida eſt, & ſuffuſa ſanguine: corporis moles intumuit: venæ diſruptæ ſunt, agitato intus ſpiritu tanquam à fluctuatione: vox aſpera & intenta nimium: ſermo confuſaneus & temerè excidens, ſine diſpoſitione, ſine ordine, ſine perſpicuitate procedens. Cum verò ad immedicabile aliquod malũ, materiæ copia tanquam flamma affatim ab irritantibus ſuppeditata, extimulatus fuerit, tunc ea ſpectacula videas, quæ neque verbis explicari, neque reipſa tolerari poſsint: manus contra propinquos erectas, & omni è parte corporis protentas: pedes temerè in obuia quæque proſilientes: denique quidquid occurrit, telum fit inſaniæ. Quòd ſi in alium iratum ſimili malo inſaniæ conflictantem, ſibique reluctantem inciderint irati: tunc ſanè congreſsi mutuò, ea perpetrant & patiuntur, quæ veriſimile eſt vſu venire his, qui ſub huiuſmodi dæmone militant. Mutilationes membrorum, certè vel mortem etiam ipſam ſæpe iræ præmium digladiantes deportant, dum alter quidem manus iniuſtas inferre cœpit, alter ſeſe defendit

Mutatio formæ iratorum.

Quicquid occurrit irato, telum fit inſaniæ.

Irati militant ſub dæmone.

Præmia iræ ſunt mutilatio, & ſæpe etiam mors ipſa.

Digitized by Google

defendit: alter iterum laceſsiuit, alter cedere noluit: ac corpus quidem plagis interciditur, ſed

Irati nihil ſentiunt.

præ ira doloris ſenſus non percipitur. Nõ enim accepto doloris ſenſu acquieſcũt, ſed anima tota

Epiphonema per exhortationem.

ad vindicandam iuiuriam propendet. Nolite malum malo ſanare, neq; alius alium calamitatibus ſuperare conamini: quia in certaminibus malis inferior eſt qui vincit, propterea quod plus peccati reportet. Ne igitur malæ ſtipis ſis executor, neq; malum debitum peiori fœnore

Subiectiones.

rependas. Iniuriam tibi fecit iratus, tu ſilentio malum ſopi. Verùm dum illius iram tanquam flumen intra cordis tui penetralia ſuſcipis, ventos imitaris, qui quod occurrit reflando à ſe repellunt. Noli inimieo vti præceptore: neq; quem oderis, æmuleris: nec etiam velut ſpeculum te præbeas, in quo ſuam iratus formam contempletur. Rubicundus eſt ille: nónne tu erubeſcis? Oculi eius ſunt ſuffuſi ſanguine: dic quæſo, an tui placidè aſpiciant? Illius vox eſt

Simile de Echo.

aſpera: tua verò eſt mitis? Non certè in ſolitudinibus tam plenè ad loquentem reſilit Echo, quàm ad conuiciatorem reuertuntur contume-

Conuicium cum fœnore ad autorem redit.

liæ. Imò Echo ſonum ipſum reddit, conuicium verò cum fœnore redit. qualia enim ſunt crimi-

Criminationes iratorum per mimeſin.

na, quæ conuiciantes ſibi mutuò obijciunt? Alius obſcurum & obſcuro genere natum vocauit, alius infimum ſeruorum appellauit, alius pauperem, alius mendicum: rurſum alius indo-

ctum

ctum, alius inſanum, vſqueadeò, vt conuicia, ſicut ſagittæ, eos tandem deficiant. Cum autem conuicia omnia per linguam effuderunt, deinceps ad vindictã reipſa procedunt. Indignatio pugnã, pugna conuicia parit, cõuicia plagas, plagæ vulnera, ex vulneribus ſæpe mors ſequitur. Quocirca ab initio ſtatim hoc malum cohibeamus, iram omnibus viribus ex animo euellentes: ſic enim plurima mala tanquam inciſa radice quadam & principio huius perturbationis excindere poterimus. Conuiciatus eſt? tu loquere honorificè. Percuſsit? tu ſuſtine. Faſtidit te & nihil pendit? tu contrà hoc in animo reputes, quòd ex terra formatus ſis, & in eandem iterum redigeris. Qui enim hoc modo animum ſuum præmunit, is nullam ignominiam tantam eſſe, quin veritas ſuperet, inuenier. Ita enim aduerſario omnes aditus ad vindictam intercludes, ſi te inuictum contra conuicia oſtenderis. Tibi ipſi verò inſignem patientiæ palmam conciliabis, ſi ex alterius inſania veræ animi moderationis occaſionem ceperis. Proinde ſi me audis, liberaliter etiam contumelias admittes. Si enim te dixerit obſcurum, ignobilem, & nihili hominem: tu viciſsim dic te eſſe terram & cinerem. Non ſanè præſtabilior es patre noſtro Abrahamo, qui ſeipſum in colloquio cum tribus viris Sodomam proficiſcentibus, his appellat nominibus. Rudem te & pauperẽ nulliusq;

Gradatio.

Principiis iræ obſtandũ eſt, & fons mali obturandus.

Remedia iræ per cõtraria.

Nihil tam humile de nobis dici poteſt, quin veritas ſuperet.

Ab exemplo. Gen. xviii.

Digitized by Google

precij hominem dixit: at tu vermem te eſſe dices, & ex ſtercore ortum, Dauidis vtens verbis. His adde & Moyſi præclarum facinus. Is enim ab Aaron & Miria probris affectus, non ad Deum detulit, ſed pro illis deprecatus eſt. An non mauis piorum & beatorum virorum eſſe diſcipulus, quàm eorum qui maligno ſpiritu repleti ſunt? a Cum incitaris, explorari te exiſtima, vtrum per patientiam accedere ad Deum, an verò per iram aggredi aduerſarium velis. Deliberandi tempus tibi ipſe ſume, vt bonam eligere partem poſsis. Si enim tute te cohibueris, vel aduerſarium tuum manſuetudinis exemplo emendabis: vel ſi contemſeris, grauius vindicabis. Quid enim inimico tuo triſtius accidere poteſt, quàm ſi videat eum, cui infeſtus eſt, celſo animo contumelias deſpicere? ne demiſſo ſis animo, neque committe vt aduerſariorum contumelijs oppreſſus eſſe videaris: ſine, fruſtra te allatret, & in ſeipſo rumpatur. Vt enim ſeipſum lædit, qui percutit eum qui nihil dolet, quòd neque inimicum vlciſcatur, neq; iram ſedet: ita conuicium faciens ei qui conuicia non curat, conſolationẽ perturbationis ſuæ inuenire non poteſt: immò contrà, vt dictum eſt, etiam diſſecatur. Quod enim nomen vterq; veſtrûm ex his rebus mereatur? Ille certè conuiciatoris, tu verò magnanimi: ille irati & ſæui, tu verò longanimis & manſueti: illum pœnitebit eorum quæ locutus eſt,

Pſal. xxii Num. xii. de æmulatione Aaronis & Miriæ aduerſus fratrẽ Moyſen. hãc offenſionem Moyſes inſigni manſuetudine illis remittit. & pro ſorore inſuper etiam intercedit.

a Conuicia ſunt exploratio, pars crucis, qua noſtra patientia probatur & confirmatur.

Magnanimitate opus eſt ad contemnenda conuicia.

Digitized by Google

te vero numquam pœnitebit virtutis. Quid multa? Huic regnum cœlorum occluſit conuicium. Maledici enim regnum cœlorum non poſſidebunt. Tibi verò regnum apparuit ſilentium. Qui enim ſuſtinuerit vſque ad finem, ſaluus erit. *a* Sin autem te vindices, & æquè conuiciando reſiſtas conuicianti, quomodo te excuſabis? Num quòd ipſe prior te irritauerit? Quomodo quæſo hæc verba veniã merebuntur? Non enim minus ſcortator condemnatione dignus eſt, ſi culpam in meretricem, vtpote quæ ad peccandum irritauerit, conferat. Neq; corona in certamine, vbi deſunt aduerſarij, nec ſine hoſtibus ſtrages contingunt. *b* Audi quid dicat Dauid: Cum conſiſteret peccator coram me, non irritatus ſum, neque vltus ſum, ſed obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Tu verò conuicio perinde vt re mala irritaris, imitarisq; illud tanquam bonum. Quod enim in alijs reprehendis, ecce tibijpſi accidit: aut certè alienum malum accuratè perſpicis, tuam verò ipſius turpitudinem non curas. Si malum eſt contumelia, imitari noli. Non enim, quòd alius initium fecerit, ſatis tibi ad excuſandum eſſe poteſt. Immò iuſtiorem quidem mea ſententia incurris reprehenſionem, propterea quòd ille exemplum, quo flectatur ad modeſtiam, non habeat: tu verò cum coràm cernas deformi-

Finis conuiciorum, eſt amiſsio regni cœlorũ: fructus vero patientiæ, eſt poſſeſsio eiuſdem.

I. Cor. v. et vi.

a Maledicta regeſta inexcuſabilia.

Virtutis omnis laus ex actione & conflictu emergit atq; elucet.

b Exemplũ Dauidis ex pſalmo xxxvi.

Exaggeratio per comparationem irati, & eius qui viciſsim illi iraſcitur.

Digitized by Google

formitatem irati, eius tamen geſtus non deuitas, ſed indignaris, ſæuis, & viciſsim iraſceris: fitq; adeò, vt tua ira excuſatio ſit eius qui prior iraſci cœperat. Iiſdem enim rebus quas tu facis, illum culpa liberas, & teipſum condemnas. Si enim malum eſt indignatio, cur non malum declinas? Si verò venia digna eſt, quid ſuccenſes irato? Quocirca etiamſi laceſsitus demum ad vindictã procedis, nihil id tibi proderit. Vt enim in certaminibus, quorum victoriæ præmium corona propoſita eſt, non is qui prius in harenam deſcenderit, ſed qui vicerit, coronatur: ita non condemnandus eſt ſolùm improbitatis dux, ſed ille etiam qui improbo ad peccatum duci obſecutus fuerit. Quòd ſi pauperem te appellauerit, ſi vera dicit, amplectere veritatem: ſi verò mentitur, nihil ad te pertinet. Sicut enim laudibus, quæ à verò aberrant, efferri non debes: ita nec contumelijs, quæ à te alienæ ſunt. Nonne vides ſagittas, quomodo cum corpus durum & renitens contingunt, penetrare ſoleant: cum vero in tenerũ & molle corpus incidunt, propter impetum intercidunt? Non diſsimilia his profectò exiſtimare debes conuicia. Qui enim reſiſtit, ea in ſe tranſmouet: qui vero admittit, & quadam animi manſuetudine illis cedit, collatã in ſe malitiam diluit. Quid vero eſt, quod paupertatis appellatio te perturbet? Memento conditionis tuæ, quod nudus in mundum ingreſſus ſis,

Dilemma: Si mala eſt ira, vitare debes: ſin venia eſt digna, ſuccenſere iratis non decet.

Qui ducit, & qui ſequuntur, pariter ſunt æſtimandi.

Maledicta comparantur ſagittis.

Cõuicio paupertatis opponi debet recordatio noſtræ conditionis.

Digitized by Google

ſis, & nudus iterum egreſſurus ſis. Ac quid nudo pauperius? nihil audiſti nefarium, niſi tibi ipſe accõmodaueris quæ dicta ſunt. Quis vnq; in carcerẽ abductus eſt propter paupertatẽ, neq; paupertas probro eſt, ſed paupertatẽ non animo generoſo ferre. Memento Domini, qui cum diues eſſet, pauper propter nos eſt factus. Si inſipientem & indoctum te appellauerit, illud animo repures, quibus contumelijs veram ſapientiam affecerint Iudæi, cum dixerunt: Samaritanus es, & dæmonium habes. Quod ſi igitur iraſceris, confirmas probra: quid enim ira eſt dementius? Si vero ab ira immunem te ſeruaueris, labem aſperſiſti contumeliæ autori, ipſo facto moderationem declarans. Cæſus es colaphis? cæſus quoq; eſt Dominus. Conſputus es? paſſus eſt idem & Dominus noſter. non enim auertit faciem, quò minus ignominioſè cõſpueretur. Defraudatus es? idem accidit & iudici. Dilacerarunt tibi tunicam? exuerunt quoq; Dominum, diſtribuerunt eius veſtimenta inter ſe. Nondum condemnatus es, nondũ crucifixus, longè adhuc abes ab illius imitatione. Hæc ſingula in animo tuo perpende, vt reprimas iracundiam. Talis enim animi præparatio atq; conformatio efferueſcentes cordis motus ac pulſus tollit, & ad conſtantiam tranquillitatemq; cogitationes reducit. Hinc adeò à Dauide dictum eſt: Paratus ſum, & non ſum turbatus.

Exemplum Chriſti.

Ioan. viii.

Exempla opponẽda ſingulis iniuriæ ſpeciebus, quæ ad iram irritare poſſunt.

Noſtræ afflictiones omnes, quantumuis magnæ & diuturnæ, vix parua ſunt gutta ingentium & ineffabilium dolorũ atq; iniuriarum, quas pertulit filius Dei.

Digitized by Google

Neceſſe eſt igitur, furioſos & præcipites animi motus recordatione ſanctorum exemplorum ſedare. Qua moderatione Dauid tulit debacchationes Semei? Non enim ad iram ſe commoueri patiebatur, ſed in Deum transferens cauſam inquit: Dominus dixit ad Semei, vt malediceret Dauidi. Cum igitur vir ſanguinum & nebulo improbus appellaretur, non acerbè tulit, ſed ſeipſum humiliabat, tanquam iure ſibi ea contumelia accideret. Omnino iſta duo ex animo tuo dele: vt neq; teipſum magni æſtimes, neq; hominem quenquam te admodum inferiorem eſſe dignitate putes. Ita n. nulla vnquam indignatio ob illatas ignominias orietur.

Exemplum Dauidis patientiſsimo animo ferentis maledicta, quibus inſectabatur eum Semei. ii. Re. xvi.

Duo remedia aduerſus iram, ſeipſum extenuare, & aliis honeſta tribuere.

Occupatio.

Graue quidem eſt, eum, de quo bene ſis meritus, & à quo gratia debeatur, non ſolùm gratiam nullam referre, ſed inſuper etiam ignominia & contumelia laceſſere: graue eſt inquam, verùm autori pernicioſius quàm patienti. Sine, maledicat ille, tu contrà conuiciari noli: exercitatio ad animi moderationem ſint hæc uerba. Si enim non commoueris, uulnus nullum accipis: quin etiamſi commouetur animus, in te tamen ipſe triſticiam cohibe. In me enim, inquit Propheta, turbatum eſt cor meum: hoc eſt, non erupit foras affectus, ſed tanquam fluctus aliquis intra littora refractus ſopitus eſt. tranquilla mihi cor latrans & fremens, fac revereantur affectus rationis autoritatem, perinde vt

Solutio per conceſsionē. Ferre conuicia, eſt exercitatio ad virtutem.

Explicatio dicti pſalmi lxv.

Precatio, qua contra vim & impetum iræ vti licet.

vt immodeſti pueri viri grauis præſentiam. Quo pacto igitur emergens ex ira damnum eſfugerimus? Si ante omnia iram cohercebimus, ne rationem anteuertat, dabimusq́; operam in primis, ne vnquam à mentis iudicio aberret, ſed rationi, tanquam domitus equus freno, obtemperet: neq; vſpiam extra modum & finem ſibi conſtitutum prodeat, ſed rationem quocunq; duxerit ſequatur. Eſt enim ad multa virtutis opera neceſſaria vis illa animi, quæ irarum ardorem continet. Cum videlicet inſtar militis, depoſitis apud ducem armis, impigrè mandatas ferendi auxilij operas præſtat, ſociamq́; ſe rationi, ne quid peccet, præbet. Eſtq́; velut quidam neruus animæ indignatio, qua ad reſiſtendum malis intenditur. Si quando enim animam voluptate eneruatam reperit, tanquam ferrum tinctura conſolidatur, ſic ipſa animum nimis diſſolutum ac remiſſum, grauem fortemq́; reddit. Non enim potes improbum ſatis magno odio proſequi, niſi iratus ipſe fueris. Oportere enim exiſtimo eodem ſtudio virtutem amare & peccata odiſſe, ad quam rem maximè eſt vtilis ira: quandoquidem velut canis paſtori, ſic ipſa rationi obtemperans, lenem & obſequentem ſe præbet ſuis commodis, facileq́; conſilio ac ratione in viam reuocatur. Vt enim canis audito vel viſo peregrino exacerbatur, ſi verò familia-

Modus vitandi iræ incōmoda.

Ira quædam neceſſaria ad virtutis opera, ea ſcilicet quæ νέμεσις vel zelus vocatur.

Ira neruus animæ.

Eodem animi ardore vitia odiſſe, & virtutē amare decet.

Simile a cane.

Ira adiuuat rationem, ſi ſe obſequentē præbeat, & militis, non ducis officio fungatur.

ris et amicus aliquis indamet, formidat: ita optimè & rectiſsimè viri ſapientis anima à parte iraſcibili adiuuatur, ſi talem ſeſe præbet, vt inſidiatoribus ſit implacabilis & hoſtis aſsiduus, neq; cum ſuo detrimento amicitiam ſuſcipiat, ſed inſidioſam voluptatem, quaſi lupum quendam latratu perſequatur, & continuo laniet. Huiuſmodi equidem vtilitatem indignatio ſuppeditat his qui rectè vti ea norunt: ſiquidem & aliæ potentiæ ſingulæ, vt ijs vſus fueris, ita vel proſunt vel nocent vtenti. Vt qui ea parte in qua irarum ardor exiſtit, ad carnis & fœdarum voluptatum libidinem abutitur, odio dignus & intemperans habetur: qui vero ad Dei dilectionem æternorumq; bonorum cupiditatem eam conuertit, amore dignus eſt, & beatus. Rurſum qui partem animæ rationalē rectè adminiſtrat, prudens eſt & intelligens: qui vero ad proximi detrimentum mentem acuit, improbè verſutus eſt & maleficus. Non ergo debemus ea quæ nobis ad ſalutem conditoris munere conceſſa ſunt, ad peccati occaſionem transferre. Sic ſanè ira quoq;, cum ira, vt decet, & quando decet, exardeſcit, fortitudinem, patientiam & moderationem importat. Cum vero modū rectæ rationis excedit, fit furor. Inde ſanè pſalmus nos admonet. Iraſcimini, & nolite peccare. Et Dominus temerè iraſcentē iudicij reū facit:

Seria admonitio de vſu donorum Dei.

verùm

Digitized by Google

verùm ſic ira vti, vt medicamenti vice ſit, non prohibet. Nam quod ſcriptum eſt, *a* Ponam inimicitiam inter te & ſerpentem. item, *b* Odio habeto Madianitas: verba ſunt docentis, ira vtendum eſſe ſicut armis. Quocirca Moyſes omnium hominum mitiſsimus, idolatriam vindicaturus manus Leuitarum in fratrum cædem armauit. Accingat, inquit, vnuſquiſq; gladium ſuper femur ſuum, & tranſite à porta ad portã, & redite per caſtra, & occidat quiſq; fratrem ſuũ & propinquum. Et paulo pòſt additur: Dixit Moyſes: Impleuiſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſq; pro filio ſuo & fratre ſuo, vt detur vobis benedictio. Quæ vero res iuſtificauit Phineas? Nonne iuſta indignatio aduerſus fornicantes? Etiamſi enim alioqui vir eſſet æquus & lenis: tamen cum videret fornicationem Zambri & Midianitidis ita palàm & ſine rubore fieri, vt ne turpitudinem quidem tegerent, indigniſsimum facinus ſuſtinere non potuit, ſed opportunè ira ſua vſus iuſta vtrumq; confodit. Quid dicam de Samuele, qui Agag regem Amaleck à Saulo contra mandatũ Dei in vita ſeruatum, iuſta commotus ira, in medium produxit & occidit? Ita ira ſæpe bonarum actionum miniſtra eſt. Elias quoq; zelotes quadringentos & quinquaginta vates turpitudinis, & vates lucorum quadringentos, qui de menſa Ieſabel edebant, iuſta ſapientiq; ira in

Teſtimonia de ira a Deo præcepta
a Gen. iii.
b Nũ. xxxi.
Moyſes ingenti zelo occidi iubet idolatras, qui vitulum fabricarant.

Phineas iuſta indignatione interficit fornicantes, Numeri. xxv.

Nemeſis Samuelis, i. Samuel. xv.

Eliæ zelus aduerſus ſacerdotes Baal, i. Regũ xviiii.

Antitheſis. vſum totius populi Iſrael trucidauit. At tu iraſceris fratri tuo temerè, cur n non dicā temerè, cum alius ſit is qui ad irā incitat, & alius itē ille cui tu ſuccenſes? imitarisq́; in eo canes, qui lapides mordent, à iaciente verò abſtinent. Qui iræ ardorē ſuſtinet, miſerandus eſt: qui vero cauſam efficacem dat, odio eſt dignus. Huc igitur irā conuerte, nempe in homicidam iſtum, mendacij patrem, peccati effectorem. Fratris vero potius miſerere, quia ſi in peccato perſeuerauerit, vnà cum diabolo proijcietur in ignem æternum. *a* Vt autem nomina indignationis et iræ diuerſa ſunt: ita res etiam quæ ijs ſignificantur, plurimum inter ſe differunt. Indignatio etenim ſiue ira eſt inflammatio & ardor animi ſubitus. Iracundia vero eſt ægritudo ſtabilis, & ad vlciſcendum delinquentes durabilis, animo quaſi concitato ad cupiditatem vindictæ. Sciendum eſt igitur, homines vtroque effectu peccare, ſiue cùm furenter & inconſultò commouentur aduerſus eos à quibus prouocantur, ſiue fraudulenter & inſidioſè in eos irruunt, à quibus moleſtia ſunt affecti. Quæ certè ambo cauere nos oportet. Quomodo autem cauebimus, ne iræ flammas concipiamus, vbi non decet? Ita videlicet, ſi humilitatem didiceris, quam Dominus in verbo præcepit, & reipſa declarauit. Nunc enim ait: Qui vult inter vos eſſe primus, ſit poſtremus omnium. nunc

Non eſt refellendus iratus, ſed miſerandus. Ratio eſt: Quia nō ipſe, ſed diabolus ex eo conuicia iacit.

a Nominum diuerſitas.

b Indignatio.

c Iracundia.

προφυλακτικόν iræ eſt imitatio humilitatis, quæ fuit in Chriſto Ieſu, et in verbo Dei eſt præcepta.

leni

leni & æquabili animo ſe percuti ſinit. Nam cœli & terræ conditor & Dominus, quem omnes ſpirituales & corporeæ ſubſtantiæ adorant, quique omnia fert verbo potentiæ ſuæ, non abiecit eum viuum ad tartara, facto hiatu terræ ad abſorbendum impium, ſed amanter admonet & docet: Si malè ſum locutus, teſtimonium perhibe de malo: ſi vero bene, cur me cædis? Si enim iuxta Dei mandatum vltimus eſſe conſueueris, nunquam excandeſces, quaſi immerito contumelia affectus ſis. Si tibi puer paruulus conuicia dicat, riſu eius maledicta diluis, eumq́ commiſeratione potius, quàm odio, dignum putas, qui mente motus præ phrenetide verba contumelioſa dicit. Non itaque verba ſunt quæ ægritudinem efficiunt, ſed eius qui conuicia dicit, contemtus, & ſua cuiuſque imaginatio. Vtrumuis horum ex animo tuo ſuſtuleris, ſtrepitus tibi vocem inanem fundens, videbitur, quicquid in hoc genere obijcitur. Deſine igitur iraſci, & depone indignationem, vt effugias eius iræ periculum, quæ de cœlo reuelatur ſuper omnem impietatem & iniuſticiam hominum. Si enim euellere ex animo radicem indignationis prudenti conſilio poteris, multas perturbationes hoc dempto principio ſuſtuleris: quia fraus, ſuſpicio, infidelitas, inueterata malitia, inſidiæ, temeritas, & tota deniq́

Simile.

Nō ipſa conuicia aliorum inurunt nobis dolorem, ſed noſtra ſuperbia cōtra alios, & propria imaginatio.

Epilogus cum exhortatione & repetitione malorum, quæ ex ira proficiſcuntur.

Digitized by Google

deniq; horum malorum colluuies, ex hoc vicio tanquam ex radice, pullulat. Non itaq; nobis ipſi accerſamus tanta mala, morborum animæ, tenebras rationis, auulſionem à Deo, ignorationem familiaritatis, initium belli, calamitatum abundantiam, dæmonem improbum, qui ingeneratus animabus noſtris, tanquam domeſticus, impudens, ea quæ inter nos ſunt, occupat, & ſpiritui ſancto aditũ intercludit. Vbi enim ſunt inimicitiæ, lites, indignationes, rixæ, ſtudia contentionum, quæ tumultus perpetuos in animis pariunt, ibi ſpiritus lenitatis requieſcere non poteſt. Obtemperantes igitur admonitioni ſancti Pauli, omnem iram & indignationem clamoremq; cum vniuerſa malitia deponamus, ſimusq; inter nos mutuo benigni & miſericordes, expectantes beatam ſpem, mitibus promiſſam. Beati enim mites, quoniam terræ hæreditatem accipient in Chriſto IESV Domino noſtro, cui ſit gloria & potentia vnà cm æterno ipſius patre, & ſancto, bono & viuifico vtriuſq; ſpiritu, nunc, & in ſecula ſeculorum,

Amen.

INSIGNIO-

Digitized by Google

INSIGNIORVM QVORVN-
dam locorum breuis explicatio.

Ομιλία, concio ita temperata oratione, ut cum populo conferri uideatur, ἀπὸ τοῦ ὁμιλεῖν, quod eſt colloqui cum altero, ſeu conferre ſententias.

οὕτω ἐπὶ τῶν: Ita ſpiritualium exhortationum.) Crux eſt πρᾶξις Christianorũ ſaluberrima, per quam ſolam uim & dulcedinem ſpiritualium conſolationum ſentimus & experimur. Nam tum demum intelligere incipimus uerbi diuini efficaciam, cum in tempeſtatum ui calamitatumq; cõcurſu illud ad uſum noſtrum transferimus, & ut ita dicam, in ſanguinem & ſuccum noſtrum conuertimus. Quare ſemper Chriſtiano, duce Dei uerbo, comite uerò cruce ſiue tentatione opus eſt, ſicut ſcriptum eſt: Qui non eſt tentatus, qualia ſcit? Item: Tantum quiſq; ſcit, quantum experiendo didicit: ut Franciſcum dixiſſe ferunt.

τὸν ὀργιζόμενον: Qui iraſcitur temerè.) Matth. v.
Hic diſcant ſtudioſi uſitatam obiectionem refellere: Omnis doctrina quæ congruit cum fundamento, aut cum apertis Scripturæ ſanctæ dictis atq; teſtimonijs, eſt approbanda.

Stoicorum doctrina de affectibus ex natura tollendis congruit cum hoc Chriſti dicto: Qui iraſcitur fratri ſuo temerè, obnoxius eſt iudicio.

Ergo Stoicorum doctrina de affectibus eſt bona et amplectenda.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo: Nego minorem: quia in ea eſt fallacia à d. ſ. q. ad d. ſ. Nam filius Dei in hoc dicto eam tantùm iram prohibet, quæ iniuſtè accenditur, non cogente uocatione: idq́; addita uox εἰκῆ diſertè exprimit. Ordinatam iram ſeu νέμεσιν, quam ratio cuiuſq; officij poſtulat, non damnat. Contrà, Stoici furenter omnem iram cæteroſq́; affectos pariter uicioſos eſſe, & ex natura extirpandos contendunt. Ex hac reſponſione & diſtinctione facilè poteſt refutari altera obiectio, hoc modo:

Antilogiæ non ſunt approbandæ.

In ſacra Scriptura ſunt antilogiæ.

Ergo quædam in ſacra Scriptura non ſunt approbanda.

Probatio Minoris: Dictum Pauli antè citatum prohibet iram: ſed alia extant ſcripturæ dicta, quæ ſanctos & Deum ipſum iraſci affirmant.

Reſpondeo ad minorem: Nulla eſt in his contrarietas aut ἀντιλογία: quia non intelliguntur reſpectu eiuſdem obiecti & ſubiecti. Chriſti dictum damnat iram, quæ extra uocationem ſuſcipitur. Cætera uerò dicta de ordinata ira, quæ ad Legem Dei congruit, loquuntur.

Δόντες μὲν αὐτοὶ τῇ ὀργῇ: Ipſum locum iræ damus.) Iræ locum dare, eſt indulgere cupiditatibus uindictæ: uel ut appoſitè Theodoretus in octaua oratione de prouidẽtia inquit, Primam ſcintillã non opprimere, ſed materia incendiũ alere & metu excitare.

οὐκ ἐν ἡμῖν γενομένου: Qui non in nobis.)

Manife-

Manifeſtum quidem eſt, iram intus in corde accendi atq; exiſtere. Verùm de obiecto externo loquitur Baſilius, *quo ira irritatur, perinde ut* Herodotus *etiam dixit in* Polymnia: Probè *nunc diſcite hoc, iram in hominum auribus habitare: qui bene audit, eius corpus uoluptate perfunditur: qui uerò malè, is exacerbatur.* Cæterùm *eſt apud* Galenum *in 3. de placitis* Hippocrat. *diſputatio, an iraſci proprium ſit animoſæ facultati.* Et *reſpondet* Galenus: Ob *conuicia aut minas neq; iraſci, neq; exardeſcere animoſæ facultati proprium eſt, quæ cordi inhæret: ſed parêre & obſequi rationi.* Quod *quidem intelligendum eſt de eo ſtatu hominis, qui conueniens eſt naturæ.* Etenim *dum ea quæ in homine ſunt, conuenienter adminiſtrantur, cerebrum quidem imperat, cor autem paret & obſecundat.* Cicero *quoq; in 4. Tuſcul diſputat, iram non eſſe naturalem.* An *quicquam eſſe poteſt, inquit, ſecundum naturam, quod ſit repugnante ratione?*

καταμανθάνοντες δ' ἐν ἡσυχίᾳ: Si in quiete didicerimus.) Quod *de poetarum ſententijs* Æſchines *contra* Cteſiphontem *dixit:* Ideò *pueri ediſcimus poetarum ſententias, ut uiri facti ijs utamur. id multò rectius de cœleſtis ſcripturæ ſententijs dici poteſt.* Ideo *enim legendum, audiendum & meditandum eſt uerbum* Dei *in ocio, ſicut hoc loco* Baſilius *ait, ut irruente in nos tentatione, tanquam ſubita procella, in promtu habeamus* Scripturæ *ſententias, quæ de uoluntate* Dei *nos erudiant atq; confirment.* Colligenda *igitur ſunt* ἐν ἡσυχίᾳ, *quæ in paraxyſmo ſunt neceſſaria.*

τὴν

τὴν εὐσοχίαν τοῦ ῥήματος: Quàm conue-nienter illud dicatur.) *Dicta Scripturæ omnia ad experientiam, ſicut ſagitta ad metam, directa ſunt. Quare tum demum ueritas dictorum apparet, ubi ex-perientiæ teſtimonium accedit.*

ἐπειδὰν γὰρ ἅπαξ: Cum enim ſemel.) *Mira eſt uis iræ, ubi præualuerit. Euertit enim naturam penitus, tanquam uiolentus tyrannus: & rationem, uelut equus refractarius & contumax, ut* Galeni *utar uerbis, inſeſſorem excutit & præcipitat. fitq́; adeò quod in uerſu* Virgiliano *dicitur:*

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Cum igitur ſemel effractis repagulis erumpit, nullo conſilio, nulliſq; monitis coerceri poteſt: ſed furit, & rationem, ceu nimbo quaſſante, rapit, proſternit & aufert, & raptam ſecum ſomnia uana facit, ut in uer-ſiculis dicitur. Porrò *excuſſo rationis imperio, homo bruteſcit, hoc eſt, omnes ſenſus humanos exuit, adeóq; immutatur, ut non agnoſcas eundem.*

κυνὰς γὰρ ἀνεοὺς: Mutos canes) *Verba ſunt in 56. capite* Eſaiæ. *Etſi autem* Propheta *eo in loco de impijs doctoribus principaliter loquitur, qui ad do-ctrinæ corruptelas, atrociaq́; ſuperiorum pariter & inferiorum delicta, metu offenſionum & incommo-dorum priuatorum, conniuent, iniuſtoq; ſilentio ea prætereunt atq; obruunt: tamen apparet ſcriptores Græcos in* Eccleſia *appellatione canum eos complecti & deſignare, qui inſania, impudentia, atq; immode-ratione uerborum nimium peccant, ut habet apo-*

logia

logia Pamphili pro Origine, quæ extat in 2. tomo Hieronymi. Paulus Philip. 3. iubet cauere canes, hoc eſt, impoſtores, qui audaces quidem ſunt, & temerarij in laceſſendo, ſed parum fortes in dimicando.

καὶ ὄφεις Serpentes.) *Nomen ſerpentis in Scriptura ſæpe occurrit. Eſtq; ſerpens organum diaboli, quo abuſus eſt nefarie ad concipiendam & deſignandam fraudem inexpiabilem. Ita ſerpentes etiam appellari poſſunt omnes qui diaboli inſtinctu ad nocendum inſtructi ſunt, atq; parati. his enim tanquam administris & inſtrumentis abutitur, ut animi ſui libidinem expleat, & multis damnum exitiumq; afferat. Nec à natura ſerpentis hæc comparatio abludit. Sunt enim ſerpentes, præſertim qui* ἀκοντικοὶ, *adeò ſæui & truculenti, ut in obuios exerto protenſoq; corpore, uelut iaculo inſiliant, in ſauciatorumq; corpore aculeos relinquant. Non aliter certè irati in aduerſarios inuolant, eosq; non ratione aut conſilio, ſed ui atq; impreßione delere conantur.*

γεννήματα ἐχιδνῶν Viperarum progenies.) *His coloribus Demoſthenes Ariſtogitonem improbum ciuem depingit in priori oratione: Incedit per forum, inquit, ceu uipera ſeu ſcorpius, exerto aculeo, quem huc atq; illuc uibrat, & circumſpectat, cui malum machinetur. Talem ideam irati hominis etiam poetæ abſq; dubio depingere uoluerunt, excogitato monſtro ſerpentibus, igne & flatu ſuccincto. Ouid. lib. 3. de arte amandi:*

Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ;
Lumina gorgoneo ſæuius angue micant.

διὰ θυμὸν ἀχαλινοὶ: Propter indignationem lingua effrenis.) *Quia ira furor quidem eſt; uoces quoq; iratorum præcipites ſunt, inſanæ, & ut Poeta ait, per iugulum rediture.*

μανία τις ἐστὶν: Inſania quædam eſt.) *Quia ira mentem præcipitat, & de gradu, quod aiunt, deturbat, hominē prorſus inſanum facit. Vbi enim non regnat ratio, ibi regnat furor. Galenus in libro de cognoſcendis curandisq; animi morbis, ait, iraſcentis impetum nihil differre ab inſania & furore, idq; ex ijs quæ faciunt intelligere licere. Cicero in 4. Tuſcul. Itaq; iratos propriè dicimus de poteſtate exiſſe, id eſt, de conſilio, de ratione, de mente: horum poteſtas in animum totum eſſe debet.*

σφαδάζοντες Palpitantes.) *Hæc palpatio eſt immoderata cordis concuſſio & tremor, cum diaſtole ſeu dilatatio eius nimis eſt uehemens, & arteriæ omnes uehementius pulſant: quod inde fit, quòd in iratis cor partim triſticia percellitur, partim cupiditate ulciſcendi æſtuat.*

ὀρεγομένοις γὰρ: Qui enim vindictæ cupiditatem.) *Hunc habitum furioſum iratorum Galenus deſcribit quoq; his uerbis: Per iracundiam efferueſcit innatus calor in corde, cuius ratione accidit, ut tota facies inflетur, uniuerſum corpus rubeſcat incaleſcatq;, & uehementer cor unà cum animantis arterijs ſubſi-*

Digitized by Google

ſubſiliat.lib.3. de placitis Hipp. *&* Platonis. Huc bel-*lè quadrat deſcriptio iræ, quæ in libro primo Senecæ de ira extat: Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exæſtuante ab imis præcordijs ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent & ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſe ipſos torquentium ſonus, gemitus mugitusq́; , & parum explanatis uocibus ſermo præruptus, & comploſæ ſæpius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasq́; iræ minas agens, fœda uiſum & horrenda facies deprauantium ſe atq; intumeſcentium.* Neſcias *utrum magis deteſtabile uicium ſit, an deforme.*

πρώσοπον πέλιδνον: Facies liuida & ſuffuſa ſanguine.) *Colorum diuerſitatem motus cordis diſſimiles efficiunt.* Nam *triſticia pallorem gignit, uindictæ cupiditas & ardor ſanguinem inflammant.* Hinc *rectè dixit* Ouidius:

Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ.

Et *Cicero 3. Tuſcul.* Ex Homero:

Corq́ue meum penitus turgeſcit triſtibus iris.

Non *ſolùm autem caleſcunt ſanguis & ſpiritus per iram, ſed mirè etiam diſtenduntur & effunduntur,* Galeno *teſte 5.* de *Symptomatum cauſis.* Et *hæc eſt cauſa, cur iratorum facies ſimul liuida appareat & ignea.*

καὶ ὁ λόγος ἀναρθρός: Sermo confuſaneus.) *Cauſa confuſionis huius ſpirituũ eſt conturbatio, quã ſequitur confuſio ſenſuum & actionum animalium.*

Ἀθλα τῆς ὀργῆς: Præmium iræ.) *Cicero Tuſcul. 4 Alexander rex cum per iram interemiſſet Clitum familiarem ſuum, uix à ſe manus abſtinuit, tanta uis fuit pœnitendi.*

οὐδὲ θυμὸς τοῦ ἀλγεινοῦ: Doloris ſenſus non percipitur.) *Ratio eſt uehemens ſpirituum conturbatio in cerebro, ſeu principio neruorum ſenſitiuorum. Vt enim leproſi & epileptici, etiamſi urantur aut ſecentur in paroxyſmo, tamen dolorem nullum ſentiunt: quia impeditur animalis ſpiritus, quò minus deferatur in corpus, ut Galenus ait 3. de Locis affect. ita in æſtu iracundiæ princeps animæ potentia impeditur, ne uim ſentiendi per neruos in corpus tranſmittat & diffundat. Quia igitur ſpiritus animalis in parte agnoſcente impeditur, intercipitur etiam ſenſus, qui per neruos in corpus defertur. Accedit quoq;, quòd ſpiritus copioſè ad cor, tanquam ad fontem recurrunt, ut ei opitulentur: unde minus ſpirituum in membra externa diſpergi neceſſe eſt. Illud fortè miretur quiſpiam, qui fieri poſſit, ut, cum ſenſus in iratis diminuatur, non ſimul etiam labefactetur motus, quem tamen ualidiorem in illis eſſe cernimus, præſertim cum idem ſenſus & motus ſit principium, eadem inſtrumenta, & ut Galenus in primo de Locis affectis ait, ad motum maior requiratur uis animalis quàm ad ſenſum. Citius igitur motum quàm ſenſum deperdi & minui debere, ueriſimile uidetur. Veſalius lib. 4. cap. 14. de Fabrica corporis humani, reijcit Galeni ſententiam, tanquam ridiculam, qui ad hanc quæſtio-*

nem

Digitized by Google

ſtem reſpondet, quoſdam neruorũ ſurculos motui tantùm, alios autem ſenſui præeſſe. Contenti igitur ſimus hac Veſalij ſententia, quòd ſenſus illæſo motu aliquando minui poßit, aut aboleri, aliquando autem ſeruato ſenſu corrumpi poßit motus. Id enim ex conſideratione ſeriei neruorum & muſculorum naturæ, manifeſtum eſſe affirmat. Verùm de hac priuatione ſenſus doloris illud Cicer. in 3. Tuſcul. teneatur: Illud, nihil dolere, non ſine magna mercede contingit immanitatis in animo, ſtuporis in corpore.

μὴ τοίνυν γένῃ: Ne igitur malæ collectæ.) Senſus eſt: Ne uindices id malum quod uelut collatis in conuiuio ſymbolis congeſtum eſt. Hortatur enim, ne certemus conuicijs cum aduerſario. Dulcis eſt apud Herodotum in Polymnia uox Gelonis, alteq; animis infigenda: Probra hominum obiecta ſolent iram accendere: tu uerò etſi contumelia me in ſermone affeciſti, non tamen perſuadebis, ut indecora faciam compenſando conuicia. ἔρανος, collecta. Cicer. 2 de Orat. Quinctiam collectam à cõuiua Craſſe exigis. Item collatio 12. ad Attic.

πονηροῦ δανείου: Mali debiti.) Senſus eſt, Noli tu ulciſci, aut in te deriuare ea mala, quæ cum graui fœnore tibi ſunt dependenda atq; exoluenda.

ὥσπερ κάτοπτρον: uelut ſpeculum.) Vt ſpeculum repreſentat aſtantium atq; intuentium formas, ita qui irato uicißim iraſcitur, refert eius in ſe imaginem.

ἢδ λοιδορία: Conuicium cum fœnore redit.)

dit.) *Quemadmodum ex parua ſcintilla ſæpe ingens excitatur incendium, ita unum conuicium plerunq; parit infinita. Qui igitur conuicium ſeminat, is meritò conuicia metit, & quidem multò copioſius, quàm ſeminauit. Nam fœcunda mater eſt conuicium, procreans ex ſe immenſam ſobolem.*

ἀπὸ τῆς πρώτης ἀρχῆς: Quocirca ab initio ſtatim.) προφυλακτικὸν *incendij iræ ualde efficax & utile eſt, primam ſcintillam mox reſtinguere, & ſecundum* Poetam, *principijs obſtare.* Id quod Græ*cum dictum etiam monet:* Ἀρχὴν δ' ἰᾶσθαι πολὺ λώϊον ἠὲ τελευτήν: Initium *ſanare multò melius eſt, quàm finem.* Præter *cætera uerò admodum conueniens eſt huic loco* Theodoreti *admonitio, quæ extat in octaua eius oratione de prouidentia:* ὁ λογισμὸς παραυτίκα τὸν σπινθῆρα μὴ κατασβέσας μεγίστην ὕστερον τὴν πυρὰν γινομένην οὐκ ἔτι ἰσχύει σβέσαι: *Qui primam ſcintillam non opprimit, ſed incendium materia alit, & motu excitat, is poſtea rogum inflammatum et ardentem extinguere nulla ratione poteſt.*

ἐλοιδώρησε: Conuiciatus eſt.) De *conuicijs, quatenus ferenda, & quatenus refutanda ſint, prolixior eſt diſputatio. Hic tantùm de manſuetudine loquitur* Baſilius, *quæ ueras offenſiones condonat, diſſimulat & muſſitat.* 1, *Quia humanius & utilius eſt cedere conuicijs, quàm certare.* 2, *Quia non neceſſe habemus omnia pro noſtro iure agere, ſecundum*

dum Mitionem Terentianum. 3, Propter exempla laudatiſsimorum uirorum. Alexander cum audiſſet quendam, qui conuicijs illum impeteret, dixit: Βασιλικὸν ἐστι τὸν εὖ ποιοῦντα κακῶς ἀκούειν: Regium eſt, bene agentem malè audire. 4, Quia laudabilius eſt, & generoſius, audire conuicia, quàm dicere, ſicut præclarè à Cypriano dictum eſt: Non is cui maledicitur, miſer eſt, ſed qui maledicit. Mollis eſt animi & impotentis, facilè ſe conuicijs expugnari pati. & in Philemonis uerſiculis dicitur, Conuiciatorem proprijs conuicijs obrui, ſi is cui conuicia dicuntur, nullum dolorem præſeferat. At reclamare illud uidetur, quod plurimorum eſt tritum ſermone, famam negligere, eſſe hominis prorſus diſſoluti. hîc tenenda eſt iuris regula: Conuicia enormia, quæ quis calore iracundiæ inductus dicit, non prius uindicari debere, quàm apparuerit eum reuera ita ſenſiſſe, in eaq; ſententia perſeuerare. Cum enim iracundia mentis quædam ſit alienatio, rata non prius eſſe poſſunt iratorum uerba, quàm ſi, poſtea quam ſeſe collegerint, in ſententia permaneant, ut docet Regula 48. tituli de regulis iuris.

νόμιζε κρίνεσθαι: Explorari te exiſtima.) Conuicia, contumeliæ, iniuriæ, ſunt exploratio noſtræ patientiæ, num obedire Deo, eiq; uindictam committere, an uerò contra Dei mandatum diaboli ductum & auſpicia ſequi uelimus, et noſmetipſos uindicare.

λοίδοροι: Maledici.) Quærat aliquis, cur conuicium regnum Dei occludat, cum plerorumq; opi-

pinione & ſermone mirificè extenuetur? Sed reſponſio eſt facilis. Primò enim conuicium eſt peccatum contra octauum præceptum decalogi. 2, Eſt ex patre diabolo, qui etiam conuiciator eſt. 3. Conuiciator indulget concupiſcentijs carnis contra legem Dei. 4, Turbat pacem, & efficit horribiles diſtractiones. 5, Opprimit & interficit innocentes. 6, Vaſtat urbes. Siracides cap. 28. Qui igitur conuiciatur, aut maledicit, excutit Spiritum ſanctum, effundit gratiam, amittit fidem, & accerſit ſibi iram Dei & æternas pœnas.

ἐν τῷ συστῆναι: Cum conſiſteret.) Ita Græca habet translatio. Sed in Hebræo legitur, Quando impius eſt in conſpectu meo, uel coram me quod ſequitur, Silui à bonis: hunc habet ſenſum, ut Dominus Lutherus reddit: Obliuiſcor lætitiæ. Nam dum impius coràm mihi conuiciatur & inſultat, recedit à me omnis uoluptatis ſenſus. quia A præpoſitio apud Hæbræos מבן nomini addita ſæpè excluſiua eſt. Ideo rectè ſic explicatur, Silui à bonis, id eſt, priuatus ſum bonis: uel, abeſt, à melæticia.

δικαιότερον μοῦ οὖν: Immò iuſtiorem adhuc.) Duabus de cauſis deterior eſt is, qui irati maledictis laceßitus uicißim per iram maledicit. Prior eſt, quia irritans non habet exemplum quod intueri poßit, indeq; ad moderationem flecti: irritatus uerò uiuam irati effigiem coràm cernit, nec tamen horribili deformitate deterretur. Secunda, quia irritatus in ſe deriuat omnem culpam irritantis, quòd ei non cedit potius quàm reluctatur.

ει δὲ

Digitized by Google

ἐι δὲ ψεύδεται: Si vero mentitur.) *Salomon Prouerb.* 26. *eleganti ſimilitudine hunc locum illuſtrat: Quemadmodum, inquit, auis fugit, & hirundo auolat: ita maledictum falſum non adhæreſcit. Comparat falſam calumniam uolatui auis, quæ celeriter tranſit, & è conſpectu euaneſcit, nec ueſtigium ullum imprimit, uel poſt ſe relinquit. Quem enim culpa non arguit, eum uerba non offendunt: quia uerba ſine re, ſunt inanis tantùm ſonus, qui animum neq; penetrare, neq; mouere debet. Præclarè Æſchines in oratione de falſa legatione ait:* Falſum probrum ultra *aures non penetrat:* τὸ ψευδὲς ὄνειδος ὀυ πὀῤῥωτέρω τῆς ἀκοῆς ἀφικνεῖται. *Titus Veſpaſiani filius, cum audiſſet quoſdam ſibi maledixiſſe, reſpondit:* Ego dum *nihil faciam dignum, propter quod contumelia afficiar, mendacia nihil curo. Pericles conuicia adeò contemſit, ut ueſperi cum lychno eum deduci iuſſerit, à quo totum diem conuicijs proſciſſus erat.*

ὀυχ ὁρᾷς τὰ τοξεύματα: Nonne vides ſagittas.) *Vt ſagittæ in corpore duro figuntur citius, in molliori uerò eliduntur: ita quò acrius maledico cò firmius impacta conuicia adhæreſcunt, & animo altius inſident. Eſt igitur utraq; manu, uel potius toto pectore amplectenda humaniſsima Valerij ſententia: Specioſius iniuriæ beneficijs uincuntur, quàm mutui odij pertinacia penſantur.*

οἰκειώσῃ τὰ εἰρημένα: Niſi tibi ipſe accommodaueris.) *Iniuriæ, conuicia, contumeliæ, tantum ualent, quanti is qui patitur, æſtimat.*

ἡτοιμάσθην καὶ οὐκ ἐταράχθην: Paratus ſum, & non ſum turbatus.) *Verba ſunt ex Pſal. 119. ex octonario octauo, pro quibus textus Hebræus habet: Feſtinaui, & non moram feci. loquiturq́; Propheta in eo loco de animi alacritate & promtitudine ad amplectendum uerbum Dei. Non eſt igitur obſcurum Græcorum interpretum* σφάλμα: *Sæpe enim bonus dormitauit Homerus.*

πρὸς τὸν θεὸν μεταφέρων: In Deum transferens cauſam.) *Hic iunioribus explicandum eſt argumentum quod obijci poterat: Dauid tranſtulit cauſam conuiciorũ Semei in Deum. Dauid iuſtè egit: Ergo iuſtè cauſa malorum transfertur in Deum. Reſpondeo ad maiorem per diſtinctionem malorum. Aliud enim eſt malum culpæ, aliud pœnæ. Loquitur autem maior de malo tantùm pœnæ: quia Dauid agnoſcit, ſe iuſtè à Deo puniri propter peccata.*

Aliud: Quæ Deus iubet, impunè fiunt. Deus iußit Semei maledicere Dauidi regi. Ergo Semei impunè maledixit ſuo Magiſtratui. Reſpondeo ad maiorem per diſtinctionem, ſcilicet, Si bona ſint. Nam hanc regulam dictat uerbum Dei, ut omnes ſententias, quæ malas actiones Deo attribuere uidentur, permißiuè ſemper intelligamus. Cum igitur hæc actio Semei mala fuerit, non aliter quàm de permißione diuina intelligi debet: ſicut alia facinora permitti à Deo uidemus, etiamſi ea nec approbet, neq; uelit. Hanc interpretationem ueram eſſe, ipſum

uerbum

Digitized by Google

uerbum Dei *confirmat.* Nam *ſequens narratio* 3 Re*gum* 2. *indicat, Semei propter has execrationes capitis ſupplicio affectum eſſe. Sic enim ait* Rex *Salomon ad Semei :* Tu *noſti omne malum, quod ſcit cor tuum, & quod feciſti* Dauidi *patri meo, reddetq́;* Dominus *malum tuum in caput tuum.*

αἱμάτων ἀνὴρ: Vir ſanguinum.) Id eſt, *reus ſanguinis.* Nam *ſanguis plurali numero ſæpe pœnam ſeu reatum ſignificat.* Exodi 22. *Si in perfoßione deprehenſus fuerit fur, & perculſus mortuus fuerit, ne illi ſanguines erunt : id eſt, non erit reus ſanguinis.*

φιλοσοφίαν: Animi moderationem) *Philoſophia animi moderatio uocatur ab effectu, quòd ad manſuetudinem & modeſtiam animos traducit.*

καρδίαν ὑλακτοῦσαν Cor latrans.) *Homerus* Odyß. υ *ait,* Iram *latraſſe in corde* Vlyßis, *cum ſecum ipſe diſputaret, utrum mox impetu facto ignauum genus procorum ulciſci uellet, an uerò expectare tempus opportunius.*

ὥσδε κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσι βεβῶσα: Verſus Homeri.

Vtq́ue canis catulos paruos ſua pignora ſeruans
Ignoto oblatrat, quicunque acceſſerit, atque
Vim facit, & morſu cunctis pugnaciter obſtat :
Sic indignanti cor oblatrabat. —

Citat *quoq;* Galenus *in* 3. *de placitis* Hippocratis *&* Platonis.

ἔστι γὰρ πρὸς πολλὰ: Eſt enim ad multa.) Ira

qua

quæ eſt impetus animi, uehementior ad honeſtas actiones & aduerſus hoſtem, uel homines improbos laude digna & neceſſaria eſt. Quid primùm cos eſt fortitudinis: oportet enim fortitudinem ira excandeſcere. 2, Omne imperium cum aliqua acerbitate iracundiæ gubernandum eſt. 3, Oratori non ſolùm ad accuſandum, ſed etiam ad defendendum neceſſarij ſunt aculei, ut auditoris iram, oratoris incendat actio. Poſtremò uir uideri nequit, qui iraſci neſciat. Plato 2. de Repub. *An uerò fortis erit & audax, qui iracundus non ſit? An non animaduertiſti inexpugnabilem inuictamq; iram? qua præſente anima omnis intrepida eſt ad omnia, & inuicta.*

ὀργίζεσθαι καὶ μή: Iraſcemini & nolite.) *Quæ ſcriptura præcipit ſunt bona. Scriptura præcipit iram. Ego ira eſt bona. Reſpondeo ad minorem:* Vox *Pſalmi*, Iraſcimini, *non eſt imperantis, ſed permittentis, & quaſi conniuentis ad infirmitatem hominum. Monet enim, ut, ſi more carnis eueniat, ut iniurijs & furore hoſtium animus commoueatur, ita iracundiam reprimamus & moderemur, ne* Deum *offendamus: quod fit, dum uel uindictæ cupiditati indulgemus, uel inconceſſa præſidia quærimus, uel contra* Deum *fremimus. Baſilius uerò noſter de ira bona interpretari uidetur, quæ modum ſeruat, & actiones bonas iuuat.*

προφήτας τῆς αἰσχύνης: Vates turpitudinis.) In Hæbræo eſt, *Prophetas* Baal, *pro quo Græcus reddit, Prophetas* αἰσχύνης. *Significat autem* Baal *dominum,*

dominum, quia fuit gentium Dominus, *deductaq́; eſt haud dubiè appellatio idoli à* Belo, *qui à filio ſuo* Ni=*no poſt mortem inſtar numinis coli cœptus eſt, ut alibi copioſius dicitur.*

ἄλλε ἐνεργοῦντος : Cum alius ſit is.) *Diſertè diſtinguit* Baſilius *ſubiectũ iræ, hoc eſt, eũ qui irã ſuſtinet, à cauſa efficiente, hoc eſt, ab illo qui ad irã concitat, uidelicet diabolo: ac iraſcentẽ uocat* ἐνεργούμενον, *id eſt, eũ qui operationem diaboli recipit ac ſuſtinet: diabolũ uerò ipſum uocat* ἐνεργοῦντα καὶ ἐργάτην, *id eſt, operantem ſeu effectorem: ut nimirũ atrocitatem et magnitudinẽ huius mali quàm maximè declaret.* Eſt *igitur homo iratus diaboli uas, in quo effundit hoſtis ille ſuum uenenũ mendaciorum, conuiciorũ et iniuriarũ, ut ab irato euomantur, aſpergãtur et inuarantur alijs hominibus.* Quid *igitur homine irato calamitoſius? quid miſerabilius? utpote cuius cordi & ori diabolus inſidet, & ſpurciſsima mendacia, plauſtraq́; conuiciorum euomit & iaculatur.*

ὑπεροψία καὶ : Contẽtus & ſua cuiuſq́; imaginatio.) *Duos recitat quaſi fontes doloris et indignationis, quæ ex aliorum calumnijs atq́; conuicijs oritur.* Prior *eſt deſpicatio, uel ſuperbia noſtra aduerſus alios.* Nã *aduerſus illos facilimè omniũ exardeſcimus, quos indigniores eſſe putamus multò, quàm ut ab ijs ludificari uelimus.* Alter *fons eſt* φαντασία, *quæ per=uerſo iudicio opinioniſq́; errore fingit ſibi iniuriam aliquam fieri ab irato & maledico.*

F I N I S.

Digitized by Google

RERVM AC VERBORVM PRÆCIPVE MEMORABILIUM INDEX.

ABrahami bellū 176
Aobediētia erga Pharaonem 181
Abimelech 644. 658
Abſalon 643.658
Accuſationum & defenſionū exēpla 157.158.159
Achab petens uineam Nabothi 178
Achilles 534 huius uox 415
Achor uallis 325
acies quo ordine inſtrui debeat 99
Adami uita ante lapſum qualis 679
admirationis exempla 70
aduerſariarum reſponſionum exempla 61.62
adulatio 22
Æaci pietas 534
Aeacidæ Ibidem
æmulatio 638
ærūnas ferēdi modus 289
ærumnarum et liberationum temperamentū 635
Æſchyli dicta 15.21.576
Æſchynis oratio contrà Cteſiphontem 166
ætas 339
αἴτιον 91
Affectus 67.733
afflictionum diuiſio 700
Aiax 534
Alcinoi regia 400 hortus 423
ἀλκυόνεια 72
Alectûs luctificæ deſcriptio 640
Alphonſi ſymbolum 211
Amarantus 424
ambiguum 182.190.huius exempla 191
amiantus lapis 441
amicitiæ methodica explicatio 124
amici, regum ſceptrū 223
Amphirai interitus 702
amygdalus 439
ἀμωτήρια Chriſtianorum 201
ἀνασκευὴ 100

ἀναρχία 110
ἀνακεφαλαίωσις 101
ἀνακεφαλαιώσασθαι 122
Anaxilaus proditionis poſtulatus ſe purgat 169
ἀνθορισμὸς 183
angelorum miniſteriũ 377
animarũ immortalitas 273
animæ ſolutæ corpore ſedes 274
animantium laudatio 386
animantibus inſunt ueſtigia morum animi humani 388
Annibalis oratio 242
ἀνοχὴ 703
Antigones pietas 198
ἀντινομία 182.196.
ἀντίγκλημα 162
ἀντίστασις Ibidem
Apellis hiſtoria 607
Aphricæ deſcriptio 399
ἀπολογία 140
ἀπόδοσις 74.75
ἀπροσδιόνυσον 85
aqua 601
aquila 394
Arati uerſus 106
argumenta quo ordine collocari debeant 99
argumentorũ diſſoluendorum regula 100
Ariſtippi naufragium 413
Ariſtagoræ oratio 237
Ariſtotelis dicta 13.15.199 387
Artebani ſapiens dictũ 278
artes ſunt fontes bonorum. 597
artium dignitas 283.306. 601.602 præcipua genera 4
ἀρχέκακος 632
Aſia luxui dedita 334
aſpidis natura 373
Aſtrologia 186
Aſtrologicarum prædictionum duo genera 187
Aſtronomia 608
Athenæ 335.610
Athenodori hiſtoria 114
Auaritia 16
auaro, omnia uenalia Ibid.
auaros, cyclopes eſſe 689
audire filium Dei quid ſit 201
Auguſtinus, de Samuele 116 117. quomodo gratiã diuidat 120. de Canone Eccleſiaſtico 192. de uita

Digitized by Google

uita æterna 637 de humilitate 660
Aurelius Antoninus 350
aurum 440
autores qui legendi ad parandam eloquentiam 23
autorum ſcripta legendi modus. 25
ἀξίωσις 75
αὐθάδεια 20

B

Bœotius ſus 610
balſamum 458
baptiſteriũ admirabile 405
Baſilij Magni concio de inuidia 615 de humilitate 641 Deum non eſſe cauſam malorum 666 de ira 713
Bellum omne graue 245. 421
bellum Turcicum 208 ad hoc exhortatio. Ibidem
bellum quod iuſtum ſit 394
bellorum legitimorũ exempla 176
beneficia Dei præcipua 121
Bernhardi de humilitate dictum 664
Bethabara 457
Bicurdium 406
bigami mirabilis hiſtoria 51
Bonifacius pontifex 185
bonum quid 134
bonum ſummum Ibid.
boni proprietates 615. 630. 704
bona hominis originalia 679.
bona mũdana, momentanea. 637 cur à Deo nobis offerantur 638
bonorum uſus 625
bonorum animi & fortunæ collatio 627
bonorum tres gradus 328
Braſsica medetur temulentiæ 430
braſsicæ & uitis ἀντιπάθεια. Ibidem
breuitas Narrationum in quo conſiſtat 77
Bruti mors 174
bruma 71
βούλησις 141

C

Cœlibatus 199
Cæſari cenſum dare an iuſtum ſit 180

Caini

Caini inuidia 618
calamitatum cauſſa & utilitas 253. 265. 292. 316. 320. 698. 699.
calumnia 20
calumnia adiunctum inuidiæ. 624
calumnijs non certandum. 623. 742
Cambyſes 562. 563. 564
Camillus 715
Camerarius 610
camelus 388
Cananæa 578
candor 630. 639
Canones 192
canum appellatio quid notet in ſacris literis 736
Caßij prouer: 141 mors 174
caſtitatis exempla 398
cauſæ 225
cauſarum genera 43
Ceruus 388
Chria quid 63
Chriſtus quot annis poſt uaticinium Iacobi natus 348
Chriſti exemplū 289. 302. 725. hiſtoria 541
de Chriſti in urbem Hieroſolymam ingreſſu, hiſtoriæ declaratio 88
Chriſti miracula 621
Chryſoſtomi dictum 20 de ſpectris 117 de ſtella Magis conſpecta 131
Cicadis comparatur concionator 11
Ciceronis dialogus de amicitia 124. ſententiæ 3. 8. 9. 12. 255 Epiſtolæ 27. 28. 79. 357. 467. orationes hortatoriæ 220
Ciceronis oratio pro M. Marcello 55. 447. ad Quirites poſt reditum 67. 466. 518. pro Quintio 85. 101 pro Roſcio Amerino 54. 85. 144. pro lege Manilia 86. 95. 101. in Catilinam 96. 101. 485. pro Muræna 68. pro Ligario 165. 485. pro Milone 68. 75. 162. pro Deiotaro 67. pro P. Seſtio 68. 86. pro Cælio 146
Cic. libri de natura Deorum

rum 87 de Finibus. ibidem. de officijs. 88. 122. Tuſculanarum quæſtionum 87. 131
Ciceronis quæ ſcripta legenda 23
ciconia 388. 398
Cimonis factum 465
circumſtantiæ 35. 142
clementia Cæſaris 488
cœli nomen 686
cognatio mouet inuidiam. 636
columba 389. 397
commendatitiæ Epiſtolæ 356
compellandi formula 54
conchæ 443
concordia 552
concluſio 84
confirmatio 90
confutatio 100
coniugij commendatio 199
Conon 543
conſcientia 154. 281. 212
conſilium cuiuslibet audiendum 339. 541
conſolatio aduerſus calamitates ingruentes 277
conſolatio contra contemtum literarum 282
conſolatio in afflictionibus. 315
conſolatio in obitu patris. 262
conſolationis philoſophicæ & Theologicæ diſcrimen. 287
conſolationis philoſophicæ loci 250 exempla 257. 259. 260
conſolationis Theologicæ exempla 300
conſolationes 249
Conſtantini Magni donatio Syluestro facta 184
conſuetudo 161
conuiciorum remedium 205. 742
conuictus uis 635. 683
Creare in ſacra ſcriptura quid ſignificet 672
creationis tres modi 699
credere Deo quid 191
Crœſus 599
crudelitatis exemplum 364. 365

crux

crux nota filiorum Dei 295. 700
crucis imago 439
Cuculus 388
Cuthæi 561
Cyclopis impietas 689
cygni deſcriptio 387. 389 mors 396
cygnea cantio 396
Cyrillus martyr 365
Cyrus 539. 557. 599
Cyri modeſtia 31. morientis oratio 223 ſapiens dictum. 355
Cypriani ſententia 505

D

Darius 564
Dauidis uictoriæ præconium. 618
Defenſionis iniuſtæ exemplum 177
definitio 182 183. neceſſaria in omni doctrina 106
definitiuus ſtatus 183
Deliberatiuum genus 203 in quatuor claſſes diſtribuitur 205
deprecatio. 162
deprecationis exemplum 165 depulſio 140
Demoſthenis dicta 19. 665 ἀργυράγχη 21 ſecunda Olynthiaca 96 tertia Olynthiaca 75 prior contra Ariſtogitonem 76
Demoſthenis humanitas 13
Deus autor omnis boni 601. 615
Deus omnipotens 584
Deus mirabilis in operibus ſuis 579 582
Deus non eſt otioſus 377
Dei præſentia 298 317 deſenſio 309 benignitas 302. 304. 310. defenſionis exempla 347. lenitas 357
Deum eſſe demonſtratur 104
Deum non eſſe cauſſam malorum, concio Baſilij 666. 693 de Deo memorabilis Ba-

Digitized by Google

filij ſententia 697
diabolus cur hominibus inſidietur 682
diaboli nomen 685.706. natura 686 regnum ibid. ſedes regni ibid. caſus ibid. proprium 615
diluuium 464
Dionyſij crudelitas 352
diſciplinæ imago 438
diſcipuli boni uirtutes 358
diſpenſatoris uirtutes 612
diſpoſitio quid 42 ad duo prodeſt Ibidem
diuitiæ 639
Docti uiri, angeli uocantur 311
δοκιμασία 700
doloris deſcribendi exemplum 69
dolorem ex mora lenientia media 322
domuũ deſcriptiones 400
Donec particula 192

E.

Eberhardi ducis Vuirtebergenſis clementia 352
Eccleſia 334 in ciuitate decus præſtantiſſ. 415
eccleſiæ perpetuitas 209 miranda conſeruatio 346 perpetua doctrina 347 imago 389. 425. 457. fundamentum firmum 391 armatura 395
eccleſiæ neceſſariæ artes 603
Echo 720
Educatio 236
eductio populi Iſrael ex Ægypto per mare rubrũ 575 quo tempore facta 594
Elephantes fugantur muribus 396
eloquentia quid 10
eloquentiæ utilitas 10 effectus 12 fundamenta 6 contraria 15 abuſus 20 parandæ adminicula 22
eloquentiam ſapientiæ adiunctam eſſe oportet 3. 4
Eobanus 610
Eobani uerſus 579. 638
Epaminondæ ſapiens factum. 254
Epicuri ἀπάθεια 110

ἐπιείκεια

ἐπιείκεια 16.663
epigrammatũ partes 444
epilogus 100
epilogi partes ibid. & 101
ἐπινίκιον 37
epiſtola abſentis imaginem repræſentat 215
epiſtolæ elegantis ſcriptio eruditionis laudem parit 216
epiſtolarum Ciceronis imitatio 27.56
epithalamij exẽpla 382.472 476
epithalamia 382
ἐπιχειρήματα 90.100
Erfordia 401 unde dicta 407
Erfordenſis Academia 417
Eſra 565
Ethica 5
etymologia 106
Euagoras 530
Euangeliſtarum ſcripta 341
euentus 338.635
Euripidis ſentẽtiæ 15.18.21. 100.329.415.631.640
Exceptionum diuiſio 202
exempla ibid. uſus. ibid.
exercendi ſtyli modus 26
exemplorũ magna uis 380
exordium 48
exordia qualia eſſe debeant. Ibidem
exordia tumida 49 uerecunda. 50
exordiorũ loci 50 exempla 50.52.53.54.55.56.58.59
exordiorum diſpoſitio 73

F

Facultas 142
fama bona 356
faſcinare quid 636
fatum 492
Feminarum præcipuæ uirtutes 334
Ficus 437
fides 541
fidei initium exile eſt 433
imago & natura 439
uis 593
Fluminis comparatio 590
fluminum laudatio 422
Fontes bonorum artes 600
fontium laudatio 423
fortuna domina rerum humanarum 281
fortuna proſpera 514

Digitized by Google

Fuci, nominantur negligentes 378
funebres orationes 370
furor in pœnis 587

G

Galli cantus 396
garrulitas 19
Gemmarum laudatio 440
genius 113
genus Didaſcalicum 102. 103
genus Demonſtratiuũ 328 huius materiæ 332
genus Deliberatiuum 203
genus Iudiciale 139
genera cauſſarum 43. 102 quare ita uocentur 102
generum cauſſarum utilitas. 45
Georgius martyr 364
Geometrica æqualitas 696
Gloria uera 645. 658
gloriatio Pauli 646
γνώμη quid 63
Georgiæ impudentia 19
Gratia methodicè explicata. 109. 120. 121. 122
Gratiarum actionis exempla. 466 exordium 56 formula. ibid. fundamentum quod ſit 40
Gratiarum actiones 466
gratitudinis commendatio. 64
gratulationes 68 harum exempla 69. 70
ad Gratulationes reſponſionis exemplum 71
gratulandi nouum annum modus 98

H

Halcyonum imago 72
Harpalus 712
Heſiodi ſententia 15
Hiera 408
Hiericho 458
Hieroſolymæ laus 416
Hieroſolymæ inſtauratio 551, quo anno mundi facta 558
Hippiæ impudentia 19
Hippocratis aphoriſmus 698
Hippolyti educatio 336
hirci ſanguis 428
hiſtoria 5
hiſtoriæ leges 84
hiſtoriarum uſus 350

hiſtoriæ

Digitized by Google

hiſtoriæ ingreſſus Chriſti in urbem Hieroſolymã copioſa declaratio 88

ὁλόκληρος 659

Homerus præco laudum Achillis 330

Homeri ſententiæ 10. 17. 250. 337. 660. 711

ὁμιλία 733

ὁμολογούμενον 697

homo unde dictus 660

hominis miſeria 290 natura & conditio 279

homines in hac uita hoſpites. 299

honeſtum ex tribus fontibus elucet 205 in quot partes diuidatur. 88

honos alit artes 283

hortationum exempla 206. 214. 218. 220. 221

hortorum laudatio 423

hoſpitis ingrati exemplum. 535

hoſtium generis humani multitudo 291

humilitas quid 656

humilitas Chriſti 651. 664

humilitatis fructus 654

de Humilitate Baſilij Magni concio 641

Hypotheſis 33

hypotheſin transferre ad theſin. 24

hypothetici argumenti exemplum 643

I

Iacobi hiſtoria 343 580 educatio 343 præcipuum factum 345

Iaſonis educatio 336

Ignatius 464

Imperatoris uirtutes 137

imperium tradere et donare quid 185

imperiorum periodi 419

impudentia 19

impulſio 141

Indignatio quid 730

indoles 339

indolis exemplum 340

indurandi uerbum 703

induſtria Iudæorum 566

infantia 19

infernus 400

inſidiatorem licet occidere. 201

inſignia Magiſtrorum 612

intentio 140
inuidia duplex 634
inuidia ulcus animæ 631
inuidiæ definitio 615 cauſæ. ibid. adiuncta 616 incommoda 617
de Inuidia concio Baſilij 615
de Inuidia uitanda præceptum. 621
inuidi & Diaboli conatus ſimiles 632
inuidi ſigna 623. 629 remedia 624. 630
inuidorum oculi nocent. 636
Ioabi uox laudabilis 211
Ioannis Friderici ducis Saxoniæ oratio 240
Iobi exemplum 653
Ionia 600
Iordanis 451
Ioſuæ factum 464
Ioſeph uenditur 346 cur in Ægyptum uenditus 635
Ioſephi fratrũ inuidia 620. 634
Ira neruus animæ 727 quæ concceſſa ſit 728
iræ duo remedia 726
iræ incommoda uitandi modus 727
iræ methodica tractatio 714
iræ moderatio 14
iræ locum dare 734
de Ira concio Baſilij Magni 716
iratorũ ὑποτύπωσις 717. 737. 738. 739
iraſci an proprium ſit animoſæ facultati 735
Irenæi dictum 192
Iſaac 580
Iſatis 410
ἦθος 13
ἠθοποιΐα 34
Iudæorum induſtria 366
Iuliani apoſtatæ uita 360 libri 363
Iulius Cæſar an iuſtè ſit interfectus 170
Iulius Cæſar anni rationem emendauit 173
Iulium Cæſarem legitimum fuiſſe magiſtratum, probatur 171
iuris ne potior quàm æquitatis

Digitized by Google

tatis ratio ſit habenda 195
iuriſconſultorum ſententia memoria digna 193
iuriſprudentia 5
iuſtificādi modus 347. 660
de Iuſtificatione hominis per ſolam fidem memorabile teſtimoniū 659
iuſtitia 123
iuſtum 604. 605
iuuenum temeritas 339

L

Laban auunculus Iacobi. 345
Lactantij dictum 14
lætitiæ deſcribendæ exemplum 69
λαλεῖν 19
lares 113
laruæ. 114
laudandi perſonam loci. 332
laudari nimium, onus eſt. Ibidem
laudatio factorum 447
laudatio rerum 371
laudatio nimia reprehenditur 59
laudationis finis 328 utilitas 329
laudationis modi exempla. 59. 61
laudationis perſonarum exempla 341
laudationis præcepta 331
laudatoriæ orationes 531. 551
laureati faſces 488
λέγειν 19
legio Chriſtianorum fulminatrix 354
lemures 113
lex pietatis 198
lex noua corrigit ueterem 197
Libanus 458
liberationem cur Deus differat 695
liberationes piorum mirandæ 348
libertas hominis 704
liberi 519
liberi multi & felices rariß. Dei donum 548
libelli apud iuriſc. ſubſtantialia 99
libidines punitæ 465
linguæ intemperantia 21

Digitized by Google

intentio 140
inuidia duplex 634
inuidia ulcus animæ 631
inuidiæ definitio 615 cauſæ. ibid. adiuncta 616 incommoda 617
de Inuidia concio Baſilij 615
de Inuidia uitanda præceptum. 621
inuidi & Diaboli conatus ſimiles 632
inuidi ſigna 623. 629 remedia 624. 630
inuidorum oculi nocent. 636
Ioabi uox laudabilis 211
Ioannis Friderici ducis Saxoniæ oratio 240
Iobi exemplum 653
Ionia 600
Iordanis 451
Ioſuæ factum 464
Ioſeph uenditur 346 cur in Ægyptum uenditus 635
Ioſephi fratrū inuidia 620. 634
Ira neruus animæ 727 quæ conceſſa ſit 728
iræ duo remedia 726
iræ incommoda uitandi modus 727
iræ methodica tractatio 714
iræ moderatio 14
iræ locum dare 734
de Ira concio Baſilij Magni 716
iratorū ὑποτύπωσις 717. 737. 738. 739
iraſci an proprium ſit animoſæ facultati 735
Irenæi dictum 192
Iſaac 580
Iſatis 410
ἦθος 13
ἠθοποιΐα 34
Iudæorum induſtria 366
Iuliani apoſtatæ uita 360 libri 363
Iulius Cæſar an iuſtè ſit interfectus 170
Iulius Cæſar anni rationem emendauit 173
Iulium Cæſarem legitimum fuiſſe magiſtratum, probatur 171
iuris ne potior quàm æquitatis

Digitized by Google

tatis ratio ſit habenda 195
iuriſconſultorum ſententia memoria digna 193
iuriſprudentia 5
iuſtificãdi modus 347. 660
de Iuſtificatione hominis per ſolam fidem memorabile teſtimoniũ 659
iuſtitia 123
iuſtum 604. 605
iuuenum temeritas 339

L

Laban auunculus Iacobi. 345
Lactantij dictum 14
lætitiæ deſcribendæ exemplum 69
λαλεῖν 19
lares 113
laruæ. 114
laudandi perſonam loci. 332
laudari nimium, onus eſt. Ibidem
laudatio factorum 447
laudatio rerum 371
laudatio nimia reprehenditur 59
laudationis finis 328 utilitas 329
laudationis modi exempla. 59. 61
laudationis perſonarum exempla 341
laudationis præcepta 331
laudatoriæ orationes 531. 551
laureati faſces 488
λέγειν 19
legio Chriſtianorum fulminatrix 354
lemures 113
lex pietatis 198
lex noua corrigit ueterem 197
Libanus 458
liberationem cur Deus differat 695
liberationes piorum mirandæ 348
libertas hominis 704
liberi 519
liberi multi & felices rariſs. Dei donum 548
libelli apud iuriſc. ſubſtantialia 99
libidines punitæ 465
linguæ intemperantia 21

de Lingua, Heſiodi dictum. 15
literarum dignitas 606 doctrina 64
litigatio forenſis 184
litigationis in foro partes. 182
Liuius qua forma orationis ſit uſus 32
loci argumentorum 90 ἔντεχνοι ibid. ἄτεχνοι 91
loci communes 91 proprij. ibidem
locorum deſcriptiones 399
loquendi celeritas noxia 17. 18.
lotus 373
Lycurgi oratio contra Leocratem 97
λύτρον 700

M

Magiſtratus quid ſit 171
magiſtratus uirtutes 337
magiſtrorum inſignia 612
malum culpæ ex nobis eſt. 674
mali appellatio 698. 704 proprium 630
mala pœnæ 672
malorum diſtinctio 669. 700, diuiſio 280
malorum pœnæ cauſa finalis. 674
malitiam non eſſe ſubſiſtens quiddam 677. 704
manes 112 eorum methodica explicatio 112. 113
Manichæorum principia. 704
manſuetudo 351. 742
Marceſij panes 409
Marcus martyr 365
mare rubrum 588 latitudo huius 592
Margaritæ 442
martyres ſub Iuliano 364
μαρτύριον 700
Mathematica 5
Matthæi Dreſſeri orationes. 575. 597
Medicina 608
Medicina Phyſiologiæ ſoboles 5
memoriæ duo ſubſidia 31
Menandri dictum 13
Menelai orationis ſubtilitas 33

Digitized by Google

μετάληψις 201
Miracula Chriſti 621
miraculorum cauſſa finalis. 449
miſericordia 499
modeſtia 16
modeſtia in dicendo 48
modeſtiæ exempla 33. 57. 60. 62. 222
mores 13. 337
morum ſimilitudo 653
mors 341
mors cygni admirabilis 369
mors non eſt mala 131 669. 705
mors, uitæ ærumnoſæ perfugium 279
mortis definitio 705
Moſis cædes an accuſari poßit 177
Mundus, aula diaboli 324
mundum non eſſe æternum. 137
muribus fugantur elephantes 396
Muſarum beneficio humanitas comparatur 415
mutatio uitanda 559
Myrrha 439

N

Nabogdonoſor 553
Naboth num rectè regi Achab uineam ſuam denegarit 179
narratio 76
narratio cur exordium ſequatur 83
narrationis attributa ibid.
narrationis perpolitæ exemplum 79
narrationum in orationibus Ciceronis exempla ib. item apud Virgilium 80. 83
naarrationum ſpecies 77
natalis diei memoria gratiſſima eſſe debet 95
natura auget facultatem eloquendi 7
naturæ diligentia 376
naturæ impedimenta ſuperari poſſe 8
de Natura Pindari dictum. 7
Nazianzeni dicta 13. 312
neceſſarium quotuplex ſit. 189

neceſſarij

neceſſarij definitio ibidem
euentus 109
negligentiæ uituperatio. 373
Nehemias 565
Nero 703
nemeſis Samuelis 729
nemeſin ſacra ſcriptura probat 734
Neſtor *martyr* 364
Neſtoris *laus* 339
Neſtoreæ *orationis ſuauitas.* 32
Nicolai Granuellani *oratio hortatoria ad concordiam.* 220
Nouus *homo* 194. 195
Nuditas *hominum ante lapſum* 706
nuptialis ritus 384

O

Obedientia *tria complectitur* 182
obſcœnitas fugienda 20
Occaſionis *magna uis* 152
Odium *ſæpe in magnum erumpit malum* 150
Oedipi *interitus* 703
Officium *quid* 122
ὄλωθοι 437
Opera Dei *miranda* 453
opera bona an neceſſaria ſint ad ſalutem 187. 189
quid ſint 188
opes Chriſtianis detractæ. 363
Oratio, *animi indicium* 14. 598
oratio breuis 30 *conſtans ibidem* εὐπόριστος 29
tempeſtiua 16
oratio ſine re, uana eſt 331
orationis adiuncta 13 *diuerſitatis duæ cauſæ* 12. *formæ uariæ* 31
orationis genus ſummiſſum 32 *ſublime ibid. mediocre ibid. orationis partes* 47
orationem quæ res maxime laudabilem efficiant 33
oratoris proprium quid. 12
oratoris boni in Eccleſia tria προσκείμενα 14
ornatus hominis ante lapſum qualis fuerit 684
Ouidij *uerſus* 256. 738

P

Palpitatio cordis 738
Pampinus 429
παραγραφή 202
pardalis 399
parentes 335
parentum officium 233
parentum pœnæ transferuntur ad poſteros 111
parricidarum pœna 631
patientia 255. 256 Chriſtiana 692
patria 332. 510
patriæ communitas 73
Pauli Epiſtolæ ad Romanos methodus 126
Pauli gloriatio 646
peccata, malum eſſe culpæ 693
πελαργεῖν 398
Peleus 534
πείθανα 22
Perſicus mos 546
pertinacia 20
petitio 225
petitionum formulæ & exempla 226. 230
petendi ſumtus ad ſtudia exemplum 34
Phardo 584 huius interitus cauſſa 555
Philoſophi 605
Philippi Macedonis fortuna 255
Phineæ præclarum factum. 464. 729
phœnix 399
Phyſiologia 5
Pietas in parentes 398
piorum mirandæ liberationes 348
Pindari dicta 7. 15. 330. 336
πίσεις 22
πισός 710
Platonis dicta 12. 710
πλεονεξία 21
Plutarchi uitas legendi & imitandi ratio 370
pœna ſumma quæ ſit 587
pœnarum genera 603
Poeſis 5 eiuſdem commendatio 6
poetæ 532
politica 5
Pompeij laus 526 cum Cratippo colloquium 519
Præſtites 113
præmiorum ſpes ſtimulat ad uir-

Digitized by Google

ad uirtutem 415
precatio pro felici ſucceſſu ſtudiorum 239
precatio Chriſtianorum. 701
precationis efficacia 367. 368
precibus hoſtes proſtrati. 354. 367. 395
principis boni uirtutes. 337
principi neceſſaria doctrinarum & linguarum cognitio 353
primogenituræ ius 344
προαίρεσις 699
πρόγνωσις 109
πρόθεσις ibidem
πρόνοια Ibid.
pronunciatio tardiuſcula cur amanda 17
προορίζειν 660
propoſitio 84
Proſperi uerſus 571 eiuſdem ſententia 662
Prouidentia methodicè explicata 107
In Pſalmis docendi modos quatuor eſſe 695
pſalmi primi explicatio 444 item ſexti 246 decimitertij 247 uigeſimiquinti ibidem trigeſimiquarti 467 centeſimi tertij 465 centeſimiquarti 466 centeſimi uigeſimioctaui 386 centeſimi trigeſimitertij. 445
Ptolemæus quando floruerit 406
Pueritiam quæ maximè deceant 536
purgatio 162

Q

Quæſtio, an iraſci propriũ ſit animoſæ facultati. 735
quæſtio, cur Deus non ita hominem creauerit, ut labi non poſſet 650
quæſtio de origine malorum 668
quæſtionum formæ 103

R

Ratiocinatio 141.182.200

Regnum

Digitized by Google

Regnum 540
regnum ſcelere partum non eſſe diuturnum 213
regis boni uirtutes 337
regula uitæ pulcherrima 13
res geſtæ 338
rerum diuiſio 371
rerum à Deo conditarum cauſa finalis 387
rerum uiciſsitudo 281. 419
Rehabeam 642. 657
reſpublica beata ſecundum Platonem 605
Rhetoricæ definitio 41 encomium 1. neceſsitas 9 partes 41 præcepta 7 utilitas 10
Rhetoricam duo docere 6
ῥήτωρ 193

S.

Sabbati lex 200
ſalus Chriſtiana quæ contineat 93
ſalutis definitio 188
Samoſatenus 665
Samuel mortuus prophetat 116
Samuelis nemeſis 729
σαφήνεια 77 in quibus conſiſtat ibidem
ſapientia, eloquentiæ fundamentum 4
ſapientia ex quibus fontibus hauriatur 4. 6
ſapientiæ abuſus 643. 658
Sardes 599. 600
ſarmenta 428
ſatanæ nomen 685
Saul 618
Scholæ 602. 603. 604. 606
Scilla 437
Scipionis dictum 351 moderatio 465
ſcribendi materiæ 218
ſcribendi materiarum electio 26
ſcriptum 193
ſcripta autorum legendi modus 25 interpretandi ratio 26
in Scripto quouis quot ſint obſeruanda 43

ſcriptura

ſcriptura ſacra non habet antilogias 734
ſcriptura diuinitùs tradita tribus partibus continetur 203
Secundina 348
Secundi ſcrupuloſa diligentia 29
ſenes ſua facta narrare poſſunt 59
ſenum prudentia 339
ſerpentis nomen in Scriptura ſacra 737
ſeruare mandata Dei quid ſit 191
ſexus 334
Siciliæ deſcriptio 399
ſigna 142
Siloh 348
ſimilitudo ex arte medica. 642.670 ab oculo 682 à cane 727 ab equo refractario 736 à Sole 265. 318 à puero 731 à pāpinis.254 ab ægrotis 294. 295 à chirurgis. ibidem, à uiatoribus 299 ab aridis herbis 325
ſimulatio 628
ſimplicitas orationis 14
ſinapi 439
Sirenes 285
Socratis de animæ immortalitate ſententia 274
Socratis patientia 286
ſol quando nobis proximus 318
ſomnia 634
ſophiſtica eloquentiæ contraria 21
Sophoclis ſententiæ 14. 64. 251
Sophoclis Electræ ſtatus. 165
Sparta 333
ſpectri hiſtoria 114
ſpes 591
Status 84 abſolutus 161. aſſumtiuus. 162 coniecturalis 140 definitiuus 183. iuridicialis 161 legalis 182
ſtatus tres 139
ςιγανόποδες 391
ſtella, quæ præluxit magis, qualis fuerit 128 quid fuerit 131

ſtellæ

ſtellæ innumerabiles 287
ſtellarum uſus 374. 375
Stephani ſpes 300
Stigelij uerſus 633. 634
Stoicorum ſententia de anima 275
ſtoicorum ſententia de affectibus refutatur 733
ſtudiorum finis 3
ſtudiorum fructus præcipuus 26
ſtudiorum ratio in quibus conſiſtat 2
ſtudiorum utilitates 311
ſtudioſi commendatio 358
ſtudioſorum uictus 313
ſtulti nomen 696
ſtyli exercitium 26 exercendi modus. 27
Suaſionum præcepta & exempla 222
ſumptus ad ſtudia petendi exemplum 34
ſuperbia 657
ſuperbia felicitatis comes 254
ſuperbiæ deteſtatio 660
ſuperbiæ fomites 642
ſuperbiæ exempla 643. 644. 656
Sycomori deſcriptio 438
συμπαθὴς 632
συμπάθεια membrorum corporis 320
σύνεχον 91

T

Temperantia 542
tempeſtatis deſcriptio 701
tempeſtiua omnia pulchra 16
tempus ſapientiſsimum & rudiſsimum 199. 200
tempus mollit dolorem 257
templi Ieroſolymitani ædificatio 561
Terentij perpolitæ narrationes 78
Tertulliani ſententiæ 191 577
Teucer 534
Thema ſimplex 103 compoſitum 103. 127
thematis ſimplicis expli-

catio 103 item compoſiti 127
Theologia 4 quid ſit. ibidem
Theramenis crudelitas 365
theſis 33
Thucydidis ſententiæ 19. 20
Thuringi 406
Thuringi quando fidem Chriſtianam ſint complexi 405
Thuringici ſoli fœcunditas 408
Timocleæ mulieris Thebanæ callidum factum 465
τιμωρία 700
Tranſitus populi Iſraelitici per Iordanem 449
translatio 162. 182. 201
triſtitia pallorem gignit 739
τυφωθέντες 557
Tyra 407
Tyrigetæ ualent ingenio 414 uirtute 419
tyrannorum exitus 369

V

Varietas 17
uſa iræ 675. 703
uerbum Dei 443
huius utilitates præcipuæ 444
uerbo Dei ſedulò incumbendum 735
uerborum licentia reprehenditur in Eccleſia 15
poſterior, rerum prior cura 3 uerecundia in loquendo commendatur 18
ueritas 75. 639
ueritatis comes modeſtia 16 oratio ſimplex 14
uerſus uulgati 339. 341. 657
uetus homo quid ſit apud Paulum 194
ueſtimenta cur non ſtatim tributa homini in creatione 684. 706
Vindictæ cupiditas 14
uini uſus 429
uipera 631

uiperis

Digitized by Google

uiperis comparatur inuidus 615 item iratus & improbus 737
uir unde dicatur 263
uirorum uirtutes 334
Virgilij Æneis qua forma orationis ſcripta 32
Virgilij uerſus de rerum uiciſsitudine 282
uirtutis encomium 73
uirtus eſt medium 136
uirtus in ærumnis elucet 266. 560
uita, mors eſt 274
uita peregrinatio ibid.
uitæ genus 337 genera præcipua. 338
uitæ regula 349
uitia comparantur aſpidis morſui 373
uitis uinifera 427 unde dicta Ibidem
uitis & oleæ cognatio 430
Vuitebergenſis Academia 604
uituperatio 328
uituperationis exēpla 360 finis 328 utilitas 329
uiuere quid ſit philoſophis 274
Vlyſſes 305. eius cum Neſtore ὁμοφροσύνη 66
Vlyſſeæ orationis ſublimitas 33
Vocatio diuina ſtudioſorum 307
uoluntas 141 duo complectitur 141. 193
Vrbium laudatio 400
urtica cygni utuntur 393
Vſura quæ permiſſa 197
uſusfructus 198
uſufructuarius. ibidem
uſus quid ibidem
utile quid ſit 206
uuarum temperamentum 429
uulgi iudicium contemnendum 283
uulturum ſagacitas 637

X

χάρις 119
χαρίζεσθαι 120

Digitized by Google

Xenophontis dicta 330. 335. 597
Xerxis lachrymæ propter ærumnarum communium neceſsitatem 279
χόριον 348
χρεία quid 63
χρείας tractandi ratio 445

Z

Zedechias 553
zelus Eliæ aduerſus ſacerdotes Baal 729
Zenonis reſponſum 663
Zorobabel 558

FINIS.

Digitized by Google

VVITEBERGÆ,

Excudebant Clemens Schleich & Antonius Schöne.

ANNO

M. D. LXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible]ed by Google

Digitized by Google

Digitized by Google